MORAVIÆ
HISTORIA
POLITICA ET ECCLESIASTICA

CUM
NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS CRITICIS
PROBATORUM AUCTORUM,

QUAM COMPENDIO RETULERUNT

ADOLPHUS PILARZ' A S. FLORO,
ET
FRANCISCUS MORAVETZ A S. ANTONIO,
CLERICI REGULARES E SCHOLIS PIIS
CREMSIRII MORAVORUM.

PARS PRIMA.

CUM ANNUTU CÆSAREO-REGIÆ CENSURÆ.

BRUNÆ,
TYPIS JOANNIS SILVESTRI SIEDLER. MDCCLXXXV.

Si quid de antiquissimis regni sedibus, & inhabitatoribus usque ante multa secula proditum est: id ita — — discerptim, & obscure factum vidimus, ut in veritatis historia, & certa rerum serie eruenda, tanta se offerat, & existat difficultas, quanta dici potest maxima.

Daniel Rapoldus Hist. de illustriss. Siles. Ducatu.

In regno Moraviæ, commentariis historicis illustrando, præcipue desudavere Thomas Pessina de Cz'echorod — — & Joannes Strz'edovsky — —. Egregiæ uterque diligentiæ fuit: ast in primordiis novi regni Moravici, Quadicum insecuti, aliter plane ordiendum, & in tanta antiquitatum obscuritate omnis scintilla fermo ex aliarum gentium historiis elicienda est.

Joann. Christoph. de Jordan Origin. Slavic. P. I, c. 28. pag. 189.

Compendia auctorum fusiorum serviunt perspicuitati.

Theoph. Raynaud. T. XIII. Philolog. in laude brevitatis.

REVERENDISSIMO, AC CELSISSIMO
DOMINO DOMINO
ANTONIO THEODORO
DEI GRATIA
ARCHIEPISCOPO OLOMUCENSI,
DUCI, S. R. I. PRINCIPI
REGIÆ CAPELLÆ BOHEMIÆ,
NEC NON
A COLLOREDO ET VALDSEE COMITI ETC.

SALUTEM, VITAM, ET FELICITATEM.

N*ec diu*, *nec multum cogitandum nobis erat*, *cui potissimum nostros historiæ patriæ labores dicaremus.* *Ita nempe illos* Tibi, Reverendissime, ac Celsissime Princeps, *singularibus vindicas prærogativis; ita præcipuis obstringimur titulis ad eos* Illustrissimo Nomini Tuo *inscribendos*, *ut in rei hujus societatem alium venire neminem, nobis omnino certum sit*, *atque exploratum.* *Moraviæ enim historia ecclesiastica*, *quam politicæ junximus*, *exhibet statum Ecclesiæ* Tuæ, *a primis Moravorum Apostolis institutæ*, *atque a primo Moraviæ Ar-*

 chi-

chiepiscopo S. Methodio stabilitæ. Continuat dein sub Joanne Methodii successore, pariter Archiepiscopo Moravorum, quoad magnum Moraviæ regnum perstitit. Instauratis postmodum, longe arctiores intra fines Moraviæ rebus, seriem profert Episcoporum ab Silvestro ad nostram usque memoriam; dum illustria merita Tua, Te *collegiatæ Cremsirii ad S. Mauritium ecclesiæ Præpositum, nec non cathedralis Olomuceni Capituli Decanum, ad Infulam Metropolitanam, ac* Primi Olomucensis Archiepiscopi *dignitatem, concordibus evexerunt suffragiis. Mira Divini*

vini Numinis providentia in gubernanda Moraviæ Ecclesia, quam nec pagana superstitio, nec alieni ab orthodoxa fide homines extinguere poterant, vel inde perspicue satis cernitur, quum tot seculorum res gestæ, tot prope innumerabilium eventuum varietas, tanta politici status vicissitudo, referuntur.

Quæ omnia perinde, ac longa admodum Moraviæ Antistitum series in unum volumen, quasi Ilias in nucem, cogi minime potuissent; nisi idonea litterariæ supellectilis subsidia, potissimam partem suppeditasset Cremsirii bibliotheca Tua *Archiepiscopalis:*

quæ publico bono a felicis memoriæ Antecessoribus Tuis *instituta, post fatalis incendii damna denuo adsurrexit, multiplicique omnis generis librorum œconomia, & delectu adornatur. Caret illa quidem tabulario quodam Moraviæ, nec referta est scriptis actorum commentariis, qui tuto exscribi ab historiographo possint; (talibus dubio procul abundavit Dietrichsteiniana a Suecis Moravia potitis direpta) nihilosecius tamen adservat, præter patrios, complures exteros scriptores, qui enarrando sua, cum rebus nostris qua sacris, qua profanis conjuncta, Mora-*

ra-

ravorum gesta exsecuti calamo fuerunt. Haec autem laboriosa cum domesticis comparatione, verorum a falsis secretione critica, sumtis etiam in auxilium iis, quae nostra aetate viri eruditi ex suis vetustorum monumentorum thesauris cum orbe litterario communicarunt, magnum utrique historiae nostrae lumen adfundunt. Quid multa? — quantum quantum illud est, totum id munificentiae Praesulum Olomucensium nos debere fatemur, munusque ad eorum Successorem grati referimus, non nescii, quoties illud, quasi Tuum, *stimulos ut adderes, a nobis poposceris.*

Id

Id quod præfiscini dixerim, siquidem hoc etiam nomine labor historiæ nostræ Tuus *est; quia susceptus ea in civitate, quæ* Brunonibus, *&* Theodoricis; *in ea Scholarum Piarum Collegio, quod* Lichtensteiniis, *dignissimis antecessoribus* Tuis, *originem debet suam. Ac principio quidem, Incliti Cæsareo-Regii Moraviæ, & Silesiæ Gubernii decreto excitati, manum operi admovimus juventutis studiosæ caussa, quo haberet illa brevius simul, ac verius compendium, & epitomen rerum vel in patria sua, vel a civibus suis gestarum.* Tu *vero,* Celsissime Princeps, *insignia*

gnia dedisti indicia, quam litterariæ juventutis, quam meliorum studiorum sub gloriosissimis Mariæ Theresiæ, & Josephi *II. Marchionum nostrorum auspiciis instauratorum esses vel amantissimus.*

Perenni adhuc in memoria viget, quum Cæsareum Cremsirii Gymnasium invisens benignissime, Cæsareorum præmiorum, quæ præcellens adolescentum meruit industria, distributioni adesse, bonarumque artium alumnos, rei utriusque publicæ plena spei germina, ad messem litterariam impigro labore colligendam, facunda oratione excitare, Celsissima Digni-

tate

Id quod præfiſcini dixerim, ſiquidem hoc etiam nomine labor hiſtoriæ noſtræ Tuus *eſt; quia ſuſceptus ea in civitate, quæ* Brunonibus, *&* Theodoricis; *in ea Scholarum Piarum Collegio, quod* Lichtenſteiniis, *digniſſimis anteceſſoribus* Tuis, *originem debet ſuam. Ac principio quidem, Incliti Cæſareo-Regii Moraviæ, & Sileſiæ Gubernii decreto excitati, manum operi admovimus juventutis ſtudioſæ cauſſa, quo haberet illa brevius ſimul, ac verius compendium, & epitomen rerum vel in patria ſua, vel a civibus ſuis geſtarum.* Tu *vero,* Celſiſſime Princeps, *inſi-*

gnia

gnia dedisti indicia, quam litterariæ juventutis, quam meliorum studiorum sub gloriosissimis Mariæ Theresiæ, & Josephi *II. Marchionum nostrorum auspiciis instauratorum esses vel amantissimus.*

Perenni adhuc in memoria viget, quum Cæsareum Cremsirii Gymnasium invisens benignissime, Cæsareorum præmiorum, quæ præcellens adolescentum meruit industria, distributioni adesse, bonarumque artium alumnos, rei utriusque publicæ plena spei germina, ad messem litterariam impigro labore colligendam, facunda oratione excitare, Celsissima Digni-

tate

tate Tua *minime indignum judicasti.* *Munificentissimum vero Agonotheten venerati sunt normalium scholarum discipuli, quorum litterarii certaminis non solum Judex fueras dignissimus, sed generosos etiam ex iis, quamvis tenellos victores, argenteis numis, perennibus Electionis* Tuae *Archiepiscopalis mnemosynis, remunerasti. Nae istud, cetera silentio ut praetereamus, specimen est multo clarissimum, quanto in ea sis animo, quae Augustissima Domus Austriaca pie ad religionem, ad politiam utiliter, bono patriae maximo instituit.*

Su-

Suſcipe igitur Reverendiſſime, *ac* Celſiſſime Princeps *ea, quæ* Tibi *eſt propria, benignitate has conatus hiſtorici primitias, tot præcipuis titulis* Nomini Tuo *a nobis debitas. Suſcipe, pro* Tua *in Scholas Pias propenſione, ac benevolentia, levidenſe hoc animi grati teſtimonium, illudque uti ſummæ reverentiæ, cultus, & ſummiſſionis noſtræ monimentum,* Honori Tuo *poſitum, intuere. Et quoniam inſignia virtutis* Tuæ *decora, animique ornamenta fuſiore depingere calamo nequaquam patitur* Tua *ſingularis modeſtia; Illuſtriſſimæ autem Proſapiæ* Tuæ *Toga, Sago,*

atque

atque Infulis clarissimæ, encomia loquitur Italia, & Germania: nos interea Divinum precari Numen, ut Te *ad patriæ commoda, ad Ecclesiæ decorem, ad splendorem Illustrissimæ Familiæ* Tuæ *sospitet, ac servet quam diutissime incolumem, nunquam cessabimus*

Reverendissimæ Celsitudinis
Tuæ

devinctissimi

Clerici Regulares e Scholis Piis Cremsirii.

PRÆFATIO.

Non antiquæ ſolum Moraviæ incolas, ſed Slavo - Moravos etiam bellicis duntaxat artibus, non vero litterarum ſtudiis fuiſſe claros, veteres & Græcorum, & Latinorum annales memoriæ prodiderunt. Iccirco primis æræ chriſtianæ ſeculis perinde, ac medio Moraviæ ævo patriis caruerunt ſcriptoribus, qui eorum præclare facta, ſcriptis ſedulo commentariis, poſteritati commendarent. Quin immo liberalibus artibus in Moravia civitate donatis, quum gentes finitimæ ad propagandam rerum domi, forisque geſtarum memoriam, glorioſa facinora ſua ſcriptorum calamis, velut perennibus tabulis, ac monumentis, conſecrarent: omnis fere Moravorum gloria injurioſo oblivionis tumulo ſepeliri, factisque egregiis viri nobiles, ignobili contegi ſilentio cœperant. Poſtea vero quum Bohemi, ut alias taceam nationes vicinas, nacti non paucos ſunt hiſtorio-

gra-

graphos, tum antiquitatis studio, tum omni scientia orbi litterario cognitos; populares nostri perennem suorum magni nominis famam, neque obscuram apud exteros memoriam, privatis solum scriniis, pluteisve domesticis, velare maluerunt.

Vela hæc reducere, & præcipua Moravorum gesta e tenebris in apricum proferre adnisi proximis ætati nostræ seculis sunt viri, grata posterorum memoria digni. Ac primos ducit ordines *Bartholomæus Paprocky de Glogol*, Eques Polonus, qui suscepta peregrinatione litteraria, *Speculum Moraviæ* concinnavit: quod tamen illustrium potius familiarum in Moravia, quam totius provinciæ speculum, appellare fas est. Brevi post *Abrahamus Hofmannus*, gente Lusatus Laubanensis, *antiquo Moraviæ Chronico Doctoris Salmuth* usus, grande annalium Moraviæ volumen compilasse legitur: sed perierunt hæc qualiacunque historica patriæ nostræ monumenta. *a*) Sub idem tempus *Joannes Amos Comenius*, Comna (pagus est Moraviæ haut

a) Joan. Georg. Strz'edovsky præfat. in sacram Moraviæ Historiam. — Vid. & Henelius Silesiographiæ renovatæ c. *VIII.* p. 218. & 776. seqq.

haut procul Brumovio) oriundus, quum circiter anno 1616. Fulnecæ Picarditarum Curionem ageret, *Vetustis Moravorum Regibus* describendis operam dedit; at operis parte, quam *Carolo Seniori de Zierotin* dicatam voluit, perfecta, conatus suos ad finem minime perduxit. *b*)

Tantæ scriptorum penuriæ consulturus *Thomas Joannes Pessina de Cz'echörod*, Episcopus Samandriensis, natione quidem Bohemus Pocz'atecensis, propenso autem in Moravos animo clarus, *Prodromum Moravographiæ*, ac dein *Martis Moraviæ* Partem primam in lucem edidit; absoluta autem operis sui parte altera, & *Moravographia* in ordinem digesta, vitæ curriculum absolvit. *c*) Egregios Præsulis hujus de

Mo-

b) Idem Strz edorsky l. c.

c) Prodromus añ. 1663. Pars prima Martis Mor. año 1677. excusa prelo sunt. Pars altera Martis Moraviæ, uti & Moravographia non sunt typis data. — In epistola dedicatoria, quam primæ parti Martis Morav. præmisit, Pessina non obscure distinguit Moravograph. a Marte Moraviæ. Sunt tamen, qui censeant, eundem collectanea sua, Moravographiæ destinata, in eam formam, quam in prima parte Martis Moravici conspicimus, transmutavisse. Horum judicio, *Moravographia*, & *Mars Moravicus*, est opus argumento idem, sed idiomate, & argumenti amplitudine diversum.

Moravia bene meriti conatus imitando consequi satagit *Christianus Hirschmentzel*, genere Silesius, Ordinis Cisterciensis antea Welehradii scriptor, qui praeter *Veteris*, & *Novi Welehrad Chronicon*, nec non *Sacros Martyrum*, & *Confessorum Welebradensium cineres*, vulgandam posteris *Marchionatus Moraviæ Historiam* compilavit; tametsi manuscripta hæc, a Patribus Cisterciensibus domi adservata, lucem publicam necdum viderint. *d*) At enim ceteros omnes incredibili suo in patriam amore plurimum antecelluit Pavlovitzii supra Becz'vam Parochus *Joannes Georgius Strz'edovsky*, Brumovii Moravorum natus, cui *Mercurius Moraviæ Memorabilium*, & *Sacra Moraviæ Historia* originem debent suam. *e*) Vir iste ad promovendam Moravorum gloriam intentus quam maxime, sacra in historia gestis *SS. Cyrilli*, & *Methodii* inseruit etiam Moraviæ calamitates, urbium, & oppidorum devastationes, Regum, & Principum nostrorum bella, paces, &c. eo potissimum fine, ut opis quidpiam adferret, *Annales Moraviæ* tandem aliquando scripturis.

Immo

d) Strz'edovsky cit. præf. ubi addit, ex prioribus duobus manuscr. Hirschmentzlianis quæpiam se se delibasse.

e) Mercur. Mor. año 1705. Sacra Mor. Historia anno 1710. typis data sunt.

Immo vero hos ipse dubio procul adornasset; ideoque indefesso labore, & vehiculis etiam aureis, diplomatum, aliorumque documentorum collegit copiam, quam *Apographa Moraviae* appellavit: nisi invida Moraviae fata eundem in medio aetatis flore Moravis eripuissent. *f*) Tentarunt postea arduum historiae patriae studium *Godefridus Provin*, & *Marianus Ulmann*: e quibus ille *Fidelem Romanae Ecclesiae Moraviam* complexus justo est volumine; iste Gradicii olim Ordinis Praemonstratensis alumnus, *Veterem Moraviam* duobus tomis comprehensam, germanico idiomate conscripsit.

Haec facies Historiae Moraviae ad nostram usque aetatem. Quos commemoravimus, partus historicos typis datos, vidit, ac suo etiam aevo suspexit Moravia; compendium tamen historiae patriae, simul a fabulosis purgatum quisquiliis, simul juventutis litterariae usui accommodatum, diu, multumque desiderarunt philohistores quique, praecipua rerum cognitione illustres. Laudatissimis eorum optatis

b 2 con-

f) Mortem oppetiit hic Moraviae Historiographus anno 34. aetatis.

constitutum voluit Cæsareo - Regia studiorum Commissio Viennensis, quum suprema, qua pollet, auctoritate Cæsarea mandavit omnibus Gymnasiorum in Moravia Præfectis, compendio ut referrent historiam Moraviæ, juventuti scholasticæ prælegendam, *g*) Cæsarei, quod Cremsirii Moravorum est, Gymnasii Præfectus primo statim obtutu non potuit non videre, momenti esse gravissimi, quod imperatum sapienter juxta, ac provide fuit. Iccirco lege lata solutum se se petiit, præsertim quum præterea Juris Ecclesiastici Publici, & Privati positiones id temporis auditoribus suis religiosis privatos inter parietes prælegeret. Sed paullo post, Cremsirii Bibliothecam Archiepiscopalem idonea historiæ patriæ documenta complecti, modo imperata faceret, responsum tulit ab Inclito Cæsareo - Regio Moraviæ, & Silesiæ Gubernio. *h*)

Supposuit oneri humeros, non singularium virium fiducia, verum quod laudatissimo jubentium studio obsequi reverenter cuperet. At vero hic labor, hoc opus. Fatebatur olim re-

rum

g) Decretum Viennæ dd. 15. Augusti anno 1781.

h) Decretum Brunæ dd. 14. Septembr. 1781.

rum patriarum gnarissimus *Strz'edovsky, i*) vix unius hominis privatas sufficere vires ad historiam Moraviæ adornandam; sed plurium opus esse consilio, rerum plurimarum opus adminiculis. Quocirca initis cum Præfecto Archiepiscopalis Bibliothecæ & consiliis, & historici laboris societate, operi sane quam arduo manus admovimus, factaque synopsi historica, datum adversariis, & excerpendis probatis auctoribus initium. Quicunque occurrerunt, obices vicit patriæ amor, & obsequendi studium. Quantum vero perfici per angustias temporis potuit, missæ Viennam fuerunt *k*) tres periodi Historiæ Politicæ, & Ecclesiasticæ: *De veteri Quadorum, & Moraviæ magnæ regnis; tum de Moravia Ducibus, donec mutata regiminis forma, crigeretur Marchionatus.* Hæc operis initia, quum ii, quorum est censere, suo probarent calculo, spesque adfulgeret, pari ut tenore absolverentur cetera; honorifico supremi studiorum Collegii mandato *l*) laborem historicum prosequi jubebamur. Id duntaxat novo admoniti decreto sumus,

i) Præfat. in sacram Mor. Hist. ubi recenset præcipua septem adminicula, ad historiam Moraviæ scribendam necessaria.

k) Año 1782. die 30. Aug.

l) Decretum Viennæ dd. 6. Januar. año 1783.

mus, ut historiæ compendium latino sermone inchoatum, atque olim ad finem perductum, in germanicum idioma, majori etiam, quoad ejus fieri poterit, brevitate converteretur. m)

Paruimus, uti par erat, summis imperantium jussibus, atque impositas toties partes impigro suscepimus animo. Neque id Suffeni calamo describimus, sed ut palam fiat, nos temere, aut præcoci ausu in historiæ adyta neutiquam pedem intulisse. Eadem pariter mente commemorandum censemus, qua via, & ratione utramque Moraviæ historiam compendio referre adlaboraverimus, ut fontes præcipui, e quibus hausimus, luculenter pateant.

Expensis curatius sanioris criticæ legibus, in ipso historiæ nostræ limine expendenda erant inveterata quorumdam præjudicia, populares opiniones critica ponderandæ bilance, sublesta, aut falsa a veris, certisque secernenda: siquidem, Ciceronis monito, veritas præcipuum in historia locum sibi vendicat. Ecquis

m) Decretum Viennæ dd. 29. Julii año 1783.

quis autem in rebus hiſtoricis haut peregrinus neſciat, quæ, & quanta, ſcriptoribus antiquis non conſona, in *Peſſinæ*, & *Strz'edovskii* operibus prelo datis, cenſoria notaverint virgula *Christopherus Jordanus* de originibus Slavicis, *Joſephus Simonius Aſſemanus* in Kalendariis Eccleſiæ Slavicæ, & Cæſareus Bohemiæ Hiſtoriographus *Gelaſius Dobner* in annalibus Hajecianis? Nec ignotum eſt, *Peſſinæ Martem Moravicum*, cujus duntaxat Pars prima nobis præ manibus, ultra *Ludovicum* Hungariæ, & Bohemiæ Regem; ejusdem vero Prodromum ultra *Ferdinandum III.* Rom. Imperatorem non progredi: quamquam, & hic, ſi a *Ferdinando I.* Imp. incipias, curtior rerum Moravicarum ſupellex conſpicitur. Ad hæc egregius *Provini* partus; *Perilluſtris Joſephi Wratislai de Monſe*: *Inſulæ Doctæ Moraviæ, Suppeditata ad Hiſtoriam Moraviæ*, atque alia etiam cum illius, tum virorum eruditorum opuſcula, erant quidem non exigua Hiſtoriæ tam Politicæ, quam Eccleſiaſticæ adminicula; ad filum vero utriusque hiſtoriæ pertexendum minime ſuffecerunt.

Quapropter *Strz'edovskii* noſtri, qui veram annalium Moraviæ ideam expreſſit, *n*)

n) Præfat. ſupra cit.

consilium sequi placuit. Suasit ille praeprimi finitimarum nobis nationum scriptores sedul evolvere, qui non pauca Moravorum gesta enar rant; his dein alia, e domesticis depromta, su admiscere modo. Reipsa praeter patrios, ante jam laudatos scriptores, commodarunt labor nostro plurimum praeclara *Jordani*, & *Assman* opera, atque etiam *Dobneri* annales Hajeciani quorum eruditione, & antiquitatis peritia, tre priores periodi potissimum nituntur. Quum deinde proprio natandum foret cortice, ut n domestica dissentirent probatis ab auctoribu vicinis, e scriptoribus Bohemis, Hungaris Austriacis, Saxonicis, Silesiis, Polonis, & quot quot in manus devenerant, adversaria sedul confecta, permultum lucis historiae patriae ad fuderunt: Magno pariter fuerunt usui: *Monu menta Dobneri*, quae ipse adhuc inedita, prel beneficio primum communicavit orbi litterario *Adaucti Voigt* opera diversi generis, & argu menti, quae eruditorum versantur in manibus denique manuscripta *Strz'edovsky*, & *Patzeeli* eximia Bibliothecae Archiepiscopalis monumen ta, quae jure, ac merito fidei faciendae idone arbitramur, quum publicas litteras, rescripta ac diplomata varia complectantur. Quibu

prae-

præterea usi auctoribus simus, decursus operis declarabit, quum eos ubique fideliter laudaverimus.

Ita frustatim variis e monumentis rerum gestarum, quæ ad Moraviam attinent, collecta series, ordine Chronologiæ digestam, & quasi coagmentatam, qualem qualem historiæ nostræ compagem sex periodis efficit. Propositum nobis initio fuit, summa rerum capita solum adferre; ac tribus periodis prioribus morem secuti ferme fuimus Calculatorum, qui, ut *Sextus Rufus* ait, summas ingentes ære breviori exprimunt. o) Non nunquam tamen, præsertim periodis posterioribus, fusiorem libuit prehendere calamum; partim quod amicorum exhortationes uberiorem rerum patriarum notitiam poscerent, partim quod ipsa gestorum copia diffusam exigeret narrationem, ut perspicuitati consuleretur. Hujus caussa non minus, quam ad vitandam lectorum satietatem, ad singulas historiæ periodos variæ adnectuntur adnotationes, quæ priora supplent non nunquam, sæpe etiam illustrant.

Antistitum vero nostrorum, seu Episcoporum Moraviæ historiam consulto separavimus,

o) Breviar. Rer. gest. pop. Rom. c. 1.

mus, quo distinctius cognoscerentur gesta eorum ecclesiastica, & politica. Singulari favore amici nobilis Moravi, historiæ patriæ studiosissimi, usui nostro obtigit *Olomucium Sacrum*, opera, & labore *Magnoaldi Ziegelbauer* elucubratum, quo adjuti non nihil amplius, ac disertius adferre potuimus, quam in vulgatis adhuc reperitur Olomucensium Præsulum elenchis. Neque tamen ubique in *Ziegelbaueri* verba juramus; sed consultis aliis in meliorem sæpe abimus sententiam. Eadem prorsus amussi utimur in iis, quæ seu *Pessina*, seu *Strz'edovsky* typis vulgarunt; quoties nos invenisse certiora convincimur. *Quados* quasi dicas: *Viros bellicosos*, non vero Marcomannos, veteres provinciæ, quæ hodie dicitur Moravia, incolas fuisse statuimus; quod explicatum, confectumque reddit subjecta ad calcem Dissertatio. *Marchionum* initium non sub *Henrico IV.* Imperatore, sed serius multo ponimus, auctore, ac duce *Dobnero*; qui de historia Moraviæ perbene meritus, controversiam istam plane haut secus, ac perspicue diremit. At in periodo III. ab everso magnæ Moraviæ regno, historiam exemplo *Pessinæ*, per Bohemiæ Duces succincte contexuimus, ut cum eodem prope *bohemissare* videamur. Quippe supremum

Mo-

Moraviæ Dominium tum penes Bohemos Duces fuisse constat; Marchionum tempore demum Moravi extulerunt caput, ac *Ladislao Posthumo* Regni fastigium conscendente, præsentibus Bohemis libere testabantur: *Se Regis, non Bohemorum vasallos esse; ceterum Moravos, æque ac Bohemos, liberum populum.* p) Et servavit populus hic suam libertatem, immunitates, privilegia: dum *Ferdinando II.* Imp. & Marchione nostro, fatalis error & Moravos abstulisset.

Atque hæc sunt, quæ litterariæ promulsidis instar præfari decuit. Enimvero pro virili nostra dedimus operam, nihil ut sine tabulis adsertum historia patriæ præseferret: nec tamen projectis velut ampullis, ita supercilium tollimus, ut perfectam, numerisque omnibus absolutam existimemus; id sane a nobis nimis quam alienum. Genuina magis procul dubio veritas e scriptoribus domesticis, si plures existerent, erui; luculentiora, immo & copiosiora heroum nostrorum gesta excerpi ex archivis patriis omnino possent: sed idem fatum, quod jam alias *Pessinam*, & *Strz'edovskium*, nos quoque ursit. Diversis in locis tabularia, archiva, & bibliothecæ privatæ, antiquitatibus patriis, re-

bus-

p) Infra in historia polit. Periodo V. ad an. 1453.

busque majorum nostrorum gloriose gestis refertæ, adhuc clausæ potissimum sunt; ut proinde non modico opus sit labore, ex iis, quæ prostant, sive ecclesiasticam, sive politicam historiam conficere. Quoad licuit, tantam rerum gestarum, sive toga, sive sago, sive infula clarorum virorum, messem collegimus, ut enatum de iis volumen sit mediocre, cujus pars prima prodit in publicum. Si quid nimia brevitate quasi inchoatum, atque imperfectum; id fini proposito lector benevolus tribuet. Si quid prætermissum, ac minus adcurate positum; non industriæ nostræ adscribet, sed monumentorum patriorum inopiæ. Cui medelam populares si adferant, atque ignota adhuc documenta, diplomata, chronica, & quidquid illustrandæ conducit historiæ patriæ, nobiscum liberaliter communicent; pergrato eadem amplectemur animo, decus, & ornamentum Moraviæ pro viribus promoturi. Non enim arbitramur nos corrigi, sed instrui, quando offeruntur nobis vel ignota, vel meliora.

INTRODUCTIO
IN
HISTORIAM MORAVIÆ.

I.

Moraviam, quæ olim *Quadia* dicebatur, primis temporibus incolebant *Quadi*, natio Germanica, ſeu Suevica, Bojis finitima, deinde Marcomannis firmo juncta fœdere. Subinde Slavi extincto per *Attilam* Marcomannorum, & Quadorum regno, in fructuoſis Quadiæ terris ſedes ſuas ſtabiliverunt. Ab his fluvius totam hodie regionem permeans *Maraha, Maravaha*, ipſa regio *Marahania*, & *Maravania* eſt appellata. Inde *Morava* (die March), & Moravia (Mähren) nomen ſuum ducit.

II. *Boji*, aut *Bojemi* ex Gallia celtica, quum Romæ Tarquinius Priſcus regnaret, in Hercyniæ Silvæ terras, duce *Sigoveſo* coloniis ductis, hodiernæ Bohemiæ primordia jecerunt. Verum ſub tempora *Auguſti Cæſaris* a Marcoman-

nis victi, ad Nariscos partim, partim ad confluentem *Sala*, & *Albis* transiere. *a*)

III. *Marcomanni* Sueviæ populi primam sedem inter Rhenum superiorem, Danubium, & Nicrum *b*) fluvios tenuerunt, ac Germaniæ antiquæ limites tutabantur præsertim contra Romanos; qua de causa Markmänner, quasi *limitanei viri*, & *milites* a gentilibus suis dicti sunt. Alteram vero sedem in *Bojohemo*, pulsis Bojis, occuparunt, seque pariter ad ripas usque Danubii extenderunt. *c*)

IV. *Slavi* pluribus ante Christum natum seculis Sarmatiam Europæam, & Asiaticam incolebant, quos græci scriptores *ʽαινετους*, latini *Henetos*, id est: *laudabiles*, & *gloriosos* vocant. Nam quidquid Romanis, & Germanis in Europa olim non fuberat, occuparunt Græcorum fidi semper socii *Slavi* seu *Slavani*, sic dicti a primigenia slavica voce Slawa, aut quod Primores eorum, ut *Premislav*, *Miroslav*, *Jaroslav* &c. syllaba *slav* terminarentur, quos tandem Sklaven, Schlaven Germani appellabant. Laudabilis hæc Slavorum natio e finibus suis cum *Attila* Hunnorum duce egressa, in plures colonias, & respublicas divisa est. Nam æræ christianæ seculo V. hodiernæ Bohemiæ, & Moraviæ terras occupavit; seculo VII. Croa-

a) Livius Dec. I. L. IV. — Dobner Prodromo, seu P. I. Annal. Hajec. p. 69.

b) Cluver. Introduct. in Geograph. veter. & nov. L. III. c. III. p. 178.

c) Vid. Tab. Geograph. Germaniæ Magnæ ap. Dobner Prodromo Annal. Hajec.

Croatiæ, Dalmatiæ, Slavoniæ, Bosniæ, & Serviæ; ſeculo IX. Poloniæ, & Ruſſiæ initium, & incrementa dedit. His notionibus præmiſſis, univerſa Moraviæ hiſtoria, quantum politici ſtatus viciſſitudo exigit, ſequentibus continetur periodis.

HISTORICA SYNOPSIS.

PERIODUS I.

De Marcomannorum, & Quadorum regno, ejusque interitu. Sive a primo æræ chriſtianæ ſeculo ad quintum. Annus Chriſti 5 — 450.

Hiſtoria politica complectitur Marcomannorum, & Quadorum reges notiores; Quadorum mores, rationem vitæ, domicilia, negotia, & opes.

Hiſtoria Eccleſiaſtica: Cultum Deorum, ſacrificia, religionem chriſtianam.

PERIODUS II.

De regno Slavo-Moravorum uſque ad ejus everſionem. Sive a ſeculo quinto ad decimum. A. C. 450 — 907.

Hiſtoria politica enarrat Slavorum in Moraviam ingreſſum; ortum, & interitum magni Moraviæ regni; Slavo-Moravorum mores, rationem vitæ, domicilia, negotia, & opes,

Historia ecclesiastica: Cultum Deorum, religionis christianae exordia, SS. Cyrilli, & Methodii in Moraviam adventum; S. Methodii, Moraviae Archiepiscopi, labores evangelicos, & obitum.

PERIODUS III.

De statu Moraviae usque ad initia Marchionatus. Sive a seculo decimo ad duodecimum. A. C. 907 — 1182.

Historia politica exponit vastatae Moraviae terminos; varios illius duces ducibus Bohemiae subjectos; statum Moraviae politicum, jura primaeva, litterarum studia, & primos doctrina claros Moravos.

Historia ecclesiastica: Statum religionis christianae sub Moraviae ducibus; exteros Moraviae Episcopos; priorum X. Episcoporum Olomucensium res gestas, & Ecclesiae Olomucensis praerogativas.

PERIODUS IV.

De Marchionatu Moraviae usque ad obitum Wenceslai IV. Romanorum, & Bohemiae Regis. Sive a seculo duodecimo ad decimum quintum. A. C. 1182 — 1419.

Historia politica explicat Marchionatus initia; primos XIV. Marchiones tum proprios, tum Bohemiae Reges, eorumque gesta; Promarchionum, seu Capitaneorum Moraviae seriem; statum Moraviae politicum; Marchionatus leges, insigne, fodinas, mo-

monetam, agriculturam, mercaturam, artes, & opificia, litterarum ſtudia, & Moravos eruditione claros.

Hiſtoria eccleſiaſtica proſequitur ſtatum religionis chriſtianæ ſub Marchionibus; Olomucenſium XX. Epiſcoporum geſta; Eccleſiæ Olomucenſis ſplendorem, ac ſynodos diœceſanas.

PERIODUS V.

Ab obitu Wenceslai IV. Boh. Regis usque ad Ferdinandum I. Bohemiæ Regem, & Moraviæ Marchionem. Sive a ſeculo decimo quinto ad decimum ſextum. A. C. 1419 — 1526.

Hiſtoria politica deſcribit Huſſitarum, & Taboritarum depopulationes in Moravia; VII. Marchionum noſtrorum res geſtas; Promarchionum Moraviæ ſeriem; Moraviæ ſtatum politicum, jura, & conſuetudines, Tabulas publicas, diviſionem in circulos, fodinas, monetam, agriculturam, mercaturam, litterarum ſtudia, Moravos doctrina celebres, Typographiæ exordia.

Hiſtoria eccleſiaſtica: Statum religionis chriſtianæ ab hæreticis afflictæ; Valdenſium, ſeu Picardorum conventus; Olomucenſium VII. Epiſcoporum res geſtas; acta quorumdam Eccleſiæ Olomucenſis Adminiſtratorum.

PERIODUS VI.

A Ferdinando I. Rom. & Boh. Rege usque ad Augustissimum Imperatorem JOSEPHUM II. Rom. & Boh. Regem. Sive a seculo decimo sexto ad decimum octavum. A. C. 1526 — 1785.

Historia politica refert res in Moravia gestas sub Austriacis Imperatoribus, & Marchionibus nostris, praesertim: Moravorum adversus Turcas expeditiones; incursiones Bocz'kajanas; intestinos Moraviae motus sub Imperatoribus Rudolpho I. & Ferdinando II.; Moraviae reformationem; Suecicas vastationes; rebellionem Rakoczianam; bella Borussica; Promarchionum Moraviae seriem; statum politicum, jura, fodinas, agriculturam, mercaturam, litterarum studia, Moraves eruditione conspicuos.

Historia ecclesiastica enarrat turbulentum christianae religionis statum; Anabaptistarum errores, aliasque in Moravia sectas; orthodoxae fidei incrementa, & progressus; Olomucensium XX. Episcoporum res gestas usque ad Celsissimum Principem, & Archiepiscopum ANTONIUM THEODORUM Comitem a COLLOREDO.

III.

HISTORIA MORAVIÆ.

PERIODUS I.

De Marcomannorum, & Quadorum regno, ejusque interitu. Sive a primo æra christianæ seculo ad quintum.

I.

Marcomanni sæpe nimium infesta Romanorum signa pertæsi, jam Julii Cæsaris tempore *a*) tutiores quærebant sedes, quas postea, duce, & auctore *Marobuduo*, repererunt. Hic Marcomannico genere natus, *b*) jam inde a teneris in aula *Augusti Cæsaris* Romæ liberalibus artibus instructus, moribusque Romanorum fuit eruditus. In patriam redux, quum singulari prudentia, fortitudine, ac rei militaris peritia unus omnium maxime floreret; summam imperii adeptus, dominationem regiam invexit. Hinc assidua Romanorum incursione, limitumque custodia populum suum ut liberaret, *Harudes*, ac *Sedusios* in societatem pertraxit, maximaque armatorum manu *Bojos*, seu *Bojemos* domuit; quorum terris occupatis, ditioni suæ seu armis, seu pactis, subjecit finitimos quosque po-

A.C.5-

Marobu Rex.

5.

a) Cæsar Bell. Gall. L. I.

b) Strabo L. VII. Vell. Patere. hist. Rom. L. II.

populos, & ipsam adeo *Quadiam*, cujus a Danubio, seu patentibus campis (Marchfeld) versus Lunæ silvam (Böhmerwald) ad Nissam usque Silesiæ, Cracoviam Poloniæ, & partem Hungariæ superioris Granua, imo Tibiscotenus protendebantur, *c*)

II. Vastissimo hoc imperio potitus *Marobuduus* (Marbud) ipsis etiam Romanis adeo metuendus evasit, ut *Augustus Cæsar* de illo opprimendo, etsi frustra, Dalmatico impeditus bello, consilium inierit. Sed quem fortuna summis ornavit beneficiis, in calamitatem depulit. Nam *Arminius* (Hermann) Cheruscorum Rex, *Quintilii Vari* tribus legionibus deletis,

A. C. 10. Marbuduum ad arma contra Romanos socianda invitabat, misso *Quintilii Vari* capite; quod ille *Augusto Cæsari* Romam deferendum curavit. Unde Cheruscorum arma in se acuit, & odia suorum, quibus videbatur noxium libertati Germanorum fœdus cum Romanis iniisse, plurimum accendit. *d*)

14. III. Gliscentibus inter Marcomannos odiis, mortuoque *Augusto Cæsare*, *Arminius* acerrimo prælio *Marobuduum* adortus, fusis dextris utrinque cornibus, victas dare manus compulit; *e*) *Drusus* vero specie pacis firmandæ a *Tiberio Cæsare* missus, nobilem inter Gothones *Catualdam* adversus eundem concitavit. Qui clientum suorum præsidio suffultus, Marcomannis in defectionem ruentibus, facili negotio *Bubienum* (hodiernam Pragam) castellumque *Marobuduum* cepit. Quare Marobuduus a suis desertus, in Noricum Ripense confugit, inde datis ad Tibe-

c) Christoph. de Jordan. Orig. Slav. P. I. c. 5.

d) Vell. Paterc. l. c.

e) Tacitus Annal. L. II.

berium litteris, opem implorans. At præter tutum Ravennæ asylum, nihil obtinuit, ac duos de viginti annos meliorem sortis aleam frustra præstolando obiit: Rex olim tantæ potentiæ, ut ipse *Tiberius Cæsar* (teste Corn. Tacito) *f*) profiteatur: *Non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum populo Romano perinde, ac Marobuduum, metuendos fuisse.*

IV. Quum *Catualda* (Gottwald) Marcomannis aspera aliquamdiu daret jura, Quadi *Vannium* Regem elegerunt. Postquam vero *Vibillius* Hermundurorum Rex, subdolis *Drusi* artibus excitatus, *Catualdam* crudeli regimine suis odiosum, Marcomanniæ regno exuit, atque ad Romanos fugere coegit; Marcomanni non *Vibillium*, sed, in quem animis propendebant, *Vannium*, natione Quadum, a *Tiberio* Regem obtinuerunt. *g*) A. C. 2

V. *Vannius* Marcomannis, & Quadis pacata diu dedit imperia; auctis tamen postea viribus, ultra Valeriam, seu Carinthiam cum exercitu progressus, Romanos tanto perculit metu, ut eundem regno privatum cuperent. *h*) Sed potentia, suorumque fides diu præstitere tutum, dum rursus Hermundurorum Rex *Vibillius*, ætate jam gravis, ac duo e sorore *Vannii* nepotes (*Vangio*, & *Sido*) a Romanis incensi, conjunctis viribus, avunculum adoriuntur, sede regia dejiciunt, ac renovato in finibus Quadiæ prælio victum, in Pannoniam fugere compellunt. *Vannia* 28. 50.

f) Idem l. c. Et Jo. David Kochlerus dissert. de Rege Marcomannorum Maroboduo Tiberii artibus circumvento.

g) Idem l. c.

h) Sex. *Rufus* in Breviario.

lunt. Inde amplissimum *Vannii* regnum (Marcomannorum, Quadorum, Semnonum, Gottorum, Burgundionum, Longobardorum terris circumscriptum) *Vangio*, ac *Sido* ex æquo partiuntur, quod deinde nunquam coaluit. *i*)

Vangio Rex. VI. *Vangio* Quadiæ Rex nec diuturnum, nec ullis præcipuis factis illustre gessit imperium. Neque magis sunt explorata, quæ patrii quidam scriptores memorant, de ceteris Quadorum regibus, quum de his duntaxat bellorum occasione coævorum annales meminerint. Illud omnino certum, Quados cum Marcomannis perpetuo fœdere junctos, in id potissimum incubuisse, Romanorum jugum ut excuterent. A. C. 91. Ita animati, *Domitiano Imp.* subsidiarios mittere contra *Dacos* (hodiernæ Transylvaniæ, Vallachiæ, & Moldaviæ incolas) recusarunt. Quod ille ulturus, bello eos quidem adortus est; collatis autem signis, fusus, fugatusque, missis nunciis, *Decebalum* Dacorum Regem ad pacem ineundam allexit. *k*) 107. At *Imp. Trajanus* Dacis perdomitis, pugna acerrima Quados cum Marcomannis ita protrivit, ut Regem a Romanis petere cogerentur, ipse autem *Trajanus* potiore, ac nuper *Domitianus*, jure triumphum Romæ ageret. *l*)

VII. Succrevere nihilominus vires Marcomannis, & Quadis adeo, ut a *M. Aurelio Antonino Imp.* 163. contra eorum incursiones *Vindobona* (hodiernæ Austriæ Metropolis) seu condita, *m*) seu

---

i) Christoph. Jordan. P. I. c. 5. Et Frideric. Wilhelm. Sommerus Hist. de regno Vanniano.

k) Dio Cassius hist. *Rom.* L. LXVII.

l) Lazius L. IX. de Migr. Gent. Et Tacitus in vita Agricolæ c. 39.

m) Sigism. Calles Annal. Aust. L. I. — Lambecius Biblioth. Vind. L. II.

ſeu ad urbis celebritatem perducta, aliaque id genus præſidia lævo, dextroque Danubii latere, excitata ſint. Id quod utrique populo ita moleſtum accidit, ut cum vicinis Germaniæ gentibus de reſtituenda libertate pactionem facerent, quam Scriptores Romani *fœdus*, aut *bellum Marcomannicum*, a fortiſſima hos inter fœderatos Marcomannorum gente, appellant. *n*) Itaque collectæ magnis agminibus gentes, ac nationes Germanorum, *Vindicem* Romanæ aciei præfectum maxima clade afficiunt, ac fugientes hoſtium cohortes perſecuti, Aquilejam obſident, Opitergium excindunt, & evertunt. *o*) Periclitanti Romano imperio ſuccurrit *Pertinax p*) belli gerendi gnarus, qui fœderatos ſumma clade perculſos, ex Italia depulit; *Candidus* vero legionibus ſuppletis, Longobardorum, & Obiorum phalanges, trans Danubium errantes, ad internecionem prope delevit. Hinc Marcomanni, & Quadi, miſſis legatis, pacem petierunt, quam jurejurando firmatam, gravibus conditionibus impetrarunt. *q*)

A. C. 166.

168.

VIII. At vero legati vix rediere ad ſuos, cum iniquas pacis conditiones exoſi fœderatorum principes, rurſum ad arma convolarunt. Inde tribus omnino annis dubio Marte pugnatum eſt; dum tandem *M. Aurelius Antoninus* admirabilem (de qua omnes ſacri, profanique hiſtorici) victoriam de Marcomannis, & Quadis in ipſis Quadiæ finibus (hodierni Strigonii vici-

174.

n) Julius Capitol. in M. Aurel. Anton. c. 22.

o) Dio Caſſius *L.* LXXI. — Ammian. Marcell. L. XXIX.

p) Dio Caſſius l. c.

q) Pet. Patric. in Excerptis de Legationibus.

vicinia) ope Christianorum reportavit. r) Quum enim Romanus exercitus stratagemate hostium, qui studiose pugnam declinabant, steriles inter montes delapsus, circum undique ita clauderetur, ut non modo summum ob æstum aquæ inopia laboraret, sed ne locus quidem, aut spes erumpendi pateret: *Melitina legio* ex christianis conflata, Dei opem contra barbaros ardenti prece implorans, fœcundissimum imbrem impetravit, qui lassas Romanorum cohortes recreavit, ac refecit; ingenti autem fulgure, tonitru, fulminibusque permistus, hostilia agmina ita perterruit, ut metu prope exanimes, loco fugerent. Hoc cœlesti præsidio Romanus exercitus trepidantes hostes aggressus, prægrandi clade, atque internecione affecit, omnibusque castris, atque impedimentis exuit.*) Hinc

r) Euseb. in Chronic. — Jul. Capitol. l. cit. c. 24. — Dio apud Xiphilinum.

*) De prodigiosi illius imbris veritate nemo jure dubitaverit: cum ille & Christianorum, & gentilium Scriptorum coævorum testimoniis, & nummis in memoriam hujus victoriæ cusis, & celebri illa columna Antonini, *Romæ* etiamnum superstite, expressus sit. Vid. Baronius ad A. C. 176. At quemadmodum Christiani imbrem hunc precibus suis ad Deum fusis, ita gentiles eundem partim Jovi, vel Mercurio, partim artibus magicis Chaldæorum, aut Ægyptiorum tribuebant. Vid. Lamprid. in Heliogab. c. 9. Claudianus in Consulatu Honorii v. 342. seq. Dio Cassius, & Epitomator ipsius Xiphilinus in Marco Aurelio. In nummis M. Aurelii apud Vaillant Numism. Imp. p. 31., & Patinum Numism. Imp. pag. 239. edit. Argentinæ, uti & in dicta Antonini columna imber hic conceptis verbis Jovi adscribitur. — Gentilium Scriptores, inquit Eusebius in Chronico ad A. 2189., utpote a Religione nostra dissidentes, hoc quidem mi-

Hinc reliquiæ Marcomannorum, duce *Marcomaro*, *s*) in patriam ſilvis, ac montibus ſeptam, omni feſtinatione properarunt. Cum Quadis vero

miraculum commemorarunt: non tamen id noſtrorum precibus factum eſſe confeſſi ſunt. Noſtri vero, utpote veritatis cultores, ſimpliciter, atque ingenue rem ipſam litteris tradiderunt. Ex his eſt Apollinaris: qui legionem ipſam, cujus precibus id miraculum perpetratum eſt, exinde — fulmineam ab Imperatore cognominatam eſſe ſcribit. Sed & Tertullianus ejusdem rei idoneus teſtis eſt in apologetico. — Scribit enim Marci Imp. litteras adhuc ſua ætate extitiſſe, quibus teſtabatur, exercitum Rom. in Germania, cum aquæ penuria jam jam periturus eſſet, Chriſtianorum precibus eſſe ſervatum. Eundem quoque Principem capitis pœnam comminatum eſſe dicit accuſatoribus Chriſtianorum. Hactenus Euſebius. Vid. etiam Gregor. Niſſ. Orat. II. de 40 Martyribus, Paulus Oroſius L. VII cap 15. Georg. Cedrenus Hiſt. compendio de M. Antonino, Joann. Zonaras Annal. T. II. de M. Anton. aliique. Concludit Ant. Pagius in Critica Baronii ad A. C. 174. Nos, inquit, cum Valeſio in Notis ad L. V. Euſebii cap. V. facile credimus Apollinari, Euſebio, & Tertulliano, qui pluviam a militibus Chriſtianis impetratam teſtantur. Sed non dubitamus, quin multa falſa veris admixta fuerint. Unde rejicit 1mo: Epiſtolam, quæ ad calcem poſterioris apologetici apud Juſtinum legitur, quam non ab Imperatore dictatam, ſed ab imperitiſſimo rerum *Romanarum* græculo confictam eſſe adſerit ex Scaligero, Salmaſio, & Huetio. 2do: Edictum in Accuſatores Chriſtianorum non negat quidem fuiſſe latum, ob auctoritatem Tertulliani; ſed ex eo Chriſtianos nullum fructum percepiſſe ait, propter Proconſulum, ac concitatæ plebis crudelitatem. 3tio: quod ad legionem fulminatricem attinet: eam ab hoc miraculo cognominatam non eſſe

s) Sex. Aurel. Victor de Cæſaribus c. 16.

vero pax his legibus facta: ut Marcomannorum societatem ejurarent; quae pridem custodia tenuerant, decem & tria captivorum millia redderent; ac Regem a Romanis constitutum aequo animo ferrent. Enimvero constituit Imperator Regem *Furtium* t) quemdam; Quadorum autem pactis diffidens, viginti legionariorum militum millia in castellis, ad Danubium pridem extructis, collocavit, & reliquo exercitu in ditiones Romanas abducto, Romam triumphali curru ingressus est.

A. C. 179. IX. Haec ita comparata graviter, & acerbe tulerunt Quadi, magisque irritati sunt, quum praesidiarii milites pascua, & agriculturam Quadiae assidua incursione praepedirent. Quare accitis veteribus amicis Marcomannis, & auxiliaribus Hermunduris, aliisque Sarmatiae populis, rursum ad arma concurrunt, obtrusum sibi Regem Quadiae rejiciunt, ejusque in locum *Ariogaeso* u) substituto, in fines Romanorum impressionem faciunt. Qua defectione cognita, *M. Aurel. Antoninus* collecto cum exercitu, ad seditiosos opprimendos contendit, Quados, sociasque gentes praelio, ad seram usque noctem protracto, fudit, ac resistendo impares, quotquot armis erant idonei, in Romanas ditiones abduxit. Tam felici rerum successu inclitus *Antoninus*, decimum, ob res decies praeclare gestas, Imperator Romae salutatus est, x) qui paullo post

Ariogaesus Rex.

180.

esse fatetur: cum diu ante M. Aurelii tempora ita appellata fuerit. Vid. Baron. l. c. Calvisius Op. Chronol. ad A. C. 174. in M. Aurelio, & Sigism. Jac. Baumgarten, qui de argumento hoc optime egit in examine miraculi legionis fulmin. Halae, 1740.

t) Dio Cassius L. LXXI.

u) Dio Cassius l. c.

x) Cassiodorus in Chron.

post Vindobonæ (hodiernæ Austriæ Metropoli) fatis nisi cessisset, Germaniam, & Sarmatiam in provincias redigere, aut Marcomannos, & Quados stirpitus excindere parabat. *y*)

X. Segnius rempublicam gessit *Commodus*, *M. Aurel. Antonini* filius, qui non armis, sed quieti, & otio natus, cum Quadis in concordiam rediit, eaque diuturnior ut esset, præsidia omnia e castellis Transdanubianis, accolarum irritamentis, retraxit, ac plura Quadorum millia in stipendium Romanum assumsit. *z*) Unde sub Imperatoribus *Pertinace*, *Didio*, & *Severo*, de Quadorum gestis silent veteres historiæ; Reges tamen precario illis datos fuisse, minime obscurum est. Novum postea exarsit bellum, postquam *Caracalla Gajovomarum* Quadiæ Regem, levibus de caussis in vincula conjectum, interimi jussit. *a*) Hoc enim facinore plerique Germaniæ populi conciti, arma pro salute communi ceperant; a quibus dein discesserunt, celebri victoria *Caracallæ* delata, quæ illi nomen *Germanici* peperit, *b*) simulque occasio fuit, ut Quadis porro amice uteretur, eorumque validissimos corporis sui custodes deligeret, *c*)

A. C. 192.

Gajovomarus Rex.

213.

XI. Ea pace Quadi amplius vicennio frui-ti, paullatim collectis viribus, denuo cristas tollere, ac Romanorum agros depopulari non dubitarunt. Quos *Alexander Severus*, oraculis eventum belli minus fortunatum præsagientibus, magna

238.

---

y) Julius Capitol. in M. Aurel. Antonino.

z) Dio Cassius L. LXXII.

a) Dio Cassius L. LXXVII. — Lexicon Zedleri voc. *Quadi*.

b) Ælius Spartian. in Caracalla.

c) Herodianus L. IV. c. 12.

magna pecuniæ vi delinivit; *d*) *Julius Maximinus* ferro, & igne compescuit, *e*) eorumque vicos, quadringentis stadiorum millibus comprehensos, incendio delevit; *Gallienus* tandem aliquantum pacatos reddidit, postquam *Attalo* Quadiæ Regi partem Pannoniæ certa pactione cessit, ejus filiam *Piparam* matrimonio sibi junxit, atque Augustam appellavit. *f*) Verum ubi *Gallieni* socordia evenit, ut triginta Duces, & Præfecti regalem potestatem in variis Romanorum provinciis adsumerent; etiam Quadi cum auxiliaribus copiis in evertendo Romano imperio omnes nervos contenderant, quos iterum Romani Imperatores inciderunt. Nam *Claudius II.* in eos arma vertit, pacemque exposcere coegit; *g*) *Probus* Illyrico profligavit; *h*) *Carus* in Thracia, Italiaque populabundos aggressus, sexdecim eorum millia neci dedit, ac vicies mille diversi sexus captivos *i*) duxit; denique *Diocletianus* assiduas Germanorum populationes pertæsus, coacto robusto exercitu, gravi adeo clade eos protrivit, ut longo post tempore ab imperio non deficerent. *k*)

Attalus Rex. *A. C.* 261. 277. 283. 288.

XII. At negotia bellica magis, quam pacis otia bellicæ Quadorum genti arrisêrunt. Hinc viribus renovatis, junctoque cum Sarmatis fœdere, Romanas in ditiones novo ausu irrumpunt. Sed a *Constantino II.* victi, veniam, & pacem impetrant, rituque pa-

358.

d) Idem L. VI. c. 14.
e) Julius Capitol. in Maximino.
f) Trebell. Pollio in Gallieno.— Euseb. in Chron. — Aurel. Victor Epitom. c. 33.
g) Zosym. L. I.
h) Fl. Vopiscus in Probo.
i) Sex. Aurel. Victor Epitome
k) Eutrop. L. IX.— Aurel. Victor in Diocletiano.

patrio eductis mucronibus, quos pro numinibus colebant, ad fidem servandam jurejurando se obstringunt. *l*) Fregerunt nihilominus fidem, quum *Valentinianus* in eorum finibus castella exstrui, *Marcellianus* autem Valeriae praefectus, *Gabinum* Quadiae Regem specie convivii accitum, inter ipsas hospitales epulas trucidari jussit. *m*) Utroque hoc facto plurimum incensi, commilitonibus finitimis gentibus, catervas in Valeriae provinciam effundunt, legiones Romanas *Pannoniam*, & *Maesiam* occidione occidunt, *Carnuntum*, nobilissima Romanorum colonia celebre, in cineres redigunt; majorem Romanis ditionibus calamitatem illaturi, nisi innumera prope Sarmatarum, sive Slavorum multitudo sedibus suis egressa, Romanorum simulasset amicitiam; *Valentinianus* autem formidolosam aciem ad Carnuntum squallidum instruxisset. His cognitis, Quadi summa festinatione in patriam properant, missis ad Imperatorem legatis, qui pacem, & castellorum trans Danubium demolitionem peterent. Quod postulatum perquam arrogans eo iracundiae *Valentinianum* abripuit, ut vena rupta, impetus sanguinis prius vocem, mox vitam ei auferret. *n*)

A. C. 373.

375.

XIII. Atque ab eo tempore Quadorum natio nimium quantum antehac bellatrix, parum jam formidanda Romanis accidit. Nam leviora deinceps infausto Marte gessit praelia, & ipsum Quadiae Regnum in plures abivit respublicas, quibus illud evenit, ut, quum pugnarent singulae, universae vincerentur. Quin immo Hunni, sedes jam pacificas in Pannonia

396.

B con-

l) Ammian. Marcell. L. XVI.
m) Idem L. XXIX.
n) Aurel. Victor in Epitome.

A. C. 401. consecuti, Quados Danubio tantum discretos, dominatui suo subjecerunt. His igitur, eorumque sociis *Herculis*, *Rugis*, & *Scyris* prementibus, Quadi partim aliorsum commigrant, partim in Moraviam hodiernam, & Silesiam superiorem, tamquam residuas sedes suas, sese contrahunt. Tandem migrandi occasio duplex potissimum 406. oblata est; altera *Vandalis*, *Alanis*; & *Suevis* in Gallias, ac subinde in Hispanias proficiscentibus; altera, quum Rex Hunnorum *Attila* non solum Slavos, aliosque Sarmatiæ populos torrentis instar secum per Europam rapuit, sed trajecto etiam Danubio, Quados, & Marcomannos, diu, multumque cædibus, & popula-450. tionibus attritos, in Gallias abduxit. *o*) Ita Quadia veteribus viduata, novis habitatoribus patuit. Prius vero, quam de his agamus, Hunnorum origo enarranda.

XIV. *Hunni* erant barbara Scytharum natio, qui exeunte sæculo IV. occupatis Alanorum regionibus, reliquos ad pontum Euxinum, & paludem Mæotidis incolas societate sibi junxerunt, & quadraginta circiter annorum spatio prædationibus, magnisque victoriis eo potentiæ creverant, ut ex Asia in Pannoniam, & Danubium usque protensi, populis finitimis terrori essent. *p*) Tandem nacti sunt Ducem *Attilam*, virum ea ætate, si barbariem tollas, summis cum heroibus comparandum, qui consilio in agendis, in exequendis felicitate præditus, orbis totius imperium Sarmaticis, Scythicisque populis vindicare parabat. Ad facinus hoc auden-

---

o) Christoph. Jordan Orig. Slav. P. *I*. c. 28.

p) Ammian. Marcell. L. XXXI.

audendum etiam Henetos, ſeu Slavos incendit, quibuscum in Europam effuſus, Romano imperio excidium minabatur. Hinc aſſumto Regis titulo, primum Thraciam, utramque Daciam, Mæſiam, & Illyricum populabundus ingreditur; tum Pannonia occupata, domitisque vicinis Danubio populis, ingenti exercitu (ſeptingenta armatorum millia numeraſſe dicitur) Germaniam, & Galliam depopulatur, donec in campis Catalaunicis (ubi hodie Catalaunum) a Duce Romano *Aetio*, auxiliaribus Viſigothis, Burgundionibus, Francis &c. cæſus, ac fugatus; tandem vero pluribus Italiæ urbibus deletis, Rom. Pont. *Leone I.* hortante, in Pannoniam redux, nimio vini hauſtu obiit, ſimul autem regno Hunnico excidium attulit. q)

VARIÆ ADNOTATIONES

IN PRIMAM PERIODUM HISTORIÆ MORAVIÆ.

Mores Quadorum.

I. De moribus *Quadorum* ea tantum explorata ſunt, quæ ſcriptores Romani a) de antiquis Germanis, quibuscum paria *Quadi* fecerant, memoriæ prodiderunt. Erant nempe natio cultu vitæ aſpera, litterarum expers, ignara ſcientiarum, & artium, libertatis, & armorum perquam ſtudioſa. Leges uſu receptas, imprimis fidem amicis, & ſociis ſponte datam, ſanctiſſime colebant, pacta, & fœdera cum hoſtibus inita, haud diutius ſervanda credidere, quam aut commoda propria, aut neceſſitas exigerent.

 II.

q) Dobner Prodrom. Annal. pag. 129. — Pock Tab. hiſt. ad h. a.

a) Citant. a Cluverio in Germ. antiq.

Ratio vitae. II. *Vestitus* ex aluta, & pellibus ferarum erat usitatus, saepe etiam ex lana, & lino, aut arborum libris contextus; interdum pedes perone setoso talos adusque vinciebant; pugnantes seu medio corporis tegumento, seu lorica e corio crudo, galea ferrea, scuto bestiarum formas referente, framea, & hasta oblonga utebantur. *b*) *Victus* erant cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum; *potus* praeter aquam, & lac erat *zythus*, sive cerevisia ex hordeo, aliove frumento confecta, donec tandem in Romanas ditiones saepius egressi, meliorem rerum omnium cultum didicere. *c*)

Domicilia. III. Ut Germanis ceteris, ita & Quadis primum nullae fuerunt urbes, sed sparsi in agris, & silvis cum suis quisque liberis, ceteraque familia, prout campus, vel nemus placuit, discreta habuerunt domicilia; immo & subterraneos specus hyeme incolebant. Tum vicos elegerunt, non quidem more hodie recepto, connexis, & cohaerentibus aedificiis, sed suam quilibet domum spatio circumdabat. Tandem plures id genus domus congregatae, ac septae, oppidum, sive Burg, incolae vero *burgarii* (inde germanicum Bürger) appellati sunt. In ea Quadiae parte, quae hodiernam Moraviam constituit, aevo Quadorum fuisse oppida, ex Geographia Claudii Ptolomaei patet, nempe *Eburodunum*, hodie Brünn, *Eburum*, hodie Ollmütz, *Medoslanium*, hodie Znaim. *d*)

...gotia, & opes. IV. Quum pacem tutam, tranquillamque traherent, venationibus, ac studiis rei militaris for-

b) Cluverius L. I. c. 16.
c) Idem c. 17.
d) Idem L. I. c. 13. & L. III. c. 31.

fortissimi quique, ac bellicosissimi vacabant; cura rei familiaris, & agrorum cultura feminis, senibus, atque imbecillis relicta est. Nullum mercaturæ genus, nulla exercebant commercia; sed quisque cum suis victui necessaria ex agris, pecoribus, ac feris comparabat; cetera utensilia commutatione rerum obtinuit. e) Summæ opes, & divitiæ fuerunt pecora, arma, bellicus apparatus. Auro, & argento in nummos cuso carebant, neque propria utebantur pecunia, nisi qua Romani pacem mercati, aut victi prædæ loco dederant. Hinc tributa Regibus suis pecore, aut frugibus præstabant; proinde aurei, & argentei nummi effigie *Antonini*, *Commodi*, *Julii Maximini*, aliorumque Imperatorum signati, quos in agris ad Teyam, & Hannam fluvios, alibique locorum erutos narrant incolæ, sunt prædæ a Romanis ablatæ, quos ethnici majores nostri, defunctorum cadaveribus nauli instar apponere consueverunt. Certum namque, & indubitatum, Romanos his in oris prælia cum Marcomannis, & Quadis nunquam commisisse. f)

HISTORIA ECCLESIASTICA.

Cultus Deorum.

I. Quadi cum Germanis aliis falsos colebant Deos, quorum præcipui: *Teutb*, aut *Teuten* Deorum omnium maximus; *Erich* bello-rum

e) Idem L. I. c. 18.

f) Dobner Annal. P. I. pag. 108. Et Voigt Beschreibung der böhmischen Münzen. V. Stück. 79. B. obi rejicit opinionem *Str'zedovskii*, qui S M. Hist. L. I. c. 3 narrat, in vicinia Welehradensi varios fuisse nummos erutos cum notis, & inscriptione Marcomannorum.

rum Rector; *Aerth*, seu *Herthus*, terra rerum omnium mater. His non modo cæsis animalibus, sed humanis quoque victimis litare, & lucos, ac nemora (templis enim, & statuis deorum carebant), consecrare solebant, in quibus omnes ejusdem communionis, stato tempore tanta cum reverentia convenere, ut nemo, nisi solenni ligatus cingulo, adesset. Sacrificuli fuere tum viri, tum feminæ vates, quarum vaticinia in consultationibus, publicisque negotiis, præcipuo erant loco. Communia vero, & pervulgata erant auguria, sortes, & auspicia, quæ aut ex virgis, fructiferæ arbori decisis, aut super candida veste fortuito sparsis, aut ex hinnitu, & fremitu equorum, sacro currui junctorum, observabant. g)

Religio Christiana. II. In summa rerum omnium ignoratione versantibus, quædam Religionis Christianæ lux omnino illuxit Quadis nostris; quandoquidem & multi ex præsidiariis militibus Romanis, Christianorum sacris addicti, in ipsis Quadiæ finibus agebant; & viris Evangelii doctrina imbutis, ex ditionibus Romanorum ad oras istas facilis patebat aditus. Omnis tamen illa, quanta quanta fuit, Religionis Christianæ lux cum interitu Quadorum evanuit. Hinc dilucide apparet, quam firmo nitatur talo eorum opinio, qui nullo Marcomannos inter, & Quados discrimine facto, nimium fidenter asserunt, jam æræ christianæ anno 47. *Laurentium S. Petri discipulum* veram Religionem Quadiæ annunciasse; Rege *Vangione*, Zarosficii, hodie in districtu Brunensi vico, templum vero Deo excitatum; anno 396. S. Ambrosium Reginæ Mar-

co-

g) Tacitus de morib. Germ.

comannorum, hoc eſt, Quadorum *Fritigil*, ejusque conjugi *Roſemundo* præcipua fidei chriſtianæ capita, datis litteris, expoſuiſſe; tum vero Epiſcopatus *Velebradii*, *Juliomontii*, ſeu *Olomucii*, *Nitriæ*, & *Aſturi*, ſeu *Stokeraviæ* in Auſtria erectos fuiſſe, quarum ſedium celebriores Antiſtites fuerint *Fretella*, & *Sunnias*. Sed

III. Primum illud, & alterum ſine ulla veterum Scriptorum auctoritate fruſtra aſſeritur. *Fritigil* cum *Roſemundo* Marcomannis in Bohemia, non Quadis, jura dediſſe legitur, etſi fortaſſis quidam illorum Quadiam incolerent. Poſtremum prorſus rejiciunt eruditi, utpote adverſum vetuſtiſſimis documentis, & traditioni: *SS. Cyrillum*, & *Methodium primos fuiſſe Moraviæ Epiſcopos* Et quis *Fretellam*, ac *Sunniam* inter primos Quadiæ Epiſcopos numeret? S. Hieronymus epiſt. 135. (qua potiſſimum nituntur aſſertores) Getarum nomine *Gothos*, non vero *Quados* intelligit, nec uſpiam *Fretellæ*, aut *Sunniæ Epiſcoporum* meminit. Paucis, quæ de Epiſcopatibus *Moraviæ Magnæ* Seculo IX. referenda ſunt, patrii quidam Scriptores Seculo IV. eveniſſe, nullo ſolido nixi fundamento, affirmant. *b*)

 PE-

b) Dobner Annal. P. I. pag. 114. P. II. pag. 390. & 486 — 494. Initia fidei chriſtianæ in Moravia dilucide quoque expoſuit *Nicolaus Richter* in libello: Uiber die Volkssprache bei dem öffentlichen Gottesdienſt. Wien, 1783.

PERIODUS II.

De regno Slavo-Moravorum, usque ad ejus eversionem, sive a seculo quinto ad decimum. Annus Christi 450 — 907.

I.

Posteaquam Slavi, quos latini Scriptores *Henetos, Venedos, Vinidos, Venetos*, & *Antas* vocant, *a*) in excidium Romani imperii cum *Attila* Hunnorum rege conspiraverant: trajecto Danubio, Quadis, & Marcomannis collectis, profecti sunt in Galliam; accepta vero in campis Catalaunicis clade, ipsi perinde, ac Hunni relegere iter coacti sunt. Extincto subinde *Attila*, quum vastissimo illius regno par filiorum esset nullus, populis pene omnibus, qui eidem antea parebant, Hunnorum jugum excutientibus, etiam Slavorum pars in Quadia Slavicam auspicata est rempublicam, & Quadorum reliquiae longinquitate temporis in unam cum illis gentem coaluerunt. Verum non subito, ut in summa rerum perturbatione accidit, quietas omnino sedes tenuerunt, quum prius *Rugi* rege *Feletheo* ab Hunnis scissi, omnia trans Danubium spatia velut delibarint, ob quod Bohemia, & Moravia ab exteris *Rugiland*, quasi *Rugorum patria* vocitata est. Tum *Feletheus* ipse res novas moliens, ab *Odoacro* Herulorum rege & im-

A. C. 454.

a) Leibnitz differt. miscell. Berolin. Et Dobner. Annal. P. *I*, p. 123.

& imperii Romani moderatore bello captus, *Fridericus* autem ejus filius in Mœsiam inferiorem ejectus est. *Odoacro* demum per insidias *Theodorici* Ostro-Gothorum regis occiso, complures Slavorum turmæ e Pannonia, ubi sub *Babai* *) signis militaverant, liberius progressæ omnia trans Danubium loca velut inundarunt, & *Magnæ Slavoniæ* nomen pepererunt, quæ à Turingia in orientem, & septemtrionem ad ipsum usque Tanaim protendebatur. *A. C.* 493.

II. Hoc igitur tempore Slavorum nomen inclaruit, quum ipsi sese nec *Hunnos*, nec *Avares*, quæ nomina illis aliquamdiu hæserant, palam testarentur; sed in varias ritu suo respublicas divisi, aut a locis recens occupatis, aut vario etiam casu singularia nomina adsciscerent. Inde factum est, ut, qui Bohemiam incolebant, *Slavi Bohemiæ*; qui regiones Quadorum obtinebant, Slavi *Marhanenses*, & *Maravani* dicerentur, a *Maraba* flumine. Inter hæc *Tato* Longobardorum Winulorum Rex in patentes Moraviæ campos (Marchfeld) populares suos traduxit, quibus paullo post ejectis, Marhanenses liberam vixerunt vitam; donec a *Dagoberto* Francorum rege ad deditionem subacti, annuo obnoxii tributo redderentur. *b*) Hinc *Samonem* quemdam, aliorum Slavorum exemplo *Wogewodam*, seu belli ducem *c*), aut si mavis, regem *d*) adsciverunt. Erat ille quidem natione Slavus, sed 500. 610.

*) Hanc *Babai*, seu *Babakum* fuisse an. 472. primum Moravorum regem statuit Pessina Mart. Mor. L. I. c. 3. L. II. c. 4. quem refutat Jordanus Orig. Slav. c. 25. n. 962.

b) Vid. Dobner in Prodr. p. 167.

c) Dobner ad an. 657.

d) Pelzel hist. Boh. in Samone. Et Dissert. de Samon. T. I. Dissert. Born.

ſed Sorabus, rei militaris perquam gnarus, quem *Francum*, quod Francis parerent Sorabi; *mercatorem*, quod ſtipendio militaret, ſcriptores quidam dixerunt. Hujus auſpiciis partim Avarum, partim Francorum jugum excuſſere Slavi, eaque felicitate annos quatuor, & triginta fruebantur, ut quoad vir ille id ætatis facile ſummus viveret, vel umbra ſervitutis a natione Slavica procul abeſſet.

A. C. 659. III. Ab obitu Samonis, quamquam duos ultra viginti filios, & quindecim filias reliquiſſe legitur, iterum ſine rege, ac duce more patrio egere vitam Moravani. **) Nam licet Fran-

---

**) Peſſina Mart. Mor. L. II. c. 4. aſſerit ab anno 690. poſt Samonem regnaſſe in Moravia uſque ad Moymirum ſex reges ſequentes: *Marothum*, ſeu *Marovodum*, *Suatoſs*, ſeu *Suatben*, *Samomirum*, *Samoslaum*, *Lechum*, & *Hormidorem*. Hos tamen e numero regum Moraviæ hiſtorica criſis excludit. Nam 1) *Marothum*, & *Suatoſſium* nec Veſprimii regiam ſedem habuiſſe, nec Moravorum regem eſſe potuiſſe, ſolidis argumentis probat Dobner ad annum 686. Et quamquam Aſſeman, Tom. III. P. I. c. 2. ait, *Marothum*, & *Suatoſs* fuiſſe Samonis filios; eos tamen aliis Slavis, quam Moravis præfuiſſe teſtatur. 2) *Samomir Boruthi* Croatarum ducis filius fuit, proinde non ad Moravos, ſed Croatas ſpectat: quamquam hiſtoria Juvav. Eccleſ. & Annales Boi.i non niſi *Caratium Boruthi* filium norunt. Jordan. c. 22. n. 24. item c. 28. n. 30. ſolius Peſſinæ auctoritate *Samomirum* regem recipit. 3) *Samoslaus* nullo veteri documento nititur, actaque ejus tempore, quæ refert Peſſina Mart. Mor. L. II. c. 4. & Stredovsky S. M. H. L. I. c. 9. refutat Jordanus c. 28. n. 31. ſeq. & Dobner ad ann. 791. Adde, quod anno 791. Carolum M. contra Hunnos proficiſcentem

Franci finitimis Bavaris, & Saxonibus vectigali subjectis, diu, multumque eorum curam exercuerint: nihilosecius immunes ab extera domination· pluribus annis manserunt. Immo A. C. 767. servientes tempori, societate cum Hunnis inita, duplici exercitu, altero Marchiam Forojuliensem, 788. altero Bojoariam, seu Bavariam ingressi sunt; utrobique autem a Carolo M. Francorum rege victi, ac cæsi, ut cladem vindicarent, majoribus copiis subito collectis, Bojoariæ fines infestarunt. At rursum in primo statim conflictu a Bavaris pro Carolo M. dimicantibus fusi sunt, ac fugati, innumera prope multitudo cæsa, pars magna Danubium tranando aquis suffocata. e) Tanta clade at- 791. triti Marahenses, ad amicitiam Francorum accesserunt, eorumque beneficiis (Hunnis ex ripa Transdanubiana per Carolum M. ejectis) fa- 792. cile impetrarunt, ut limites suos a Taja fluvio ad ipsum Danubium, & terras ab Hunnis desertas protenderent. f)

IV.

tem deflexisse Welehradium, & Moravos ad fidem Christi adactos, non tacuissent Scriptores Francici, si id reipsa evenisset. 4) *Lechus* non Moraviæ Rex, sed exercitus *Neclani* Principis Bohemiæ dux fuit, occisusque est in bello contra Caroli M. filium Carolum an. 805. ut refert Jordan. loc. mox cit. Quin & *Pessina* non adversatur, si e numero Regum Moraviæ expungatur. 5) *Hormidoris* in veteri quodam scriptore ne vestigium quidem est. Et sane inconcinnum hoc jam ævo reges Moraviæ tribuere, quibus multo serius eam caruisse, constat. *Pessina*, & *Strz'edovsky* nitantur solum auctoritate *Hayecii*, & *Dubravii* sec. XVI. Scriptorum. Vid. Dobner ad an. 811. Neque Comenii auctoritas tanti est. Vid. Jordan. Sec. VIII. pag. 263.

e) Eginhard ad an. 788. *Annales* Laurisheim. ad eund. annum.

f) Dobner ad an. 792.

A. C. 796.

Moymirus Dux.

IV. Sed has recens occupatas tuti, ac tranquilli ut possiderent, bellicae rei ducem constituerunt *Moymirum* (aliis *Moymarus*, *Monomirus*, *Wonimirus* dicitur), qui conjunctis cum *Pipino*, & *Henrico* duce Forojuliensi viribus, Francorum partes tuitus, egregiam in profligandis ultra Tibiscum Hunnis operam locavit. Eandem praestitit e primoribus Slavorum *Todanus*, g) quem alii *Todund*, & *Zodun* vocant, alii vero *Hunnum* appellant, quod ripam transdanubianam, Hunnorum antea sedem, Moymiri nomine teneret. Hic ipse Aquisgrani sacris christianis imbutus, atque a *Carolo M.* maximis donatus muneribus, terrarum suarum deditionem fecit. *) Qua quidem ansam dedit seditioni inter suos, hostilitatibus apud Bohemiae Slavos; ideoque foedus, quod paullo ante icit cum Francis, turpiter rupit. *h*) Atenim exer- 803. citu a Francis in Pannoniam immisso, tum terrarum suarum vastatione, tum cladibus ad novum fidei sacramentum adactus, *Carolo M.* supplex cum exercitu se, suaque rursum tradidit.

---

g) *Annal.* Bertiniani ad an. 811. *Thudun*, & *alii primores Slavorum.* Vid. Dobner ab an. 795. — Pez. T. I. Script. *Austr.* — Eginhard. ad an. 796. — Bonfin. Dec. *I.* L. *IX.*

*) Hodie post editam a Dobnero contra Stephanum Salagium Dissertationem de Magnae Moraviae Regno, omnino certum est, *Todanum* gente Hunnum fuisse, ac nedum inter Slavos, sed ne Slavorum quidem Principes censeri posse. *Privinna* tamen, qui in Todani seu vivi, seu mortui, provincias trans Vagum sitas circa an. 830. successit, Slavicus, atque adeo Marahensis fuit Princeps, & quia baptismi ablutus, christiana sacra suscepit. Vid. Dobners kritische Abhandlung von den Gränzen Altmährens ꝛc Num. IX. p. 20. sq. & Num. XXV. p. 92. sq.

h) Eginhard. ad eundem annum.

dit. *i*) Bello hoc finito, *Carolus M.* in Bohemos, Sorabis, & Moravanis fœderatos, ſigna intulit; ſed clade illata, & viciſſim accepta, nec omnino victa, nec victricia retulit. *k*) Anno tamen ſequente Carolus Junior Magni filius, devictis prius Sorabis, etiam Bohemos fecit tributarios, ita ut quotannis 120 lectos boves, & 500 argenti marcas penderent; qua occaſione Moravia quoque ſub tributum fuerat miſſa. *l*) *A. C.* 805. 806.

V. A morte Caroli M. imperio Francorum potitus *Ludovicus Pius* Slavorum, præcipue Bohemorum, & Moravorum legationes cum muneribus miſſas benevole accepit, *m*) novoque Paderbornæ pacto cum utrisque inito, pluribus deinceps annis ab exigendo vectigali abstinuit. Nihilominus haud diu quieſcere licuit Marahenſibus. Nam *Tunaitanos n*), hoc eſt, Marahenſes Danubii accolas ad arma contra Francos pellexit *Liudevitus* ultra Dravum in hodierna *Slavonia* tum princeps, & *Moymiri* frater *o*), quem *Ludovicus Pius* infauſto primum marte, tandem triplici exercitu felicius aggreſſus, ad officium cum ejus fœderatis compulit. Pacatis Francis Moymirus cum tota familia ſua baptiſmo ablutus fuit, ac vel ideo *Prininnam*, ſeu *Privinnam* Todani ſucceſſorem exulare juſſit, nimium veritus, utne homo ethnicus ea rurſum everteret, quæ iſthic Todanus pro religione chriſtiana pie ſanxerat. *Prininna* exul ad *Ratbodum* 815. 819. 824. 830.

i) *Annal.* Metenſes ad an. 803.
k) *Annal.* Metenſes, & Moiſſiacenſes apud Dobner ad an. 805.
l) Ibid. ad an. 806.
m) Eginhard. ad ann. 815.
n) *Ibid.* ad an. 819.
o) Peſſina Mart. Mor. L. II. c. 2. pag. 35.

badum confinii Pannonici comitem profugit *p*), apud quem in fide Christi institutus, atque in Ecclesia S. Martini Treismæ, hodie *Trasmauer*, undis sacris tinctus, suscepto Brunonis nomine, terris ad Nitriam fluvium potitus, a Ludovico autem amplissimis ad Savum, & Dravum ditionibus auctus, in Carantania, & Sclavonia potissimum demorabatur. Sed orta hunc ipsum inter, & *Ratbodum* dissensione, *Privinna* cum filio suo *Hezilone* in Bulgariam, mox ad ducem *Ratimarum* Dravi accolam sese contulit; quo per Ratbodum a Ludovico missum victo, & fugato, ad comitem *Salachonem* trajecto Savo flumine, fugam cepit. *Ratbodo* tandem reconciliatus, cum *Ludovico* redivit in gratiam, cujus clementia obtinuit *Ratimari* terras inter Dravum, & Savum. *q*) Atque hæc origo vastissimi labentibus annis Moraviæ regni, quum postea *Privinna* terras duces Moravani sibi vindicaverint, seu agnationis, seu feudali jure. *r*)

A. C. 831.

842. VI. *Ludovico Pio* e vivis sublato, dissidium ejus filiorum exteris fuit occasio rebellionis, præcipue Moravis, & Bohemis. Accessit & fomes belli, quum Ludovici Germaniæ regis consensu ipsis Theophaniæ diebus quatuor & decem Bohemiæ duces sacro lavacro tincti *s*), graves ea de caussa in Bohemia, & præsertim Moravia tumultus pepererunt. Veriti enim Bohemi pariter ac Moravi, plurimum adhuc ethnici, ne quid libertati suæ hac sacrorum mu-

845.

p) *Anon.* de Conv. Boj. & Carent. Chron. Gotv. in tab. geogr. medii ævi.

q) *Anon.* de Conv. Boj. & Carent.

r) Dobner ad an. 831.

s) *Annal.* Francof. ad ann. 845.

mutatione detraheretur, plusve juris in neophytos duces ſibi vindicaret Ludovicus: periculi hujus propulſandi cauſſa ad arma concurrunt. At vero rex Germaniæ in *Margenſes*, ſeu *Moravos* cum exercitu movet, quibus in poteſtatem redactis, ducem *Raſticem*, ſive *Ratiſlaum*, aut *Wratiſlaum*, Moymiri nepotem, cum annuo tributo imponit; t) Bohemos autem eodem fœdere implicitos adortus, non niſi cum magna difficultate, nec ſine grandi copiarum ſuarum jactura, in Franciam revertit. u) Quo rerum eventu pariter, ac propitia ducis Nitrienſis *Privinnæ* fortuna (hic ditiones ſuas Ludovici beneficio haud parum augebat) vectigales Moravos novum cepit odium Francorum. Quin & horum aſſiduus in *Privinnam* favor metum injecit *Ratiſlao*, ne quando ducis Moravorum honore privaretur. Itaque odiis gliſcentibus, ſocialem contra Francos junxit manum Bulgaris v); quibus pugna victis transdanubianas, atque ad Nitriam ſitas *Privinnæ* terras *Zentibaldo*, ſeu *Suatopluco* (quod non *ſanctum aratrum*, ſed *ſanctam ſobolem* notat) ſuo e ſorore nepoti tradidit, ſuumque conſilium inſigni victoria coronavit. Quum enim Ludovicus rebellionis inſtar facinus hoc ulturus, maxima vi ſe inferret in Moraviam: Ratislaus cum copiis Danubium celerrime transgreſſus, vicinia ferro, & igni vaſtata, Francis palmam eripuit, eosque in turpem fugam conjecit; mox quibusdam Auſtriæ transdanubianæ terris occupatis, comites

A.C. 846.

853.

t) *Annal.* Francof. ad ann. 846.

u) *Annal.* Bertin. ad ann. 846. apud Ekhard. L. XXX. c. 39.

v) *Annal.* Bertin. ad hunc ann. — Baron. hiſt. Eccleſ. ad hunc ann.

mites Franciæ, præcipue *Ratbodum*, in partes suas pertraxit, ac *regis titulum* assumsit, quem eidem, si Pontificias quasdam litteras excipias, antiqua monumenta haud denegant. x)

A. C. 856. VII. Marte inferior *Ludovicus*, callidissime conjecit, acta se acturum in reprimendis Moravis, nisi prius Bohemos, qui a tergo, & latere sibi obesse poterant, frangeret, ac domaret. His igitur sua sponte bellum intulit, etsi non alio operæ pretio, nisi quod *Wiztrachi* ducis Bohemiæ filium *Scalajugatum* fugere compulit ad regem Ratislaum. y) Hunc autem sub potestatem suam, aliis expeditionibus detentus, redigere non potuit. Inde factum est, ut Francorum deliciæ Privinna, quum ditiones suas ad Waagum flumen z) Suatopluco armis eripere parat, in prælio vitam amitteret; *Carolomannus* vero Ludovici filius natu maximus ab officio descisceret, cum Ratislao pactione facta, magnam paterni regni partem sibi arroganter præriperet, ac Marahensium præsidio in dies rebellionem concitaret. De qua certior factus pater, copias duxit suas, specie quidem contra Marahenses, re tamen vera contra Carolomannum, quem a suis desertum, & *Gundacari* a) Carantaniæ, seu Carinthiæ comitis proditione captum, carceri mancipavit. Postea Heziloni Privinnæ filio paternas ad Waagum ditiones ut vindicaret, Danubio valida cum manu trajecto, *Suatoplucum* in civitate Dievina ad ostia Mo-

Ratislaus Rex.

860.

862.

864.

x) Dobner ad ann. 855.

y) Annal. Francof. ad hunc annum.

z) Anon. de Conv. Boj. & Carent.

a) Annal. Francof. & Bertin. ad ann. 862. ann. Bojor. P. I. L. XI. p. 25.

Moravæ ſita, ex improviſo obſedit. Iſte cum regiis copiis congredi nequaquam auſus, nec effugii locum cernens ullum, obſides, quot, & quales rex juſſit, neceſſitate compulſus dedit, ſeque cum Optimatibus fidem perpetuo ſervaturum jurejurando pollicitus, terras ſuas retinuit. *b*)

VIII. Inter hæc *Ratislaus* rex opera *SS. Cyrilli, & Methodii*, quos ipſe nuper Conſtantinopoli evocaverat, ſacro fonte abluitur forſan *Wellehradii*, quam civitatem olim celebrem, a Slavis extructam, & Wele, Grad, *magnam*, ſeu *principem domum*, vel *arcem* *c*) fuiſſe appellatam, nemo hiſtoriæ, & patriæ linguæ gnarus neſcit. *) Anno autem ſequente *Ludovicus Ludovici* regis filius natu medius ægre ferens, in partitione regni *Carolomannum* fratrem ſuum, paullo ante rebellem, ſibi prælatum, flagitabat a Ratislao, ut hoſtilem in modum Bojoariam invaderet. Sed hic poſtulata facere ea potiſſimum de cauſſa noluit, *d*) ut ſe auctore lumen Evangelii Bohemis accenderetur. Id quod nimius imperii quum faceret, illi cum Francis

A. C. 865.

866.

869.

C pa-

b) *Annal.* Bertin. ad hunc annum.

c) *Acta* SS. Boll. ad 9. Martii.

*) Wellehradium urbem a germanis Marcomannis fuiſſe exſtructam, ac *Modeburgum* vocitatam, ut vult Strz'edovsky, non eſt veroſimile. Vid. Fauſtin. Prochaska de ſecul. Liberal. art. in Bohemia, & Moravia fatis, pag 143. — *An* vero ſedes *Regum* Moraviæ fuerit, ambiguum. Vid. Dobner ad ann. 865 ubi affirmantis, & negantis ſententiæ argumenta adfert.—Neuter auctor anonymus *vitæ SS. Cyrilli, & Methodii*, meminit Wellehradii, ſed tantum generatim dicit: *SS. hos Apoſtolos veniſſe in Moraviam*. Vid. *Acta* Bolland. ad 9. Martii.

d) *Annal.* Franc. & Bertin. ad hunc an.

pacisci non dubitarunt. Quare Carolomannus sub vernum tempus cum copiis *Ratislai* bis congressus, bis victor evasit; *Gundacarus* ille proditor, ad Moravos profugus, interiit; demum *Carolomannus* cum Bavaris in *Suatoplucum*, Rex ipse *Ludovicus* cum Francis, & Alemannis in *Ratislaum* fecere impetum exitu adeo felici, ut arte, & opere mirabilis Moravorum munitio (quam *Hringum* vocant) cum aliis moenibus incendio cremata, ignibus, & ruinis pervastatae Suatopluci ditiones fuerint. *e*) Rebus ita afflictis, & redactis in angustum, *Suatoplucus* inscio rege *Ratislao*, non ducatum modo sibi precario datum, sed & se ipsum Francis tradidit. Immo & avunculum suum, qui justo correptus dolore, poenas traditioni illi debitas sumere ab eodem voluit, veneno perimere tentavit; frustrato autem conatu, dolo captum misit *Carolomanno*. — Sistitur *Ratislaus* gravi catena vinctus Ludovico Germaniae regi, quem judicum sententia capitis damnatum, oculis duntaxat privari jussit, atque in monasterium mitti, ubi morbo naturae debitum solvit princeps pius, ac religionis propagandae studiosus. *f*)

A. C. 870.

871. *Suatoplucus Rex.*

IX. Tanta rerum vicissitudine in potestatem Francorum redacta penitus Moravia fuit, cujus imperium unus solus ambiebat *Suatoplucus*, seu *Zventibaldus*. Neque compos fuisset voti, nisi innocens ejus captivitas Moravos, Bohemos, aliosque Slavorum populos longe plurimos excitasset, ut Francorum tyrannidem, cervicibus suis minitantem, viribus communibus excu-

cu-

e) *Annal.* Franc. ad hunc ann.

f) *Annal.* Franc. & Bertin. ad hunc an. Vid. & Dobner ad eundem an.

cuterent. Nempe *Suatoplucus* apud Carolomannum insimulatus perfidiæ crimine, in vincula est conjectus, quem periisse rati Marahenses, Presbyterum quemdam *Sclagamarum*, sive *Slavimirum* vel invitum regali dignitate ornant. At captivus princeps, quum objectorum criminum convinceretur a nemine, non libertate solum, sed regiis quoque muneribus donatus, in Moraviam redit cum exercitu Carolomanni, tamquam regale munus Slavimiro erepturus. Reapse vero injuriæ sibi inustæ memor, non in Slavimirum, sed Carolomannum ultrices vires convertit, junctisque suorum copiis, Bojoarios in castris ex insperato aggreditur, plurimos nobilium partim capit, partim dat neci, singulas Bojoariæ domos clade, funesto luctu complet universa *g*). Hæc talio, qua regnum inter suos sibi firmavit *Suatoplucus*, vastatæ anno priore Moraviæ. Immo collatis mutuo consiliis, omnibus vicinis, & finitimis Slavorum populis e re visum, ut, quemadmodum Germani pluribus e provinciis *Germanicum*: ita illi e pluribus Slavorum respublicis Slavicum regnum fundarent, in quo unus omnium teneret imperium. Itaque communi consensu plerique Slavoniæ populi sua sponte dominatum dant *Suatopluco*, annuaque tributa, Francis adhuc pendi solita, communis securitatis caussa eidem concedunt. *h*) Atque hinc orta est *Marahania*, seu *Moravia Magna*, cujus tum potentissimo regi *Suatopluco* parebant: Slavi Marahaniæ, Bohemiæ, Voigtlandiæ, Misniæ, Lusatiæ, Bran-

 de-

g) *Annal.* Franc. & Bertin. ad hunc annum. *Aventinus* L. IV. p. 260.

h) Christann. Pass. SS. Ludmillæ, & Wenc. Pulkava, Marignola in M. SS. Vid. Dobner Monum. inedit. & *Annal.* Hay. ad hunc annum.

deburgi, Pomeraniæ; Poloniæ pars, quam hodie *Silesia* occupat; Slavi quoque superioris, & inferioris Pannoniæ inter Savum, Dravum, & Danubium; denique Dalmatia sive beneficiario jure, sive annui tributi pensione ob commune fœdus eidem fuit subjecta. *i*)

A. C. 872. X. Quum hæc geruntur apud Slavos, Ludovicus Germaniæ rex binos ducit exercitus, alterum in Bohemiam, ubi duce *Luithberto* Archiepiscopo Moguntino quinque duces Bohemi in fugam versi; alterum in Marahaniam, ubi Carolomannus cædes, & incendia miscuit. At vero *Suatoplucus*, collecto exercitu validissimo, Carolomannum retro adortus, cæsis ad Danubium Bavaris navium tutoribus, omni pene reditu prohibuit, nec nisi asperas, atque insolentes, ut victores amant, pacis conditiones Ludovico obtulit, captivo cuidam *Berthramno* legatione imposita *k*). Quid animi fuerit Ludovico, patuit, quum Bohemorum legatos etiam 874. tum in carcerem misit. Id quod incitamento fuit Bohemis perinde ac Moravis, qui sine mora Danubio superato, in Marchiam orientalem effusi, Carolomannum prope ad internecionem vicerunt adeo, ut capite periclitaretur *l*). Quare missis ultro, citroque legatis, pax tandem con-

i) Ditmar. L. VI. apud Leibn. Æn. Silv. c. 13. Const. Porphyr. de *Adm.* Imp. c. 40. Diocleates in *Regn.* Slav. apud Dobner P. III. *Annal.* ad an. 871. — *At* idem Dobnerus cit. Differt. contra Salagium, Magnæ Moraviæ limitibus iterum examinatis, *Svatopluci Regnum Dravo* duntaxat, non *Savo* terminat. Vid. Differt. Num. XXIV. p. 71. sqq.

k) *Annal.* Franc. ad hunc annum.

l) *Annal.* Bertin. ad ann. 873.

constituta his legibus: ut Slavi & jugo Francorum, & vectigali essent liberi, *Suatoplucus* ipse Ludovico, ejusque filiis amicus foret *m*). Quod fœdus, ætatem ut ferret, per suos legatos firmavit jurejurando *Suatoplucus*, tamque servavit integrum, ut contra Carolum Calvum, quem Pontifex Joannes VIII. Imperatorem coronavit, auxiliares Carolomanno copias in Italiam miserit, ac res Francorum haud parum promoverit. Quin & Wormatiam legatione missa, cum Carolo Crasso imperatore amicitiam renovavit, ac diu, multumque coluit *n*).

XI. Ansam belli deinceps præbuit idem Carolus Imperator, quum Wilhelmi, & Engelschalci filiis, terminorum Danubii Præfectis, *Arbonem* Suatopluci fœderatum, substituit, moxque importunis filiorum precibus motus, sententiam mutavit. Quo irritatus Moraviæ Rex, non immemor horum patres genti illius injurias intulisse, Bavariæ fines cum exercitu ingreditur, *Werinhario* Engelschalci filio, ejusque propinquo Weziloni ob indigna convicia dexteram cum lingua amputari jubet *o*), comitatuque intra fontes, & ostia Rhegini fluminis vastato, in Pannonia quoque facultates eorum omnes igne abolet. Reliquos autem filios, quorum nomen *Mezingor*, & *Papo*, ad Præfectum Pannoniæ *Arnulphum* Carolomanni filium profugos, maximis copiis persequitur, tantoque opere exagitat, ut hi fuga salutem quærentes, in Arabone flumine mersi fuerint *p*). Cladibus de-

A. C. 882.

885.

m) Dobner *Annal.* Hay. ad annum 874.

n) Goldast. L. II. c. 14 p 4. *Aventin.* L. IV. p. 264

o) *Annal.* Franc. ad an 884.

p) Ibidem.

demum finem fecit *Carolus Imp.* pace cum *Suatopluco* super Comageno, seu Cetio monte inita, qua Pannoniam clientelari jure eidem concessit; ita, ut provinciæ hujus caussa Vasallus Imperatoris fieret *q*).

A. C. 887. XII. Haud diu post *Arnulphus* Germaniæ rex in locum Caroli Crassi, quem proceres solio moverant, suffectus est. Is coronam imperii ut tueretur, *Suatopluci* armis est adjutus, ideoque jus in Pannoniam illi confirmavit; etsi ea de caussa odium dissimulatione tegeret, quod paullo post erupit. Prius vero, quam utrinque 890. amicitia solveretur, *Suatoplucus* accepta a Pontifice Formoso legatione, precibus cum *Arnulpho* Imperatore egit, ut tyrannis Italiam liberaret *r*). Sub idem quoque tempus Bohemiæ dux *Borz'ivogius* fœderis firmandi caussa ad *Suatoplucum* in Moravia invisit, quem rex convivio excepturus, induto storea pavimento, stratisque supra mappis, humi locavit, incongruum asserens, ut cum Christicolis cibum sumat homo ethnicus. Occasione hac data, S. Methodius ducem ad sacra christiana adduxit, & cum 30. proceribus Bohemis (alii 50. numerant) baptismi aquis summo cum apparatu abluit, Spiritu divino vaticinatus, ipsum, & nepotes ejus regibus potentiores fore *s*). Id quod postea eventus docuit. Nunc vero ad sua redux *Borz'ivogius*, quum veram religionem inductam cuperet, ab ethnicis adhuc Bohemis ducali sede motus, præsidium invenit apud eundem *Suatoplucum*, qui jun-

q) ibid. & Hansicius Germ. Sac. pag. 165.

r) *Annal.* Franc. ibid. & Hermann. Contr. ad hunc annum.

s) Christann. vita SS. Ludmillæ, & Wenc.—*Auctor* vitæ SS Cyrill. & Method. ex MSS. Blauburano apud Boll. ad 9. Martii.

junctis cum Arnulpho Imperatore, & Arnone Würtzburgensi Episcopo armis, effectum dedit, ut Bohemi, resistendo impares, ducem *Borz'ivogium* reciperent *t*).

XIII. Tandem novam belli flammam in Moravia *Arnulphus* ipse, aut odii veteris effundendi, aut dilatandi imperii cupiditate succendit. Hic enim illi armorum prætextus fuit: quod sibi in Pannoniæ terminos proficiscenti *Suatoplucus*, ut Vasallus, obviam non venerit *u*). Quum autem callidissime conjiceret, Moravis se se imparem fore, *claustra*, seu *clusas*, grande Caroli M. opus, perfregit *v*), qua Hungari in partes ejus pertracti, facilius in Moraviæ regnum irrumperent. Verum enim vero si quando, tum præcipue virtus *Svatopluci* enituit. Nam vix uno post mense, etsi in Hungaros ad Transylvaniam reprimendos intentus, grassantem hostem Arnulphum in medio cursu stitit, viamque relegere inglorium coëgit *x*). Pari etiam felicitate bellum prosequutus est, quandoquidem Bavari insidias veriti, opinione citius Moravia deserta, primo armistitium fecerunt, dein composita sub autumnum pace *y*), auream Moravanis libertatem reliquere, at heus! nequaquam diu eadem fruituris. Namque rex fortitudine clarissimus, terror hostium, Slavorum præsidium, *Suatoplucus* fatis paullo post con-

A. C. 892.

894.

C 4

t) Vid. Dobner ad an. 890.

u) Regino ad annum 890. Hermann. Contr. ad hunc annum. — Annal. Franc. ad annum. 892.

v) Luitprand. L. I. c. 5.

x) Annal. Franc. ad hunc an. — Dobner ad hunc annum.

y) Luitprand. L. I. c. 5. — Kollar Annal. Vindob. T. I. p. 526.

concessit, postea quam tribus filiis *) (horum nomina passim referuntur: *Mogemirus*, *Suatoplucus junior*, & *Suatobogius*) Magnæ Moraviæ regnum tres in partes divisit, maximumque natu Principem ceteris præesse jussit, omnes ad concordiam hortatus isto exemplo: Virgas tres colligatas primogenito frangendas dedit; quas ille, quum non posset frangere, easdem secundo, mox tertio tradidit. Deinde dissolutas singulas singulis dedit, quas, ut jubebantur, nullo negotio fregerunt. Quo facto subjecit: *Amore, & concordia juncti si fueritis, profecto nunquam eveniet, ut ab hostibus vestris vincamini; sin per contentionem, ambitumque principatu scisso, fratri natu maximo parere nolueritis, & a vobis ipsis vastandos, & vicinis hostibus vos funditus delendos, putatote.* His ita constitutis, naturæ debitum solvit, & quidem non in prælio, neque inter Anachoretas (ut volunt *Cosmas*, *Stransky*, & patrii quidam scriptores) sed in aula sua, etsi, qua ætate, quove loco sepultus sit, apud veteres nuspiam invenitur. z)

Mogemirus Rex. A. C. 896.

XIV. A morte Suatopluci regis, quod vaticinatus est, vastissimo Moraviæ regno accidit. Quamvis enim *Mogemirus* Suatopluci filiorum senior imperium capessiverit: uno tamen duntaxat anno Slavorum respublicæ nexu inter se vin-

*) Ex Constant. Porphyr. de adm. imp. c. 42. constat, tres Suatopluco regi fuisse filios; patrii tamen, ceterique Scriptores duos tantum eidem tribuunt, ita, ut *Suatoplucus*, aliter *Suatobogius*, & *Zventibaldus* vocaretur. Quod si ita est, tertii filii nomen ignoratur.

z) Præter Annales Francicos Constant. Porphyr. L. de adm. imp. c. 42. Et Dobner Annal. P. III. p. 301. sqq.

vinctæ, optata gaudebant pace, inteſtinis pauco poſt tempore diſſidiis miſerum in modum diſſolutæ. Nempe inter filios Suatopluci permagna cœpit diſſenſio, anſamque præbuit, ut *Borz'ivogius* Bohemiæ dux, conſentientibus proceribus, cum *Arnulpho* Imperatore fœdus iniret *a*), Hungari vero, quos *Mogemirus* ut agricolas advenire putabat *b*), inter fluvios Temiſum, Marum, & Tibiſcum, regni parte occupata, apertam invenere viam ad regnum ipſum evertendum. Et vero domeſticas adhuc Mogemirum inter, & Suatoplucum fratres diſcordias plurimum incenderant *Arbo* ille comes termini Pannonici, ejusque filius *Iſanricus* termini Bavarici comes, quas ut extinguerent Bavari, ſemel atque iterum duce *Luitboldo* Moraviam fruſtra ingreſſi ſunt *c*). Inde civile, idque cruentum exarſit bellum, in quo Mogemirus Suatopluco ſuperior evaſit, illoque in carcerem conjecto, adverſus Hungaros in Italiam migrantes, ut regni ſui fines ad Dravum tueretur, cum exercitu movit. Interea Bavari Moraviam ingreſſi, *Suatoplucum* libertate donant, & civitate, cujus carcere tenebatur, flammis exuſta, ſecum in Bavariam abducunt *d*). Hic autem calamitatibus exagitatus, monachum tandem induit, & inter eremitas ad montem Zobor flumini Wago proximum vitam finiit. *e*) *)

A. C. 899.

XV.

---

a) Analect. Vind. T. I. p. 527.
b) Thurocz P. II. Chron. c. 3.
c) Annal. Fuld. ad an. 898.
d) Annal. Fuld. ad an. 899. Hermann. Contr. ad hunc an. — Aventin. An. Boj. L. IV.
e) Annal. Franc. & Hermann. Contr. ad an. 899.
*) Atque inde originem traxit fabula, qua Cosmas, alii-

A. C. 900. XV. Poſt Hungarorum abitum *Iſanricus* ab *Arnulpho* Imperatore termini Bavarici comitatu exutus, ad *Mogemirum* venit *f*) patrocinii cauſſa; quem is, quod in diſſidio fraterno a partibus ſuis ſteriſſet, ereptæ a Bavaris ad Aniſum flumen, quæ ortum ſpectat, regioni præfecit. Verum anno poſt Hungari ex Italia reduces, Cisdanubianas Magnæ Moraviæ terras in Pannonia ſitas primum infeſtant, mox occupant. *g*) Quare pax inter Bavaros, Iſanricum, & Moravos jurejurando firmata, ad hoſtes communibus jam viribus aggrediendos ſpectabat. Hæc ipſa nihilominus irritamento fuit Hungaris, ut non quieſcerent prius, quam 902. regnum integrum everterent. Nam in Carinthia a Bavaris, in Mogemiri regno a Moravis cæſi *h*), in Italiam quidem abacti ſunt; hac autem populata, rurſum in Pannoniam, Moraviamque reverſi, omnia Nitriæ, & Gomornæ vicina circumoccupant, mox latiſſime ſe ſe explicant, denique Mogemirum occidentem, ac 904. ſeptemtrionem verſus retro agunt. *i*). Immo tanta Hungarorum vis erat, ut vel junctæ jam ad Licum fluvium Bavarorum, item Bohemiæ, ac Moraviæ Slavorum copiæ eidem cederent. *k*) Quapropter merito jam metuens Mogemirus, ut ne prorſus regno exturbaretur, apud Græco-

---

aliique patrii Scriptores, nullo veterum documento nixi aſſerunt, *Suatoplucum* Moraviæ regem, hujusque patrem, extremis vitæ annis cucullum monaſticum induiſſe. Vid. Dobner ad an. 904.

f) Dobner in notis ad an. 904.

g) Analect. Vind. T. I. p. 530. Hermann. Contr. ad an. 901.

h) Hermann. Contr. ibid.

i) Anon. Belæ Notarius c. 33.

k) Luitprand. L. II. c. 1.— Belæ Not. c. 35. apud Schwandner T. I. p. 23.

corum Imperatorem, & Bulgarorum Regem suppetias quæsivit. *l*) Quibus impetratis, magno animo adversus Hungarorum ducem Arpadum movit; sed commissa pugna, victus, fugatusque, Græci etiam & Bulgari metu dilapsi sunt. Acerrimum tandem post hominum memoriam prælium, cui *Mogemirus* quoque cum suo Vasallo *Isanrico* adfuit, cum Hungaris conseruerunt Bavari *m*); sed *Mogemirus* in eodem occubuit, & cum ejus interitu simul regni Moraviæ gloria omnis concidit. **) *n*) *A. C. 907.*

VARIÆ ADNOTATIONES

IN SECUNDAM PERIODUM HISTORIÆ MORAVIÆ.

I. De moribus Slavorum Marahensium ea novimus, quæ patrii, exterique scriptores *a*) universe de Slavis fusiore calamo referunt. His in pauca collatis, satis constat, Slavos omnes fuisse gentem vano Deorum cultui deditam, bellicosam, armisque tractandis adsuetam a teneris, litterarum, ac liberalium artium perquam rudem, quæ iccirco *maluit præclare, & fortiter agere, quam facinora sua immortalitati commen-* *Mores Slavo. Moravorum.*

l) Anon. Belæ Not. c. 38. & 39.

m) Hermann. Contr. & Marianus Scotus ad hunc an. — Continuator Reginonis, & Chron. Saxon. apud Scriptores rerum Gallicarum, & Francicar. T. VIII. p. 223. — Aventin. annal. Bojicor. L. IV.

**) An hoc in prælio occisus sit *Mogemirus* vid. Dobner ad annum 907.

n) Dandulus edit. Murat. p. 199.

a) Catalogum eorum texit Dobner Annal. P. II. pag. 10. seqq.

mendare. *b*) Simili prorſus modo Slavis Marahaniæ, ſeu Moraviæ incolis, fuit ingenium rude, litterarum, & humanitatis expers, neque tamen malignum, neque fraudulentum. Servituti extrema quæque antehabere, libertatem, parentes, Deos penates armis vindicare primum erat, ac præcipuum; reliqua officiorum genera arctis contenta finibus. Variæ conſuetudines, leges non multæ, nimia prope licentia, & impunitas regnabant; quædam nihilo ſecius pœnæ, eæque duriſſimæ jam tum iis temporibus barbaris conſtitutæ in meretricios, & furtivos præſertim amores. *c*) Erat & ſummus parentibus honor, maxima in peregrinos hoſpitalitas, communis liberalitas in pauperes. Sed aliquantulum virtutis ingenti vitiorum mole opprimebatur, quædam etiam vitia & ſpeciem, & nomen virtutis induerant *d*), dum tandem chriſtianæ religionis magiſtri veram virtutem, ac vitiorum notitiam eos docuerunt.

Ratio vitæ. II. *Veſtitus* ſive ex pellibus ferarum hieme denſioribus, levioribus æſtate, ſive ex lineis, laneisque indumentis fuit uſu receptus; nobiliores quique etiam veſtibus acu phrygia pictis utebantur. In prælio plurimum pedites leviter tecti, haſta oblonga, clypeo, ac telis inſtructi ruebant in hoſtem, ſæpe etiam loricas ex cornibus raſis, linteisque indumentis intextas gereb nt. *e*) *Victus* aſper, minimeque lautus, & opiparus, potus aquæ, aut cereviſiæ (quam *Csamez*, ſive *Samez* vocabant) nervos, artusque ad

b) Fauſtin. Prochaska Comment. de ſecular. liberal. art. in Bohem & Morav. fatis. n. 1.

c) Ditmarus Merſeburg. L. VIII. initio.

d) Helmoldus Chron. Slav. L. II. c. 12.

e) Dobner l. cit. pag. 31.

ad militiam durabant. Voluptati erat primoribus populi *aqua mellita*, ſeu medo, aut mulſum; plebejis vero hominibus *aqua Martia* liquor gratiſſimus. Hinc procera illa, & robuſtiſſima corpora, quæ hoſtibus terrori, admirationi exteris fuiſſe, memorant veteres. *f*)

Domicilia.

III. Primis exordiis Slavi omnes frigora, aërisque injurias non ædibus operoſe conſtructis, ſed tuguriis vimine, & ceſpite congeſtis arcebant; non raro Nomadum more vixere vitam. *g*) Poſtea vero, quam Hunnorum comites nobiliora Europæ loca & viderunt, & demoliti ſunt: non modo arces, urbes, delubra condere, ſed & ſimulacra fingere, ac ſculpere didicerant, quorum non nulla Diis patriis dicata, omnium animos, atque oculos in admirationem rapuerunt. His autem omnibus nomina linguæ ſuæ patriæ propria, aut vicinarum gentium figmento, variove inventa caſu indiderant. *h*) In ea, quæ hodie Marchionatum Moraviæ complectitur, *Magnæ Moraviæ* parte plura jam tum oppida, & urbes a majoribus noſtris extructa eſſe, dubitari nequit. *Vid. Tab. Geogr. III*; cujus chorographia, ſingulaque loca probatis ex auctoribus congeſta ſunt. *i*)

Negotia, & Opes.

IV. Quum pacis otio fruerentur, agriculturæ, venationi, armorum ſtudiis vacare in deliciis habebatur. Prima juventæ diſciplina fuit arma ſcire tractare, certove ſagittarum ictu metam contingere, diſcumque petere. Neque mulieres ab his ſtudiis erant alienæ, quas militum

f) Idem l. cit. ad an. 732.
g) Fauſtin. Prochaska l. cit.
h) Dobner prodr. pag. 139.
i) Ita affirmat Dobner in præf. P. II. Annal.

tum instar equo vehi solitas, & Amazonum more inter viros prælia fecisse cum hostibus, non pauci testantur scriptores. *k*) Cetera inter negotia fuit cura maxima plebejæ, communisque libertatis, cui non facile apud aliam gentem sanctius nomen. Ad seculum usque octavum dumtaxat belli tempore dux exercitus legebatur; domi vero in tribus, respublicas, & civitates divisi, judices solum, ac seniores mirifice colebant, quos *Panos*, & *Subpanos*, hoc est: majores, & minores dominos; nec non *Scuddavas*, quasi juris, & justitiæ datores, appellatos legimus. His consilii auctoribus in concilio *Zbor* dicto, de rebus utilibus, ac difficilibus in commune consultabatur, ut bonorum, damnorumque communione, & in partem melioris fortunæ venirent omnes, & vim adversæ facilius ferrent singuli. *l*) His quoque *Panis* dona, & munera (nomen *vectigalis*, & *tributi* aversabantur) plerumque frugibus, pecoribus, rebusque manufactis quot annis bis ferebant; serius *Panossis*, seu nobilibus opera servilia solis arationibus præstita. *m*) Permutatione mercium domestica fiebat mercatura, rariora cum exteris fuere commercia, rarus nummorum usus. Istorum quidam illis temporibus procusi, nudas effigies, diversaque gentilia signa: stellas, hastas, lilia, &c. referunt; nummos litterales, & qui-

k) Dobner Annal. ad ann. 710. & 736.

l) Idem Prodr. pag. 56. & P. II, pag. 33.

m) Idem ad an. 752. ubi addit: Serviles operæ jam tum Robota dictæ sunt a Slavica voce Rob, quæ captivum, mancipium, aut servum significabat, & hodie Robta ancillam denotat.

quidem latinis signatos litteris, post invecta christiana sacra usus induxit. *n*)

HISTORIA ECCLESIASTICA.

Cultus Deorum.

I. Moravi æque, ut Slavi omnes, ethnicis erroribus, ac superstitionum tenebris erant involuti. Ac Deum quidem supremum universi hujus Dominum, fulminis effectorem *Perun*, hoc est: *feriens, aut tonans*, præcipuo colnere cultu, cui omnis generis victimas in arce Brunensi, hodie Spielberg immolatas, narrant scriptores patrii. Hoc inferiorem tenebant locum: *Radgost*, sive *Radegastus*, in monte Radhost, sive Radosch, Roznovium inter, & Frankensteinam hodiernæ Moraviæ, choreis & annua sacrificiorum solennitate celeberrimus; *Witislaus*, seu *Suantovitus*, cujus idolum triplici forma præditum in celebri olim urbe Wellehradii honores divinos obtinuisse, ac dubiis de rebus oracula fudisse, legitur. *o*) Præter hos majores, etiam alios coluere deos minores, quorum præsidio agros, silvas, res funestas, ac pro-

n) Idem ad an. 716. antiquam fundendi, cudendique nummos rationem narrat ad ann. 725. Et Voigt Beschreibung der böhmischen Münzen, V. Stück, Bl. 65. ubi asserit, quosdam exteros cum Moravis habuisse commercia, citatque hanc inter alias Bavarorum legem: *Si quis ad mercaturam Marbavorum* (h. e. Moravorum) *vult ire, solvet solidum unum de navi, tunc transeat.*

o) Stredovsky Sac. Mor. Hist. c. 5. seqq. ubi simulacra horum deorum exhibet; etsi merito reprehenditur, quod omnia pene omnium Slavorum numina Bohemis, & Moravis adfingat. Vid. Prochaska l. cit. pag. 18. 19. in not.

prosperas tribuebant. Immo *deos penates*, & *lares familiares* domi quisque suæ tamquam ædium, rerumque suarum præsides venerari consuevit. Hinc illud apud omnes pervulgatum: Neni ani Skritka doma: *ne lar quidem domi est*. Ejusdem quoque modi est anilis de penatibus (Hospodaříček) narratio, & nomina *Czernebog*, *Diblik*, aliaque in vulgus nota. *p*). Pietatem in hæc numina testaturi, non modo cæsis animalibus, sed humanis etiam hostiis, imprimis Christianorum, litabant; fanis autem honori eorum dicatis tantam habuerunt reverentiam, ut eadem mortali pede contingere præter Flaminem fas esset nemini. Peractis more suo sacrificiis, populus ad epulas, & choreas convertebatur, licita, diisque grata omnia ratus, quæ *Crive*, seu Flamen edixisset. *q*) Tam misero, atque infelici ad seculum usque octavum fuit loco apud Moravos veri Numinis cognitio.

Religio christiana. II. Illuxit tandem lucis divinæ crepusculum majoribus nostris, quos a deorum simulacris ad Christum traductos, impigri religionis præceptores omni meliore doctrina instruxerunt. Ac primum quidem *S. Rupertus* Episcopus Juvaviensis initio seculi VIII. Evangelii sementem Moravis sparsit; *r*) tum *S. Vergilius* pariter Juvaviensis Antistes, ejusque in munere successor *Arno* presbyteros doctrina conspicuos in omnes Slavoniæ partes, jussu Caroli M. ad re-

p) Dobner ad annum 681. & 736. Prochaska l. cit. pag. 27. & omnium fusissime Abraham Frencelius dissert. de diis Soraborum, aliorumque Slavorum.

q) Saxo Gramm. Hist. Dan. L. XIV. Helmoldus L. II. c. 12.

r) Dobner ad an. 718. quo hic antistes obiit teste Mabillonio, & Pagio.

religionem plantandam miſerunt. *s*) Ceteris autem amplius chriſtianam veritatem in Moravia promovit *Urolphus*, ſeu *Trolphus* reſtaurato Laureaco, primus Laureacenſis Archiepiſcopus, qui ineunte ſec. IX. ad Avares, ſeu Hunnos & Moravos fidei cauſſa peregrinationem ſuſcepit, eorumque multis ad chriſtiana ſacra traductis, Romam ad Eugenium II. Pontif. profectus eſt, quæ in Avaria, & Moravia geſſerat, expoſiturus. *t*) His magno cum gaudio auditis, Pontifex bullam edidit, quam *Rathfredo Favianenſis*, *Methodio Speculijulienſis*, *Alevino Nitrienſis*, & *Annoni Vetvarienſis* Eccleſiarum Epiſcopis, nec non *Tudundo*, aut *Todano*, & *Moymiro* ducibus, atque optimatibus Hunniæ, & Moraviæ inſcripſit; *Urolphum* prius Epiſcopum Patavienſem, tum Archiepiſcopum Laureaci nominatum, in ea ſede confirmavit, ſubjectis eidem quatuor illis Epiſcopis, dictarumque gentium fidelibus. At vero ex laudatis in bulla Eugenii Epiſcopis duo tantum ad Moraviam attinent, nempe *Nitrienſis* in Todani, & *Vetvarienſis* in Moymiri ditionibus. Et hic poſtremus non *Wellehradii*, ſed inter fluvios Kamp, & Moravam, quas regiones expulſis a Carolo M. Hunnis occupaverunt Moravi, ſitus erat, id quod hunnica vox *Wetvar*, h. e. *vetus arx*, denotat. Speculijulienſis autem Epiſcopus tantum abeſt, ut fuerit idem, qui Olomucenſis, ut *Speculijulium* potius videatur in ditione Theodori Hunnorum Cagani, ſeu reguli, Carnuntum inter, & Zagra-

s) Dobner ad an. 798. & Fauſt. Prochaska l. cit. pag. 38.

t) Aſſeman. T. II. P. I. c. 4. A. C. 824. Vid. Pag. Crit. Bar. a. h. ann. & *B*ulla Eug. T. VII. Conc. & apud Goldaſt. append. Docum. Sigism. Calles Annal. Auſtr. & alibi paſſim.

grabiam, tanquam castrum, & præsidium Romanorum, intra Danubium extitisse. Quid multa? Eugenii II. P. bulla effectu suo caruit, quum illi quatuor Episcopatus, sive propter Pataviensis, & Juvaviensis Antistitum de finibus Dioeceseon controversiam, sive propter ethnicorum Slavorum motus, stabilitatem suam non attigerint, aut brevissimo temporis intervallo steterint. Quin immo, ut novæ res initio fluxæ, & variæ solent esse, *Urolpho* fatis functo, dioeceses Laureacensis, & Pataviensis rursum conjunctæ sunt, & successores Episcopi Patavienses titulo Laureacensium episcopalia jura in Moravia exercuerunt, presbyteris, qui rem divinam facerent, eo tansmissis. *u*) At enim, quod mirari subit, ab his neque scholæ institutæ ullæ, neque juventus ad litteras, sine quibus religio nequaquam diu firma consistit, erudita fuit.

A. C. 829.

III. Stetit hæc rei christianæ facies usque ad optatissimum *SS. Cyrilli*, & *Methodii* adventum in Moraviam. Hi fratres natione Græci, patria Thessalonicenses, Leone Patritio nati, in laboribus evangelicis erant comites fidelissimi, quorum ille slavica lingua Crha, seu Crhota, iste Strahota, seu Hroznata passim vocatur. Atque *Cyrillo* quidem prius, quam profectus est Romam, *Constantinus* fuit nomen, quem agentem Constantinopoli, Imperator Græcorum *Michaël Porphyrogenitus*, legatis Gazarorum petentibus, & *Photio* Patriarcha Constantinopolitano suasore, Gazaris misit Apostolum. *Constantinus* quondam *Philosophus*, sive *Cyrillus* arrepto itinere, venit cum fratre suo *Gersonam*, Ga-

857.

u) Dobner Annal. Hay. T. II. ad hunc annum.

Gazarorum terris contiguam, ubi linguæ slavicæ combibendæ gratia aliquantum commoratus, ſubinde Gazaros cœleſti doctrina inſtructos, ad Chriſti fidem convertit; mox *Bogorem* Bulgarorum ducem, præſertim *Methodii Monachi Baſiliani* pictura *) eo induxit, ut & poteſtatem faceret ejus in terris Evangelium prædicandi, & ipſe paucos poſt annos chriſtiana ſacra amplexus, avitam ſuperſtitionem ejuraret. Factorum id genus fama longe, lateque diffuſa, *Raſtices*, aliter *Ratislaus* Moraviæ rex genti ſuæ conſulturus, ad *Michaelem* Imperat. legatos miſit, qui dicerent: *Magnam populi ſui partem ab idolorum cultu receſſiſſe, & Chriſti ſubire jugum cupere; nihilominus idoneo egere doctore, qui omnes ad legendum, perfectamque ſanctæ legis obſervationem inſtruat; virum proinde his ex ſententia gerendis habilem, & aptum mitteret.* Illo etiam circiter tempore & *Zuentibaldus*, & *Hezilo* legatione Conſtantinopolim miſſa, fidei magiſtros petebant. Annuit precibus Imperator, & *Conſtantinum*, ſeu *Cyrillum*, ac *Methodium* ex Bulgaria re-

*) Simeon Logotheta an. IV. Michaelis n. 25. Curopalates in Epiſt. Hiſtor. ubi narrant: Conſtructam novam domum Bogores per Methodium, arte pictorem, exornari picturis juſſit, nihil addens, quid præcipue pingendum eſſet, modo quid terribile pingeretur. Ille non aliud quidquam horrendum magis ratus, atque extremum in ſecundo Chriſti adventu judicium, hoc ipſum coloribus adumbravit. Abſoluto opere, Princeps conſpicatus ex hac quidem parte juſtorum coronari cœtum, ex altera vero puniri impios, occaſionem dedit Cyrillo, & Methodio picturam, veramque fidem explicandi. Vid. Dobner Annal. ad ann. 861.

reduces, in terras Slavorum misit, largo, & liberali viatico præstito. v)

A. C. 863. SS. Cyrilli & Methodii in Moraviam adventus.

IV. Annus igitur auro, cedroque dignus adfuit, quo *sanctissimi Apostoli Cyrillus*, & *Methodius* in Moraviam venerunt, majores autem nostri, deterso gentilitatis errore, ad christianam religionem penitus accesserunt. Quippe annos quatuor, & dimidium viri illi nobis æternum colendi doctrinam Ecclesiæ Romanæ dissemi naverunt in Moravia, villas, & vicos, oppida, & civitates peragrarunt, apertisque scholis cum vera religione litteras quoque slavicas, *Cyrillicas*, seu *Kiurliza* ab auctore *Kiurul* nomine Slavo dictas tam indefesso docuerunt labore *), ut rex, populusque salutaris fidei sacramentis initiari, infimis oragent precibus. Quo audito, viri sancti oculis præ gaudio lacrymantibus Deum, ut desiderium hoc augeret, ferventius exorabant, deinde sacro baptismate mundatum regem mortalem, æterno Regi obtulerunt, eodemque modo innumeram pene multitu-

v) Vitæ Anonymorum apud Bolland. ad diem 9. Mart. Asseman. T. III. L. III. P. I. c. 1.

*) S. Cyrillum in Moravia litteras docuisse slavicas, earumque primum esse inventorem, vix jam licet dubitare, posteaquam istud invictis argumentis demonstraverunt: Dobn. Añal. P. III. ad a. 857. seqq. Adauctus Voigt Dissert. germanica: Untersuchung über die Einführung, den Gebrauch und die Abänderung der Buchstaben, und des Schreibens in Böheim, im I. Band Abhandlungen einer Privatgesellschaft. Et Fortunat. Durich Dissert. de Slavo-Bohemica sacri codicis versione. Ex quibus constat plurimas formas ex litteris græcis sec. IX. usitatis, paucas ex hebraicis, reliquas sono Slavorum accommodatas, atque e prioribus varie compositas esse.

tudinem, christianis initiatam sacris, ad veram fidem perduxerunt. Nec mora, psalmos, & hymnos, aliosque libros in linguam slavicam convertere, utriusque veteris, ac novi fœderis paginas interpretari, officium divinum ritu quidem in universa Ecclesia recepto, sed *lingua slavica* peragere curæ fuit, ut pulcherrimum & librorum, & litterarum slavicarum exordium doctrinam divinam stabiliret. *x*) Et reipsa in dies religio altiores agebat radices in Moravia, quum non pauci Germaniæ presbyteri, & antistites invidiam doctoribus nostris conflare, novaque eorum instituta occultis primum querimoniis, tum & publicis accusationibus Romæ criminari non dubitarunt, præcipue quod lingua, rituque slavico sacris operantes, rem haud ferendam heterodoxian inveherent. Talia Romam delata non parum perturbarunt *Nicolai I. Pontificis* animum, præsertim quum intellexit, viros illos in Moraviam Constantinopoli esse missos eo tempore, quo schisma *Photii* Patriarchæ, & *Michaëlis* Imperatoris graves Ecclesiæ latinæ calamitates intulit *), Græci decem errores Latinis objectabant, ipse Imp. *Michaël*, epistola ad summum Pontificem data, linguam latinam ut *barbaram*, & *scythicam* ausus est calumniari. *y*)

D 3 V.

x) Vitæ Anon. l. cit.

*) Constantinus, seu Cyrillus primum quidem amice fuit usus Photio, quum vero animadverteret, eum ab Ecclesiæ romanæ doctrina recedere, gravissime eundem objurgavit, ut testatur Anastasius Bibliothecar. in præfat. histor. ad 8. Synodum. Itaque Cyrillus, & Methodius Schismatis Photiani non erant participes, ut probat Dobn. Annal. ad ann. 863. n. 5.

y) Baron. ad ann. 867. 865. 863.

V. Quapropter curarum plenus Pontifex *Cyrillum*, & *Methodium* muneri apostolico quam maxime intentos, ad caussam Romæ dicendam accersit. z) Qui nuncio læti, scriptis ad novæ Ecclesiæ ministerium necessariis in Moravia relictis, a) *) cum aliquot discipulis suis, sacro muneri idoneis, romanum iter sunt ingressi, S. Clementis corpus, b) quod *S. Cyrillus* studio suo receperat, Romam deferentes. Interea *Nicolaus Pontifex* ad Superos transiit, cujus in munere successor (die XIV. Decembr. eodem anno electus) *Adrianus II.* cum Clero, & populo Apostolis nostris obviam extra urbem processit, S. Clementis lipsana summo honore veneratus, eaque inter jubilos, & plausus piissimos, quod Petri Apostolorum Principis successorem in sedem ejus recepisset, ecclesiæ pridem in ejus honorem extructæ tumulo contexit. c) Nec diu post Adrianus Pont. in consessu Romanorum Præsulum verbis gravibus exprobrat *Cyrillo*: Cur ausus esset divinum officium sermone slavico peragere, & sanctorum Patrum instituta mutare? At ille verbis modestiæ plenis

A. C. 867.

868.

z) Christannus in Passione SS. Ludm. & Wenc. & Acta SS. Boll. ad 9. Martii par. 6.

a) Anonym Vitæ SS. Cyrill. & Method. Auct. l. cit.

*) Scripta hæc fortassis sunt eadem, quæ postea nomen *Methodius* obtinuerant, ex quibus Moraviæ rex Suatoplucus multas leges, & bonos mores instituit, ut ait *Presbyter Diocles de regno Slavorum*. Alium quoque librum, cui nomen *Epilogus Moraviæ*, memorat *Cosmas Chron. L. I.* Quæ decora historiam cumprimis horum temporum illustratura, quo fato perierint, prorsus ignorum est. Vid. Dobner Annal. *P.* III. p. 80.

b) Anast. Biblioth. Epist. ad Carolum regem anno 877. data.

c) Acta SS. Boll. ad 9. Martii.

nis jussit eos ad verba Apostoli advertere: *Loqui variis linguis nolite prohibere.* Illi autem: *Nunquid iccirco Slavorum lingua voluit officia divina decantari?* Ita variis varia proferentibus, reposuit Divus noster oraculum divinum: " *Omnis* " *spiritus laudet Dominum. Omnis spiritus Dominum si laudat, quid est, quod prohibetis missarum* " *solennia slavice modulari? Necessitate adacti consilium istud cepimus, minime ausuri, quæ reprehenditis, si lingua aut græca, aut latina, prodesse populo licuisset. At quoniam homines unius tantum linguæ gnaros, legumque divinarum omnino rudes reperimus: ea nobis mente a Deo objecta, innumerabilis multitudo, ejuratis diis, Christo nomen dedit suum* „ Honesta illa Cyrilli oratio videbatur Senatui sacro, ipseque summus Pontifex non solum decrevit, ut divinum officium, missæque sacrificium, quo prius, modo fieret; sed etiam *Cyrillum*, & *Methodium* Episcopos Slavorum, discipulos autem illorum presbyteros, & diaconos consecravit. At enim *Cyrillus* vitæ monasticæ amore captus, S. Pontifice annuente, Episcopatui renuncians, Romæ perstitit, fratrique suo *Methodio* Ecclesiæ Slavo-Moravicæ curam commisit. *d*) Qua re factum est, ut omnes gloriosi, quos seu in Moravia, seu in Bohemia *Methodius* exantlavit, apostolici labores huic soli sint proprii. *e*) Ille namque *Archiepiscopi* titulo insignitus, in Moraviam Roma rediit, quamquam nulli certæ sedi ejus dignitas fuit affixa, sed *Regionarius* dumtaxat *Moraviæ Archiepiscopus* est appellandus; tantum abest, ut Welehradensis Episcopus creatus, aut

d) Anonymi Vitæ SS. Cyrilli, & Methodii Scriptt. l. cit.

e) Dobner ad annum 868.

Welehradensis Ecclesia in metropoliticam fuerit evecta. *) f)

C. 869. *Methodius Moraviae Archiepiscop.*

VI. Vix cum suis in Moraviam revertit *Methodius*, maximaque populi veneratione acceptus est, **) quum gregem fidelem curae suae commissum praeceptis saluberrimis rursum imbuit,

*) Quum S. Methodius nulli alligatus sedi; Apostolorum more, jam in Olomucensi, jam Wellehradensi, jam Poleschovicensi, jam denique Podivinensi Ecclesia resederit; inde orta est, qua Pessina, Strzedovsky, aliique nituntur, totidem Moraviae Episcopatuum opinio. At metropolitica Methodii sedes nusquam reperitur fixa, sed *Regionarius* erat *Moraviae Archiepiscopus* perinde, ac S. Bonifacius Germaniae Apostolus, Episcopus simul, & Archiepiscopus *regionarius* erat antè, quam sedi Moguntinae praeficeretur. Quid? quod Episcopatus *Welehradensis* suam debet originem errori, quo accidit, ut *Welegradensis*, seu *Belogradensis* in Servia Episcopatus ad Morabum castrum situs, quod ad Bulgarorum ditiones attinet, cum Welehradensi Moraviae a scriptoribus confunderetur. *Vid. Dobner l. cit p. 93. seqq.*

f) Schminkius in Goldast. L. I. c. 2. Hatto in Epist. ad Joann. IX.

**) Majores nostros sacris christianis imbutos summam sacerdotibus habuisse reverentiam, extra dubium est. Addit Strzedovsky Sac. Morav. Hist. L. II. c. 5. ab iis sacerdotes gratae memoriae caussa Kněz, & Kněžj, quod slavice *Principem* denotat, fuisse appellatos; quo honoris titulo sacri ministri apud nos hodiedum coluntur, ideoque in vetustis tabulis Antistites sacros nunquam aliarum gentium more *Dominos*, sed solo sacerdotii, & officii nomine adnotatos reperimus: Kněž Biskup, Kněž Probošt, Kněž Opat, h. e. *Sacerdos Episcopus*, *Sacerdos Praepositus*, *Sacerdos Abbas*. Vid. Cl. de Monse Infulae doctae Morav. pag. 3.

buit, sex mensium g) spatio totum divinorum librorum codicem slavice reddidit, ad summum honoris culmen evexit Ecclesias, tanta demum pietate singulas antistitis sacerrimi partes explevit, ut omnes gauderent in agnitione veritatis, universi lætarentur in sanctitate religionis. At bellici tumultus paullo post religioni obicem, *Ratislao* regi exitium, Moraviæ mala plurima pepererunt. Quæ omnia e seditione, atque ambitu *Suatopluci* profluere quum cerneret *Metuodius*, corripuit Principis facinus nepote indignum, mentemque suam a crimine, quod avunculo Ratislao prodito incurrit, ut expiaret, hortatus est. Monita vero exacuerunt magis, quam mitigarunt fervidum regis animum; quin Præsulem ipsum cum sacerdotibus, qui parricidium regis damnabant, in contemtum adduxerunt. h) Hunc non minus, quam injurias sacris ministris illatas, diu is magno tulit animo. At quadam die festa rex *Suatoplucus* venatum in silva ad urbem Welehradium *Grecz'en* dicta profecturus, nunciat Archiepiscopo, ut missarum solennia ad suum usque reditum differat. Annuit votis S. Præsul, fere ad meridiem præstolatur adventum, tandem veritus, ut ne divinum officium negligatur, absente rege operatur sacris. Ille vero a venatione redux, ac missam fieri, jamque corpus Domini consecratum audiens, adeo ira efferbuit, ut cum omni venatica turba ecclesiam ingressus, sonitum, ac tumultum maximum, qua tubis venatorum, qua latratu canum excitaret, eademque audacia ad altare usque penetrans, deriso Præsule, ecclesia

A. C. 870.

g) Faustin. Prochaska l. cit. pag. 43. — Acta SS. Boll. ad 9. Martii.

h) Pessina Mart. Mor. L. II, c. 5. pag. 170.

A. C. 871. clesia excederet. Tum enim vero *Methodius* tanto sacrorum despectu commotus diris devovet sacrilegum, totumque Moraviæ regnum sacrorum *i*) usu interdicit. Mox Romam contendit, fratri suo reditum in Moraviam suasurus, ut ejus auctoritate, qua plurimum valuit, rex ad frugem rediret. Sed in urbem vix pervenit, quum audiit, fratrem suum *Constantinum* (ante obitum quinquaginta dies nomen *Cyrilli* assumsit) jam XVI. calendas Martias funere summorum Pontificum fuisse elatum, atque in basilica S. Petri marmoreo monumento conditum. Quid ageret *Methodius*? Corpus S. fratris ab *Adriano II.* sibi donari petit, ad monasterium patriæ suæ deportandum; renuente autem clero romano, id solum impetrat, ut e priori tumulo in basilicam S. Clementis, cujus reliquias magno labore, ac studio detulerat, translatum sepeliretur. *k*)

VII. Interea *Suatoplukus* male factorum 872. pœnitens, missis Romam nunciis *Methodium* revocat, promittens fore, ut errata sua corrigeret, atque emendaret. Quapropter S. Præsul ad gregem, corpore, non animo relictum, revisere properat. Quem redeuntem simul plebs, simul nobilitas Moraviæ maximis lætitiæ signis, summaque veneratione excepit; rex autem admissorum scelerum dolore motus, actaque serio pœnitentia, anathematis vinculo solutus est. *l*) Beata erat Moravia Apostolo suo, usque dum ille ab *Hezilone* invitatus, cum sacer-

i) Pulkava MS.

k) Anonym. vitæ SS. Cyrilli, & Methodii Auct. l. cit.

l) Ibidem.

cerdotibus pietate, ac prudentia claris in ejus ditiones profectus est, ubi messem uberrimam Christo collegit. *m*) Tali namque consilio irritatus Juvaviensis Archiepiscopus *n*), quod in messem alienam *Methodius* falcem misisset, tum apud filios *Ludovici*, tum apud *Joannem VIII.* Pont. nomen illius detulit; ad hæc perversi ritus, corruptæque doctrinæ, slavici sermonis velo contectæ, eundem accusavit. Multæ ea de caussa litteræ ultro, citroque missæ; postea vero Rom. Pontifex vulgaris linguæ usum in sacris prohibuit *o*) *), insuper *Methodium* denuo Romam accivit *p*): etsi *Suatoplucus* per legatum *Joannem Venetum*, Ecclesiæ Maravensis presbyterum, suspicionem omnem a sancto Præsule abstergere conabatur *q*). Itaque Divus noster promta voluntate summo Pontifici obsequutus, iterum Romam adiit, seque coram senatu sacro de objectis calumniis ita purgavit, ut *Joannes* Pont. laudata *Methodii* religione, eundem cum dignitate Archiepiscopi confirmata, nec non cum potestate linguæ slavicæ in sacris retinendæ in Moraviam remiserit, datisque litteris *Sua-*

A. C. 877.

880.

m) Strz'edovsky L. III. c. 8.

n) Anonym. de Conv. Boj. & Car. apud Frecherum.

o) Epist. Joannis VIII. ad Basil. Imp.

*) Quo pacto prohibuerit Joannes VIII. quod Hadrianus II. concessit, eleganter explicat *Faustin. Procivaska* l. cit. pag. 45. in not. Nempe Methodius non solum linguæ slavicæ in sacris adhibitæ, sed etiam perversi ritus accusabatur; ideoque Joañes Pont. utrumque vetuit, & rursum prius illud, comperta calumnia, indulsit.

p) Epist. Joannis VIII. T. III. Concil. p. 2. Edit. Binii, & alia ejusdem Epist. ad Tventarum de Maravna, h. e. Zventibaldum, seu Suatoplucum T. III. Epistolarum Decretal. Summorum Pontif.

q) Ibidem.

Suatopluci fidei enixe commendaverit. Quin etiam *Wichingum*, seu *Wichinum* presbyterum (qui legationis a *Suatopluco* missæ comes fuit) Ecclesiæ Nitriensis Episcopum, *Methodii Suffraganeum* consecravit; alium vero presbyterum, cuidam Ecclesiæ utilem, idoneo r) tempore Episcopum ordinandum pollicitus, sanxit, ut sacra fierent lingua latina, si hæc regi, & optimatibus magis placuerit s). Ita inquies æmulorum odium repetitam caussæ cognitionem, cognitio illustrem & pervagatam sanctitatis gloriam *Methudio* comparavit, ac Moravis plaudentibus rursum restituit.

A. C. 881. VIII. Nihilominus paullo post quidpiam controversiæ ortum est sancto Præsuli cum Suffraganeo suo *Wichingo*. Hic enim secundum græcæ Ecclesiæ instituta cum neophytis Moravis agendum lenius, ille contra doctrinæ romanæ penitus insistendum judicabat. Quod autem præcise caput in quæstionem venerit, clam omnino est; id liquido constat, a *Joanne VIII.* Pont. consolatorias ad S. Archiepiscopum litteras esse datas, quibus de pertinacia *Wichingus* arguitur t). Deinceps sanctissimus Moraviæ, & Slavorum Apostolus *Borz'ivogium* Bohemiæ ducem salutaribus tinxit aquis, ac missis cum eo sacerdotibus, religionem non minus, 890. quam litteras in Bohemiam intulit u), reliquis autem vitæ suæ annis ad procurandæ religionis studia incredibili ardore incubuit, donec laboribus

r) Baron. ad hunc annum, & Epist. Joannis VIII. inter Romæ publicatas n. 247.

s) Ibidem.

t) Vid. Epist. Joannis VIII. T. III. Annal. ad hunc a.

u) Christann. vita SS. Ludm. & Wencesl. MS. Biblioth. Metrop.

ribus apostolicis, meritisque plenissimus e numero mortalium ad immortalem gloriam capessendam abivit. Sed quo demum anno obitus ejus sit reponendus, adcurate calculos subducere non sinit veterum auctorum silentium; prohibent variæ, ac nimium inter se dissidentes scriptorum sententiæ. Vero forsitan similius, quartum Romam esse profectum; certum vero, & indubitatum ante annum 900. spiritum beatissimum Deo reddidisse, ejusque corpus Romæ in ecclesia *S. Clementis* tumulo esse conditum. v) Posteaquam Apostolus noster Moraviam reliquit, *Wichingus* haud ignarus jurium antiquorum extinctæ metropoliticæ Laureacensis ecclesiæ, auxilio *Suatopluci*, qui & priore in controversia ei suffragabatur, Metropolim in Moravia restauratam cupiit; sed conatum fefellit, seu mors regis, seu vastæ spes, & promissa *Arnulphi*, qui & Pataviensis Episcopi, & supremi in regno Cancellarii dignitatem ei pollicebatur. Utraque hac quidem potitus fuit; x) simul autem non multo post, *Arnulpho* Imp. mortuo, exutus. Quare Moravis auctor, suasorque extitit, ut novos Episcopos a romano Pontifice peterent. Postulata regis *Moymiri* fecit *Joannes IX.* Pont., misitque *Joannem* Archiepiscopum, *Benedictum*, & *Danielem* Episcopos in Moraviam, qui metropoliticam isthic sedem excitarent.*) Hi in regnum appulsi, continuo de

A. C. 894.

900.

v) Baron. in Annot. ad Martyrolog. Rom. ad 9. Martii. Et Dobner ad ann. 894. n. V. ubi solidis argumentis sententiam nostram stabilit.

x) Arnulphi Diploma apud Gevoldum, Pezium, & Hanzitium, datum anno 898.

*) Et vero excitarunt, in magnæ videlicet Moraviæ regno. Nam Bojoariæ Episcopi in litteris suis, ad Joannem IX. Papam an-

de Bavaris, præcipue *Theotmaro* Juvavienfi Archiepifcopo, qui Pataviensi infula *Wichingum* exuit, querelas regis audiunt; Bavari vero oblatas ab adverfariis criminationes accurata confutatione depellunt, ac pro juribus metropolis Juvavienfis contra erectos in Moravia Epifcopatus acerrime digladiantur. *y*) Quo autem pacto

anno 900 datis, id ipfum queruntur. " Intrantes enim prædicti Epifcopi (Joannes, Benedictus, & Daniel) in Nomine vestro — ordinaverunt in uno, eodemque Epifcopatu unum Archiepifcopum — & tres fuffraganeos ejus Epifcopos. „ Ubi vocabulum: *ordinarunt*, non neceffe eft accipere pro *confecrarunt*; ex tribus enim hisce fuffraganeis unus erat ipfe Wichingus, jam pridem confecratus Epifcopus, fed accipiendum eft pro: *determinarunt*, fcilicet novas Epifcoporum fedes; atque ita, cum antea S. MethudiusArchiepifcopus effet regionarius, nullique certæ fedi adfixus, jam novusArchiepifcopus certam, fixamque fedem haberet, qui iccirco haut alius fuit, quam Joannes ipfe, fimul cum reliquis duobus Epifcopis Legati Pontificii fungens munere. Quare Dobnerus eum paffim appellat *Archiepifcopum Moraviæ*. Vid. Dobner Annal. P. III. p. 196. pag. 342. fqq. pag. 617. & P. IV. p. 39. Id certum ex litteris citatis, ante Moraviæ magnæ excidium, fuiffe iftic, poft S Methudium, alterum quoque Archiepifcopum; de quo tamen poft excidium, quo devenerit, vetera monumenta altum filent, ficut & nomen Metropolis nusquam exprimunt, nec fuffraganeorum fedes. Quæ vero perpaucaAuguftinus in Catalogo Epifcop. Olom. aut eo antiquiorAnonymus, de Joanne I. Epifcopo Moravienfi habet, illa, inquit Ziegelbauer O. S P. I p. 39. funt ejusmodi, ut iis lituram inducere multo facilius fit, quam notis, & illuftrationibus lumen adferre.

y) Vid. Epift. Hattonis Moguntini Archiep. T. IX. Conc. p. 496. & alia Bauariæ Epifcoporum ib. pag. 498. utraque data eft ad Joannem IX. Pap.

pacto lis hæc ſopita fuerit, prorſus ignotum. Sequuti enim tumultus bellici, ipſaque regni Moraviæ everſio religionem chriſtianam evertit in Moravia.

PERIODUS III.

De ſtatu Moraviæ uſque ad initia Marchionatus: ſive a ſeculo decimo ad duodecimum. Annus Chriſti 907 — 1182.

I.

A morte regis *Mogemiri* florentiſſimum *Moraviæ* regnum, igne, ac ferro vaſtata Marahania, plures in partes a finitimis Slavis, & Germanis diſcerptum, ultra non effloruit. Immo aſſiduis Hungarorum incurſionibus innumera prope Marahenſium multitudo partim fuit cæſa, partim in Bohemiam, Hungariam, aliasque finitimas regiones profugit. *a*) Hinc omnes Moraviæ ditiones, Danubio proximæ, vaſta fuerunt ſolitudo; *b*) ulterior autem regio intra Moravam flumen in poteſtatem Bohemiæ ducum cecidit *c*), quod hi provido ſane conſilio ab Hungaris ſtarent. Tandem Orientalis, ſeu Oſterrichiæ, hoc eſt: Auſtriæ Marchio, Bojoarii, ipſique Moravi, Hungaris retrocedere co-

A. C. 908.

a) Conſt. Porph. de Adm. Imp. c. 41.
b) Acta Eccleſ. Laureac. apud Dobn. Annal. P. IV. ad ann. 937.
c) Anon. Belæ Notar. in Conſt. limit. reg. Hung. c. 57.

coactis, a limitibus Bohemiæ latius se se explicarunt, *d*) ac paullo post quidam reguli, seu principes dominatum quæsierunt. *e*) Hos inter præcipue memorant veteres Principem Lucensem (vulgo *Curimensem*) nomine *Drslai*, aut *Radislaum*, qui in hodierna regione Znoymensi *) Bohemiam versus dominatione quum poriretur, nulla injuria lacessitus, Bohemiam armis invadit, agrosque depopulatur. At *S. Wenceslaus* id temporis Bohemiæ dux, ne fines suos proferre posset, tum copiis illi objectis, tum & mirabili, ut ferunt, duello avidum principem repressit. **) Ceteros id genus in Moravia, & Bohemia principes, quos tum *Suppanos* vocabant, postea in ordinem redegit *Boleslaus Sævus* Bohemorum dux, summam ideo potestatem in Bohemia, & Moravia, nec non parte Hungariæ

A. C. 925.

Boleslaus I. Sævus 939. Boh. & Mor. Dux.

d) Conrad. I. Abbas Mellicensis apud Hieron. Pezium T. I. Dissertat. 3. p. 52.

e) Witichindus l. II. c. 29. p. 241.

*) *Regionis* Znoymensis fines in Bohemiam usque procurrebant, qui terrarum tractus *Licz ko*, seu *Lucz'ko* olim dicebatur; hodie notus est vicus *Luca*, & *Lucense* Canonicorum Præmonstratensium monasterium, civitati Znoymensi adsitum. *Vid. Dobner Annal. ad annum* 925.

**) Hagecius ad annum 925. ejusque asseclæ narrant; quum utriusque exercitus signa in conspectu stetere, Wenceslaus dux Pragensis, ne sanguis suorum innocue profunderetur, Curimensem ducem missis nunciis invitat ad singulare certamen. Mox Curimensis, postquam Wenceslai frontem aurata cruce præfulgidam, cœlestesque duos armigeros ejus latera stipantes vidit, ab equo præceps in genua procumbit, suique ausus veniam petit. At Christannus, & Dalemilus *solius tantum crucis* in fronte nitentis mentionem faciunt. *Vid. Dobner l. cit. ad hunc annum.*

riæ consequutus. *f*) Quin ad Danubii ripas extendit Moraviæ limites, postquam *Bertholdus* Bavariæ dux ad Drunam superioris Austriæ fluvium Hungaros ingenti clade affectos, ex omni Marchia orientali, seu Austria, proinde magna veteris Moraviæ parte ejecit. *g*) Pari fortuna *Henricus* itidem Bavariæ dux, *Ottonis I.* frater, Hungaros nuper in Saxonia victos, ad sinum maris adriatici cecidit, armisque victricibus Aquileja exutos, magnam Pannoniæ partem deserere compulit. *h*) Ita factum est, ut antiqui Moraviæ incolæ, varias in regiones everso regno profugi, postliminio redirent, terrasque jam vindicatas colere cœperint.

A. C. 943.

947.

II. Verum gens bellicosissima Hungari rursum redivere ad ingenium, non Moraviæ modo, sed Germaniæ etiam infesti. Plurimum igitur nervos eis incidit *Otto M.* Imp., qui, *Boleslao* Bohemiæ duce suppetias ferente, immanem illorum multitudinem ad Augustam Vindelicorum prostravit; *i*) reliquos autem ex bello, qui summo impetu in Bohemiam se effuderant, ipse *Boleslaus* auxiliari manu Imperatoris in Moraviam propulit, atque ad internecionem delevit adeo, ut ditiones suas ad Danubium

955.

E tu-

f) Id patet ex consilio erigendi Episcopatus Pragensis, & ei Moraviam uniendi sub Boleslao I. duce Bohemiæ. Vid. Annal. Hay. apud Dobn. ad ann. 965. seqq. item Diploma Henrici III. Imp. datum anno 1080. ubi limites Episcopatus Pragensis describuntur.

g) Chronic. Saltzburg apud Pezium T. *I.* ad annum 943.

h) Witichind. L. *III.* pag. 656.

i) Hepidanus Monach. S. Galli ad annum 955. Vita S. Udalrici apud Mabill. Sec. V. Bened.

tutiſſime, firmiſſimeque teneret, decem ipſos annos Hungaris quieſcentibus. *) *k*) At mortuo Boleslao I. vix ejus filius *Boleslaus II.* ſeu *Pius* thronum paternum conſcendit, quum Hungari a Moravis, Bohemorum imperium pertæſis, exciti tota Moravia potiti ſunt. **) Oppoſuit quidem hoſpitibus illis arma *Boleslaus Pius*; bellum tamen vario marte tractum eſt, quum Moravi benigno novi ducis imperio illecti, ac mutato conſilio, Bohemis ultro ſubjecti, aſperos dominatores finibus ſuis ejeciſſent. *l*) Summa deinde tranquillitas in Moravia viguit, *Taxo* præſertim Hungarorum duce e vivis erepto, eique ſuffecto *Geiza* S. Stephani patre, qui, ut mitiſſimi erat ingenii, auctor fuit ſubditis, ut, armis poſitis, pacifica cum vicinis colerent commercia. *m*) Sed magnam in cladem denuo inciderunt Moravi, quum Mieczislai filius *Boleslaus Chobry* ducatum Poloniæ adeptus, Cracoviam cum finitimis regionibus, ut

Boleslaus II. Pius, Boh. & Morav. Dux.

A. C. 967.

972.

---

*) Circa idem tempus ſcil. anno 959. obiit Conſtantinus Porphyrogenitus Græcorum Imperator, qui locum in hiſtoria Moraviæ meruit, quod plurimas Moravorum memorias hiſtoriis ſuis conſervaverit. Hic slavici ſermonis probe gnarus, ſcriptis ſuis palam fecit, quanto in pretio id temporis, quo etiam Otto M. eandem didicit, lingua slavica fuerit. *Pagius in Crit. Bar. ad eundem ann.*

k) Witichind. l. c. L. *II.*

**) Quæ Peſſina Mart. Morav. L. III. c. 1. ex MS. Comenii *de Olgo Russorum Principe* a Moravis in regem adſcito, ejusdem bellis, fatisque excerpſit, ea mera ſomnia eſſe convincunt hodierni *Ruſſorum* annales in ſummam lucem vindicati. *Dobner Annal. Hayec. ad annum* 949. *n.* 1.

l) Peſſina Prodromo Moravogr. L. I. c. 5. Martis Moraviæ L. III. c. 1.

m) Notæ Aloldianæ ad ann. 972. & Chartuitius in vita S. Stephani n. 1.

ut pater suprema voluntate cavit, *Wladibogio* fratri suo cedere nolebat. Hic enim patrio solo extorris, in fidem *Boleslao Pio* se dedit, ideoque frater illius irruptionem in Moraviam fecit. Quem non modo e Moraviæ finibus depulit, sed etiam cis- & transoderanis terris, ipsaque Cracovia privavit *Boleslaus Pius*. Et illas quidem ditiones *Wladibogio* tradidit, Cracoviam vero cum adsitis regionibus retinuit, eoque modo simul in Bohemia, Moravia, & parte Poloniæ dominabatur. *n*) Verum paucos post annos obiit, relictis tribus filiis: *Boleslao*, *Jaromiro*, & *Udalrico*.

A. C. 994.

999.

III. Simul ac *Boleslaus Pius* e vivis excessit, *Boleslaus Polonus*, ejusque filius *Mesico*, seu *Miesko*, occupata regione Cracoviensi, Moraviam omnem ditioni suæ subjecerunt *o*). De tanta jactura certior factus *Boleslaus III.* paterni in Bohemia principatus, sed non virtutis heres, in Poloniam profectus, damno suo pacem cum hostibus iniit, eisque Moraviam vel invitus cessit *p*), quæ pluribus porro annis Polonorum jugo subdita, non nisi ab *Udalrico* Bohemiæ duce vindicata iterum fuit. Nempe regimen Bohemiæ id temporis adeo turbatum erat, ut ipse etiam Boleslaus Polonus Bohemiæ sceptrum invaderet; *q*) quo quidem nudatus denuo est, Moraviam tamen diuturno pressit dominatu. Quum vero alienam teneret provinciam, ac satis, superque illi foret adversus Bohemos eam tueri: minus habitatas meridionales Mo-

Boleslaus Chobry, Polonus.

1000.

 ravi-

n) Pulkava c. 28. MS. & Dubrav. L. VI. — Vid. Hist. Boh. Pelzel in Bolesl. II.

o) Cosmas ad annum 999. Dalimil histor. Bol. c. 33. Dubrav. L. VI.

p) Dalimil l. cit.

q) Ditmarus L. V. p. 371.

raviæ ditiones minimi duxit, easque excolendi liberum Germanis aditum præbuit. Quare Marchiones orientales Austriæ dominatum ibidem occuparunt, suamque gentem paucis post annis ad Tajam, & hujus ac Moravæ confluentem usque explicuerunt *r*). Id quod eo facilius accidit, quo pluribus identidem bellis implicitus hic Poloniæ dux erat. Horum præcipuum *Henricus II*, Imp. plures ob causas eidem intulit, quadripartito exercitu collecto. Itaque

A. C. 1015. Marchio Austriæ Polonos e Moravia prædas agentes insecutus cum Bavaris, præda erepta, octingentos neci dedit; *Udalricus* Bohemiæ dux urbem olim magnitudine celebrem *Russine*, seu *Russvicium* in Moravia, qua Austrum spectat, sitam incendio delevit, mille viris captis. Imperator *Henricus* nullum eo anno operæ pretium fecit, anno autem sequente *Nimptschium*, seu *Nemetiam* oppidum, Reichenbach inter, & Strelen in hodierna Silesia situm, obsidione cinxit; sed receptui signum dedit, ut ne redi-

1018. tu prohiberetur *s*). Tandem pax Germanos inter, & Polonos jurejurando sancita est; nihilominus haud reddita Bohemis Moravia. Tantæ fuit Boleslaus Chobry potentiæ, qua tumidus *regium nomen* assumsit, auctoritate Joannis XIX. Pont. corona regia sibi imposita *t*); ea vero relicta filio suo *Mieskoni*, fatis cessit.

IV.

r) Dobner Annal. ad ann. 1002. sub finem.

s) Ditmarus L. VII. pag. 401 — 407. & L. VIII. p. 419. seqq. Dobn. ad ann. 1015. seqq.

t) Auct. Chron. Quedlinburg. apud Leibnit. T. II. Wippo in vita Conradi Sal.

IV. Primis statim a morte Patris diebus *Miesko*, sive *Miecz'islaus II*, regia corona, quam nuper Poloni Principes aversabantur, cum conjuge sua Richeza redimitus est, frustra ringentibus Germanis; fratrem vero suum *Ottonem* Poloniæ cisoderanæ, Marchiæque Milcz'aviæ heredem, quod *Conradi* Germaniæ regis partibus impense faveret, exilio multavit. *Otto* ad Luiticios se recepit, inde a fratre in Rugiam pulsus, *Conradi* jam Imperatoris auxilium implorat. Hic alioquin ægro ferens animo, quod *Miesko* se inscio, atque invito, regis insignia usurpaverit, bino exercitu eundem aggreditur; *Udalricus* autem Bohemiæ dux Imperatori amicus, copiis suis Moraviam invadit, filio suo *Brz'etislao* bellicæ rei præfecto. *Miesko* duos inter exercitus medius vim suam omnem uni Imperatori objecit, quum interea *Brz'etislaus* Moraviæ civitates obsidione premit, quarum incolæ partim dominatum Polonorum exosi, partim destituti eorum subsidio, pactis clandestinis portas recludunt, ac deditionem ultro faciunt. Juvenis heros, jure victoris usus Polonos præsidiarios aut trucidat, aut captivos centuriatim vendit in Hungariam; ceteros autem e Polonis, civitate in Moravia donatos, exilio & bonorum privatione plectit. Hunc in modum Moravia annos circiter triginta Polonis subjecta, Bohemis rursus obtigit, eamque *Udalricus*, bellicam filii virtutem præmio adfecturus, non quidem *titulo Marchionis*, sed *Ducis clientelaris Brz'etislao* regendam dedit. *u*) *)

Miesko, seu Miecz'islaus, Polonus. A. C. 1026.

1029.

 V.

u) Cosmas L. I. ad annum 1021. & Dlugossus L. II. pag. 183. Dobn. ad ann. 1029.

*) Dubravius hist. Boh. L. VII. familiam ducit opinionis ejus, quæ ab Udalrico

A. C. 1030. *Brz'etislaus, Morav. Dux.*

V. Posteaquam ad gubernacula Moraviæ accessit Brz'etislaus, annos non amplius septemdecim natus, prosperis arrogans successibus, non clientis fiduciarii, sed dominatoris more elatius se gessit, atque inscio patre fœdus cum Imperatore *Conrado* adversus Hungaros, Osterrichiam, sive Austriam infestantes pepigit. Hinc opinione citius coacto Moravorum militie, quum Imperator dextro Danubii latere hostilem regionem *Raaba*, seu *Jaurinio* tenus vastat, ille sinistra fluminis ripa, conserto prælio victor, fugientes Hungaros Strigonium usque persequutus, ferro, & igne omnia late populatur. Victoriæ hujus fama in Bohemiam perlata, cum *Udalricum*, *Stephano* Hungariæ Regi longe amicissimum, in stuporem dedit, tum in *Brz'etislaum* gravi adeo ira accendit, ut eundem armata vi a tergo insecutus, ab expeditione hac minis revocaret gravissimis. Longius nempe consiliis, & prudentia sua prospexit

rico Brz'etislai patre, Marchionatus Moraviæ initia auspicatur. Sed his temporibus vicinus Cosmas Marchionum, & Marchio natus ne meminit quidem; Duces solum, & Principes memorat. Tria vero Udalrici diplomata, a Visenmanno apud Beczkovsky p. 792. prolata, in quibus idem Udalricus & Brz'etislaus Marchiones Moraviæ nominantur, sunt multis capitibus spuria. Nam in iis leguntur *Hungarici floreni*, *sexagena grossorum Bohemicorum*, & *clypei hereditarii*, qui duodecimo; item titulus *Lucenburgici*, & *Silesiæ Ducis*, qui decimo quarto seculo demum invaluerunt. Deinde Joannes Christophorus Visenmannus, judicio eruditorum auctor est protritæ fidei. *Vid. quæ adnotavit D. Perillustris de Monse ad criticam Inquisit. de initio Marchionatus Moraviæ nota I. pag. 5. seqq.* Item *Dobner. T. V. Annal. ad ann.* 1029.

:031.

x) ... 1030.

y) Idem ad ann. 1031.

Geschichte Böhm. III. Th. ex Balbini T. II. MSS. animadv.

A. C. 10
Brz'etisl
Morav. D.

s leguntur
ui, *sexage.*
Bohemico.

l. V. Annal. ad ann.
1029.

xit pater sagacissimus, ac filius in republica inexpertus. Existimabat igitur non tantum sibi, gentique suæ impendere periculum a Stephano, & Hungaris, quantum a Conrado, & Germanis, qui prolatos in Hungariam Marchiæ orientalis fines, paullo post in Moraviam quoque sint prolaturi; ut re ipsa eventus docuit, quum eorum vires, finitimis terris occupatis, in dies magis, magisque formidandæ evaserunt. Ita quidem jure, ac merito *Udalricus*; *Conradus* vero tanta Moravorum ope subito destitutus, factum illius non secus aceepit, ac si ab eodem sibi struerentur insidiæ, quarum postea pœnas expetiit *x*). At horum omnium origo Adalbertus Marchio Osterrichiæ, tum adhuc Bavaris subjectæ, nullum non movit lapidem, ut *Brz'etislaum Udalrico*, huic Imperatorem reconciliaret. Proinde clam *Conrado*, pacem *Henricum* Bavariæ ducem inter, & *Stephanum* Hungariæ regem composuit; deinde nuptiarum quoque conciliator, operam dedit, ut *Brz'etislaus* cognatam ejus Juditham, Henrici Marchionis Franciæ orientalis filiam, Ottonis de Suinfurt sororem, matrimonio sibi jungeret. Erat Juditha eximia pulchritudine femina, in *Suinfurtensi*, seu *Suinbrodensi* parthenone liberaliter educata, quam inde haud invitam rapuit *Brz'etislaus*, atque Olomucium in Moraviam devexit, ubi praesente *Udalrico* jam placato, nuptiis celebratis, *y*) aquilonem versus super saxeo colle castrum extruxit, hodiernæ metropolitanæ Ecclesiæ oppositum, illudque Hradisste, id est: *castellum* appellavit *z*).

A. C. 1031.

E 4 VI.

x) Vid. Dobner ad ann. 1030.

y) Idem ad ann. 1031.

z) Pubitschka chronolog. Geschichte Böhm. III. Th. ex Balbini T. II. MSS. animadv.

VI. Rebus supra votum in Moravia fluentibus, sævum in Polonia flagrabat bellum, e civilibus fratrum discordiis enatum. *Otto* quippe *Mieskonem* regno depulsum, ad *Udalricum* Bohemiæ ducem persugere coëgit; ipse vero summa rerum potitus, missis insignibus regiis, Imperatori se dedit. Ea occasione usus Imp. Conradus, cisoderanas Poloniæ terras divisit in tres tetrarchias, quarum unam, verosimilius ducatum *Oppaviensem, Ratiboriensem,* & *Teschinensem* Brz'etislao Moraviæ duci *a*) tradidit. Munus hoc iste clientelari jure ab Imperatore quum accepisset præter patris voluntatem, rursum novum ejus odium, itamque exacuit. Etenim biennio post e captivitate, qua Virbenæ ad Albim oppido tenebatur, jussu Imp. Conradi emissus Udalricus, ut in Bohemiam revertit, filium Moraviæ ducatu exuit, terrisque omnibus ejecit. *b*) Exul Brz'etislaus ad regem Henricum, ac Bavariæ ducem confugit, qui bello adegit Udalricum, ut in gratiam rediret cum filio, eumque Moraviæ, ac hodiernæ Silesiæ ditionibus restitueret. *c*) Has sine ullo negotio vix quidem receperit, quum paullo ante in Polonia Ottone ob tyrannidem occiso, Miesko e Bohemia redux, thronumque suum repetens, ex improviso in Moraviam irruperit *d*). Quam nullo resistente, longe, lateque percurrisse, castella repentino impetu occupata, ac direpta vel incendisse, vel præsidio suo firmasse, legitur; sed quonam modo hospes fe-

A. C. 1032.

1034.

a) Wippo in vit. Conradi Sal. ad annum 1032. & Dobner ad eund. ann.

b) Cosmas ad ann. 1000. — Annal. Saxo. ad ann. 1034.

c) Wippo in vit. Conradi Sal. & Dobner ad ann. 1034.

d) Pessina Mart. Morav. L. III. c. 2.

ferociſſimus noſtris e terris ejectus ſit, veteres non prodiderunt memoriæ. Illud omnino certum, paucos poſt annos Mieskone mortuo, anarchiam in Polonia obtinuiſſe, qua ſus deque vertebantur omnia. Neque diu poſt ſupremum obiit diem Udalricus Bohemiæ dux; quapropter imperium Bohemiæ ad Brz'etislaum, unicum ejus filium, tranſiit. *A. C.* 1036.

VII. Auſpicatus Bohemiæ regimen eſt Brz'etislaus ab expeditione adverſus Polonos, partim injurias majoribus ſuis illatas ulturus, partim graviſſima, quæ nimium ſæpe Moravia accepit, reſarturus damna; imprimis vero, ut jus in Poloniam, quod jam inde a Duce Boleslao Pio videbatur eſſe legitimum, perſequeretur. Itaque collecto ex Bohemis, Moravisque exercitu, Poloniam infelici anarchia turbatam ingreditur, ac velut ingens tempeſtas furit, ſævit, ſternit omnia. Villas, & urbes cædibus, rapinis, incendiis vaſtat; in munitiones irrumpit, easque diruit; Metropolim Cracoviam impetu facto expugnat, ac theſauris, quos antiqui duces in ærarium retulerant, prædæ loco abreptis, excindit, funditusque evertit *e*). Inſuper anno altero bellum proſequutus, Gneſnam præſidio vacuam capit, ac prædæ dat militibus; ſacra autem *S. Adalberti* olim Bohemiæ, & Moraviæ Epiſcopi, *SS. Gaudentii*, & *quinque Martyrum Fratrum* corpora e templo reverenter levat, ac tandem ferme omni jam Polonia ſub poteſtatem ſuam redacta, infinita auri, & argenti præda onuſtus, Pragam triumphans ingreditur, *f*) cujus ingreſſus hodieque

1038. *Brz'etislaus, Boh. & Mor. Dux.*

1039.

e) Cosmas init. L. II. Dlugoſſus L. II. p. 1037.

f) Cosmas l. cit.

que numus memorialis g) exstat. Hac ratione Polonis reddita quidem talionis pœna fuit; sed Brz'etislaus grande capiti suo malum accersivit. Nam Henricus III. Germaniæ rex veritus, ut ne subactis prorsus Polonis vires Bohemiæ, ac Moraviæ ducis maximo opere crescerent, Bohemiam armis lacessivit, tamque diu bellum ex bello sævit, dum tandem sive socordia, sive perfidia Procopii h), qui Moraviæ, & Hungariæ copiis præerat, Pragam usque cum exercitu penetravit, ac *Brz'etislaum* ad pacem duris conditionibus ineundam compulit. Quas inter præcipua erat, ut datis obsidibus, auxilia & societatem armorum Henrico promitteret, solutoque trium annorum tributo, tributariam agnosceret Bohemiam. Id quod ille non solum præstitit Ratisbonæ in comitiis, sed jure etiam jurando pactum firmavit i), proinde cis, & trans Oderam Poloniæ, sive hodiernæ Silesiæ, civitates omnino retinuit. Has tamen postea Casimirus a proceribus Polonis e monasterio Cluniacensi ad Poloniæ solium vocatus, auro redemit, numeratis in annos singulos primum quingentis k), deinde vero quingentis triginta marcis. l) *)

A. C. 1042.

VII. Sublata Brz'etislaum inter, & Henricum regem dissensione, Bohemiæ æque ac Mo-

g) Voigt de Mon. Boh. T. I. pag. 273. in Brz'etislao num. 5.

h) Cosmas ad ann. 1040.

i) Annalista Saxo ad annum 1042.

k) Monachus Gradicensis Mon. ined. Dobn. T. III. ad ann. 1049.

l) Cosmas ad ann. 1054.

*) De valore *Marcæ* tum usitatæ Vid. Adauctus Voigt Beschreibung der bisher bekannten böhmischen Münzen.

Moraviæ aliquamdiu pacatæ esse licuit. Hungari dein Bohemos Germanis fœderatos ulturi, creberrimas in Moraviam incursiones fecerunt; etsi ab eisdem semper sunt egregie multati. Quo audito Andreas rex Hungariæ dixisse fertur: *Nihil mirum, si pelles amittant suas, qui crumenas excutere quærunt alienas. m)* Ne vero deinceps par pari referrent Moravi, idem rex civitatem *Brodam* vulgo dictam *Hungaricam*, condidit supra fluvium Olssavam. Quum enim ad tutandos limites suos per id tempus circumspiceret omnia, etiam isthic Moravis objecit munimenta & civitatem; quæ demum decennio post, rege Hungariæ Salomone, juris Bohemici facta est, terrisque Moraviæ, ad quas & hodie spectat, accessit. *n)* Brz'etislaus interea tranquillitatis studio ditiones suas filiis divisit, ac *Spitigneo* natu maximo Satecensem Bohemiæ provinciam, *Wratislao* Olomucensem; *Conrado*, & *Ottoni* Znoymensem, ac Brunensem regiones Moraviæ dedit; *Jaromirus* natu minimus, tum adhuc litterarum studiis vacans, interim fuit prætermissus, quod Episcopatui Pragensi destinaretur *o)*. Atque hæc omnium prima Moraviæ partitio suscepta est. Quo autem minus successio hereditaria in Bohemiæ ducatu intestinis bellis occasionem daret, suprema voluntate sanxit: Ut Bohemiæ, & Moraviæ ducatum unus, idemque Princeps teneret, in cujus successione *non primigenituræ*, sed *senioratus* haberetur ratio, proinde *natu maximus e ducum progenie* imperaret, cui fratres ceteri, Moraviæ duces parerent. *) Quæ constitutio or-

A. C. 1049.

1053.

m) Hagecius ad ann. 1049.
n) Chron. Hunnobrod. Dobn. Mon. inedit. T. II. p. 283

o) Cosmas ad ann. 1055.
*) Receptum more antiquo erat, ut omnes Prz'emislkea

ordinum Bohemorum consensu *legis pragmaticæ* instar fuit recepta, & consequentibus porro annis observata *p*). - His ita constitutis postremam expeditionem suscepit Brz'etislaus non tam suo, quam Imperatoris nomine, ac voluntate, ut Hungaros in Austria latrocinantes cohiberet. At in ipsa profectione interrupit eum immatura, atque inopina mors, *q*) qua sublatus Chrudimii Bohemorum est, Pragæ vero in Ecclesia S. Viti sepultus.

A. C. 1055.

Spitigneus, Boh. & Mor. Dux.

IX. *Spitigneus* non solum ut primigenius *Brz'etislai* filius, sed quod maximus natu e stirpe ducali foret, Bohemiæ, & Moraviæ principatum obtinuit. Verum sub primos imperii dies confestim fratres, Moraviæ duces, supremo jure, ac clientelari ejus subjectione se se eximere attentarunt, initisque cum Ernesto Au-

alex stirpis, tamquam primo ducali sanguine orti, congenitum quoddam jus ad titulum ducis haberent. Hinc & Bohemiæ ducum, & Moraviæ Principum, nati eodem sanguine filii, ac nepotes, ducale nomen gerebant, seque provinciæ, cui præerant *duces*, provincias ipsas *ducatus* appellabant, ut patet ex diplomatis: *Dux, vel ducatus Olomucensis, Brunensis, Znoymensis.* Hi tamen ducatus arbitrarii, & caduci erant, plures, aut pauciores pro numero Principum, quibus mortuis, vel expulsis, revixit prius nomen *provinciæ, regionis, terræ*, vel *territorii*. Denique titulus *ducatus* his terris commodatus, non donatus erat, ne usurpatione alterius tituli, nempe *ducis Bohemiæ*, uni illi, & primario duci, molestia, damnumve crearetur. Quæ omnia inviolata voluit Brz'etislaus statuendo jus novum successionis in Bohemiæ ducatu. *Vid. Dobner de initio Marchionatus n. VII.*

p) Cosmas ad ann. 1055. Frecherianæ edit. p. 31.

q) Dalemilus c. 45.

Austriæ Marchione, Andrea Hungariæ rege, & Juditha matre consiliis, fabam in caput illius cuderunt; *r*) quin immo conſciis Moraviæ nobilibus, solenne icerunt fœdus. Clandeſtina fratrum consilia latere non poterant *Spitigneo*, qui icciro primum Germanos omnes, non amplius tridui spatio, e Bohemia exulare juſſit, ac ne matrem quidem suam Judithàm ea lege exemit; etsi eandem omni cum honore, cultu, & comitatu in Hungariam dimiſerit. *s*) Deinde armata manu celeriter properat in Moraviam, ejusque nobiles, quos Chrudimii obvios habuit, equis, & armis spoliatos, in vincula conjicit; denique tres fratres suos, proditionis reos, Moraviæ regionibus multat *t*). Duces quidem *Conradus*, & *Otto*, alter Brunensis, Znoymensis alter, *Spitigneum* præſtolati in Moravia, ditiones suas eo vivente non receperunt, sed palatinis in Bohemia miniſteriis *u*) addicti sunt; *Wratislaus* autem dux Olomucensis, relicta Olomucii Arabona conjuge, fuga salutem ab Hungariæ rege Andrea petiit *v*). Itaque dux Bohemiæ Arabonam in carcerem mittit, quo liberata precibus Severi Epiſcopi, quum in Pannoniam ad maritum feſtinat, repente *x*) moritur; Hungaros autem lectis Moravorum copiis aggreſſus, magna clade afficit, multaque eorum caſtella expugnat. *y*) At hæc ipsa rursus reddita regi Andreæ sunt, poſtquam filio ejus Salomoni Henricus IV. Germaniæ rex sororem

A. C. 1056.

---

r) Cosmas ad ann. 1055. Dobner ad eund. ann.

s) Dalemilus Hiſt. Boh. c. 46.

t) Idem l. cit. Peſſina Mart. Morav. L. III. c. 2. pag. 262.

u) Hayecius ad ann. 1056.

v) Idem l. cit.

x) Idem. l. cit. & Cosmas ad ann. 1055.

y) Dalemil. l. cit. c. 46.

rorem suam Sophiam promisit sponsam parvulo parvulam z), ipse vero Andreas filiam suam *Adelhaidem Wratislao* profugo dedit uxorem magna cum dote, regioque apparatu a). Tum enim *Spitigneus*, praesertim interpositu Germaniae regis mitiorem induit animum, missisque legatis, *Wratislaum*, & *Adelhaidem* in Moraviam evocavit, eosque benigne exceptos, ducatui Olomucensi restituit. b) Immo posita veteris odii memoria, integram adeo tuitus est concordiam, ut, quum Bela Andreae frater Polonis auxiliaribus Hungariae regnum invasit, suis perinde, ac missis ab Henrico rege copiis opem Andreae laturus in Hungariam properaret. c) Sed in ipso itinere morbus improviso eum oppressit.

A. C. 1059.

1061.

X. Extincto *Spitigneo*, e sanctione pragmatica *Brz'etislai*, ad principatum pervenit *Wratislaus*, qui fratres suos aetate anteibat. Is confestim e Moravia Pragam profectus, incredibili gaudio Bohemos affecit, praecipue *Conradum*, & *Ottonem* fratres, in quos continuo Moraviam ita divisit, ut ille occidentalem, iste orientalem provinciae hujus partem obtinuerit d). Inter haec aliis quoque rebus in ordinem digerendis intentus, laboranti Hungariae regi succurrere haud potuit; proinde rivalis Bela regnum Andreae eripuit, id quod triennio post adeptus est Salomon opera *Wratislai*, & Germaniae regis Henrici. e) Beneficio huic ut responderet Hungariae rex Sa-

Wratisl. II., Boh. & Mor. Dux.

1064.

z) Continuator Herman. Contr. ad ann. 1059.
a) Hayecius ad ann. 1057.
b) Idem. l. cit.
c) Schafnaburg. & Chron. Hervold. ad ann. 1061.
d) Hagecius ad ann. 1061. & Mon. Grad. ad ann. 1060.
e) Schafnaburg. ad annum 1063.

Salomon, pactione cum Wratislao facta, Moraviæ limites Hungariam versus protendit, ac *Hunno-Brodam* quoque *Ottoni*, & *Conrado* ducibus Moravanis cessit, quorum alter civitatem hanc vallo permunivit, alter mœnibus circumdedit. *f*) Inde summa tranquillitas finitimos apud populos enata, præcipue quod *Wratislaus*, mortua Adelhaide, *Suatavam* Boleslai Poloniæ ducis sororem matrimonio sibi junxerit. *g*) Sed nova turbarum semina jecit cum *Jaromirus Brz'etislai* minimus natu filius, de quo in ecclesiastica Moraviæ historia; tum Salomon Hungariæ rex, qui res bellicas a ducibus *Geiza*, & *Ladislao* præclare gestas lividis aspexit oculis. *h*) Quare Ladislaus a fratre suo Geiza missus ad *Ottonem* Moraviæ ducem, quocum Euphemia eorum soror nupta fuit, auxilium implorat; contra Salomon a *Wratislao* petit suppetias. Re vera utrinque competitores auditi, eodemque bello, res fœda dictu, frater contra fratrem, Jaromiri Episcopi Pragensis artibus, stetit. Nam *Otto* cum validis e Moravia copiis advolans prælio, quod interim Geiza sinistro Marte cum Salomone conseruit, felicius renovato, regi ab intimis consiliis Comitem *Vid*, & Bohemi exercitus ducem *Suentoplucum*, seu *Zventibaldum* fundit, versoque in fugam Salomone, captivum abducit. *i*) Magno sane stetisset ea victoria *Ottoni*, nisi Henricus IV. Germaniæ rex auxilio Wratislai contra Austrios, Saxones, & Italos plurimum eguisset. Quum enim Henricus & Misniam cum hodierna Lusatia superiore, &

A. C. 1068.

1074.

f) Chron. Hunnebrod. mon. Boh. inedit. T. II. pag. 284. & Annal. ad ann. 1068. apud Dobner.

g) Cosmas ad ann. 1062.

h) Thwroczius c. 52.

i) Idem. l. cit. pag. 122. — 125.

& *regiam coronam* eidem polliceretur; Wratislaus cum fratribus suis fideli semper in eum animo, ubivis locorum suppetias ivit pluribus bellorum annis. Eam sibi locatam remuneraturus operam, Henricus jam Imperator, in conventu Moguntiæ habito, præsentibus regni Optimatibus, Ducibus, Marchionibus, Episcopis, Wratislaum *Regem* nominavit, eique regiam coronam ipse imposuit; Trevirensis autem Archiepiscopus eundem Pragæ ritu solenni unctum, regia corona redimivit, spectante innumera hominum multitudine, & salutem, ac felicitatem acclamante. *) *k*)

A. C. 1086 *Wratisl. II., Boh. Rex I.*

XI.

---

*) Hæc dignitas regia Wratislao collata, fuit solum *personalis*, ideoque ad posteros non transiit usque ad Wladislaum II. Bohemiæ regem. Unde a vero abludit, quod Pulkawa sec. XIV. scriptor ad ann. 894. narrat, scilicet: Post eversum Magnæ Moraviæ regnum annis 92. idem regnum ab Henrico IV. Imp. cum consensu Principum imperii instauratum, atque in Bohemiam fuisse translatum, dum Wratislaum *regem*, & ducatum Bohemiæ *regnum* appellavit. Item ab eodem Imp. Moraviam in *Marchionatum* esse commutatam, & cum ceteris principatibus, ac provinciis, quæ quondam Suatopluco ultimo regi Moraviæ paruerant, ut Polonia, Russia &c. coronæ Bohemiæ incorporatum, subjectumque fuisse. Nam huic sententiæ repugnant contraria testimonia coævorum scriptorum, & diplomatum; *Russia* quoque Moravis, Bohemisve nunquam subjecta erat. Immo Pulkawa ipse sui oblitus, deinde per annos 100 omnes eos, qui Moraviæ præfuerunt, non *marchiones*, sed duces, & principes, ut Cosmas, Vincentius, aliique coævi, nominat, e. g. pag. 128. *Otto Dux Moraviæ.* pag. 129. in ipso diplomate Henrici IV. Imp. *Conradi Ducis*, nempe itidem *Moraviæ. Vid. Dobner Mon. hist. T III. pag.* 89 *&* 127. & *de initio Marchionat. Mor. n. III.*

k) Cosmas ad annum 1086.

XI. Haud diu poſt *Otto* *) Moraviæ orientalis dux e vita exceſſit, cujus duo filii *Suatoplucus*, & *Ottik*, ſeu *Otto*, ſuaſore *Conrado* patruo terras patrimonii ſui occuparunt, absque conſenſu *Wratislai* regis, qui ſummum in Moravia principatum retinuit. Ille igitur utrumque terris paternis exuit, eorumque loco Olomucium cum civitatibus ceteris *Boleslao* filio ſuo tradidit, qui hoc ipſo anno præmatura morte obiit *l*) Patruelium miſerorum partes amplexi ſunt cum *Jaromirus* Pragenſis Epiſcopus nimio Wratislai, quoad vixit, odio alioquin imbutus, qui Ladislai Hungariæ regis opem adverſus vim fratris implorabat *m*); tum *Conradus* Znoymenſis, & Brunenſis dux, qui ditionem paternam exheredatis vindicaturus, eosdem in fidem, ac præſidium ſuum recepit. *n*) Facinus hoc tanta iracundia *Wratislai* accendit animum, ut lecto milite Moraviam ingreſſus *Conradum* de poſſeſſionibus omnibus deturbare conaretur. Verum aderat in exercitu filius regis *Brz'etislaus*, qui ob illuſiones, neſcio quas, *Zderadium* ærarii præfectum, patri cariſſimum, in caſtris occidit, & multis, iisque fortiſſimis aſſeclis ſeductis, caſtra ſua caſtris paternis oppoſuit. Zderadii cædes ut prorſus inexpectata *Wratislao* accidit, ita iram in filium exacuit, in *Conradum* extinxit, præcipue quum hujus conjux Walburga, pedibus regis ſupplex advoluta, ad placandum illius animum omni facundiæ vi uteretur. Rex enim lacrimis, & pre-

A. C. 1087.

1091.

F

*) Monachus Gradicenſis Ottonem hunc *Patrem Patriæ* appellat ad annum 1077.

l) Cosmas ad ann. 1091.

m) Dobner ad ann. 1089. in notis nota *c*. Annal. Hagec.

n) Peſſina Mart. Mor. pag. 270. & Pelzel Hiſt. Boh. ad hunc annum.

precibus facundæ principis motus, optabili cum *Conrado* pace composita, receptui cecinit; *Brz'etislaus* autem, data licet a patre venia criminis, arma contra eundem paulisper gessit, ac demum relicta patria, cum duobus assecIarum millibus in Hungariam discessit ad Ladislaum regem, cujus gratiam diu tenuit *o*). Ab ea dissensione *Wratislaus* brevius egit ævum, & venatui aliquando vacans, equo ruente lapsus, e vita excessit, quum paullo ante nominasset successorem *Conradum* fratrem. Hunc igitur Bohemiæ ordines communi suffragio in solium evehunt, non *regis*, sed *ducis* nomine *p*). Ille autem inter alia nepotibus *Suatopluco*, & *Ottoni* paternam in Moravia hereditatem restituit, filiis suis *Udalrico*, & *Leopoldo* Brunensem, & Znoymensem regiones cessit. Ad hæc profectionem in terram sanctam adversus Saracenos parabat, quod Ladislaus Hungariæ rex, missis Franciæ, & Angliæ regum litteris, sollicite ursit *q*); sed inopina mors cœptis illius obstitit, quippe ducatu Bohemiæ septem duntaxat menses potitus eodem, quo *Wratislaus*, anno mortem occubuit. *r*)

A. C. 1093. *Conradus Boh. & Mor. Dux.*

Brz'etisl. II. Boh & Mor. Dux.

XII. *Conradi* morte cognita, *Brz'etislaus* cum regis Hungariæ comitatu, celeriter Pragam venit, Ordinum consensu ducatum Bohemiæ adeptus. Principio non solum hariolos, incantatores, ac veneficos e Bohemia expulit; sed Moraviæ etiam ducibus, paria suis in terris ut facerent, auctor, suasorque fuit *s*); deinde in

o) Cosmas ad ann. 1091.
p) Hayecius ad hunc ann.
q) Thwroczius apud Schwantner T. I. Script. rerum hung. pag. 134.
r) Cosmas ad ann. 1092. & Monach. Grad. ad añ. 1093.
s) Dubrav. hist. Boh. L. IX. n. 30.

in Poloniam, seu hodiernam Silesiam irruptionem fecit, duorum annorum tributum exacturus. Id quod *Wladislaus* Poloniæ Dux non modo in præsenti non præstitit, sed postea etiam vindictæ studio in Moraviam misit cum exercitu *Secechum* Palatinum Cracoviensem, qui vastata aliquamdiu regione, & paucis Moravorum turmis profligatis, præda onustus, viam relegit. t) Sed ultum ivit injurias *Brz'etislaus* cum Moraviæ Ducibus, ac per Glacensem provinciam impressione facta in Poloniam, igne, ferroque eam vastavit, quoad *Wladislaus* tributum omne tulit, mille videlicet marcas argenti, & sexaginta auri u). Brevi spatio interjecto, molestum, & operosum magis negotium *Brz'etislao* facessere ausi sunt Moraviæ Duces *Udalricus* Brunensis, & *Leopoldus* Znoymensis, qui regnandi cupidine novis in dies rebus studebant. Horum ille ambitionem repressurus, cum fratre *Borz'ivogio* exercitum in Moraviam adducit, inquietos exuit ditionibus, atque in Austriam fugere compellit. Quum vero profugi, a *Godefrido* Marchione oppido *Radislavia*, seu hodierno *Rötzio* donati, assiduas in regionem Znoymensem irruptiones facerent; *Udalricum* a Moravis captum, in Glacensem carcerem abduci jussit; *Leopoldus* postquam uno medio mense Radislaviæ obsidionem tulit, rebus suis diffidens, clanculum ex oppido fugit in Hungariam. Inde *Brz'etislaus* tumultuosis orbatas Brunensem, ac Znoymensem ditiones tradidit *Borz'ivogio*, quem & Henrici IV. Imp. auctoritate successorem suum designavit; ipse paucis

A. C. 1095

1098.

1099.

F 2 post

t) Cromerus L. V. in Wladislao. — Dubrav. L. cit.

u) Cosmas L. *III.* ad an. 1093. & 1096.

post diebus Werschovecensium insidiis, venatui indulgens, jaculo trajectus. *v*)

Borz'ivogius Boh. & Mor. Dux.

A. C. 1100.

XIII. Quapropter *Borz'ivogius* illico in Bohemiam profectus, fasces ducales accepit, atque *Udalricum* e custodia Glacensi eductum Brunensi, *Leopoldum* ejus fratrem de exilio evocatum, Znoymensi ditioni restituit. Quo quidem consilio summæ conjunctionis vinculo agnatos Principes sibi devinctos voluit; at nihilominus ter amissum thronum, ter recuperavit. Nam *Udalricus* beneficii immemor, favore quorumdam Bohemiæ Procerum, & imperii Principum subnixus, illatis in Bohemiam signis bellicis, principatum ejus ambiit. Spe tamen sua delusus est, quum non modo ceteros Bohemiæ proceres, sed *Suatoplucum* quoque, & *Ottonem* Duces Olomucenses armata manu a partibus Borz'ivogii stare comperit; Germani vero Principes ex acie excedentes, in fugam sese dederunt, opulenta in castris præda relicta. Desperatis igitur rebus *Udalricus* resipuit, armisque suasore *Suatopluco* positis, placatum effecit *Borz'ivogium* *x*). Iste deinceps tranquillum tenere poterat dominatum, nisi mortuo *Wladislao* Poloniæ Duce, junctis cum *Suatopluco* Olomucensi viribus, *Spitigneum* non legitimo thoro genitum contra *Boleslaum* filium legitimum, suumque e sorore Juditha nepotem, defendisset, illatis in Silesiam armis. Indignati enim Bohemi, quod Dux pretio corruptus, agnatum Principem præter fas, & æquum bello exagitaret, ad reducendas copias eum adigunt; Poloni

1101.

1103.

v) Idem ibid. ad añ. 1100.

x) Idem ad hunc annum. Pessina Mart. Morav. L. *III.* c. 3.

ni autem sedatis domi tumultibus, in unum *Suatoplucum* arma vertunt, semel, atque iterum de Moraviæ bonis prædantur *y*). Quibus repressis *Suatoplucus* ipse gravius quidpiam in *Borz'ivogium* ausus est, tum quod factam in Silesia prædam ex æquo bipartitus non esset, tum quod potior Optimatum pars ei detulisset sceptrum Bohemiæ. Quare conflatis in Moravia copiis, Pragam festinat, solium occupaturus. Sed hoc tempore quidem re infecta rediit; voti autem redditus compos fuit, quum Borz'ivogio Ratisbonæ apud Henricum IV. Imper. agente, Proceres Bohemos, ipsosque adeo Werschovecenses in partes suas traxit, Urbe Praga, solioque Bohemiæ potitus *z*).

A. C. 1104

1107.

Suatoplucus Bob. & Mor. Dux.

XIV. Sceptro ita amisso, *Borz'ivogius* primum in Poloniam, mox in Saxoniam ad Henricum V. Imp. confugit, qui auro delinitus, *Suatoplucum* ad se vocatum, in carcerem includit; *Borz'ivogium* autem copiis instructum, remittit in Bohemiam, ducemque suum ut recipiant, Bohemis præcipit. At illum *Otto* Dux Olomucensis, quem *Suatoplucus* vices suas agere jusserat, acerrimo prælio in fugam datum, de spe minime jam dubia deturbat. Immo captivus Dux, promissis Imperatori decies mille argenti marcis, libertate donatus, solium recipit, & quas solum potuit, septies mille marcas Henrico mittit, pro ceteris *Otto* Olomucensis fidem interponit *a*). Brevi nihilominus vadem liberat *Suatoplucus*, quum filio auctus, cui Henricus

y) Dubrav. L. X. n. 10. Cromer. L. V. in Bolesl. Krz'ivousto.

z) Cosmas L. III, & Annales Hildesheim. ad hunc annum.

a) Cosmas, & Annales Hildesheim. l. cit.

ricus Imp. nomen suum dedit, contra Hungaros suppetias Imperatori tulit. Et quidem strenuissime rem gessit in Hungaria; sed vixdum in Bohemiam revertit, quum Hungari tribus agminibus Moraviam longe, lateque depopulantur. Itaque ad arma iterum excitus *Suatoplucus*, in Moraviam summa festinatione properat, fratremque *Ottonem* Moravico militi præficit; dum vero hostem aggressurus silvestre iter facit, tensus forte arboris ramus lævum eidem oculum excutit, ac remeare cogit Olomucium, quo etiam *Ottonem* autumnus compellit. Sanato vix vulnere, maturius copias ex hibernis uterque educit, factaque impressione in Hungariam, Nitriæ, ac Tyrnaviæ regiones pervastat, dives prædæ, ac victoriæ domum revertit. Tandem *Suatoplucus* junctis postremum cum Henrico viribus in Silesiam contra Polonos profectus est; quidam vero Werschovecena e familia, quam ille nuper exciderat, superstes, pecunia inductus, eundem sera nocte ex Henrici tentorio redeuntem, spiculo exanimem reddidit. *b*)

A. C. 1108.

1109.

Wladislaus I. *B. & Mor. Dux.*

XV. Jactura hac moti Bohemi in castris ad Glogaviam Silesiæ, Ducem proclamant *Ottonem* occisi *Suatopluci* fratrem; Ordines autem Bohemiæ *Wladislaum*, tertium Wratislai filium solio digniorem judicarunt, quorum sententia vicit. *c*) Novus igitur Dux *Wladislaus* præsidii gratia ad Imperatorem discessit, quum subito adest *Borz'ivogius* cum *Waczeslao* Misniæ Marchionis filio, captaque Praga, & arce Wischehrad,

b) Chronicon Pegav. pag. 17. Pulkava ad hunc annum.

c) Cosmas L. IIII.

hrad, insignia Ducis arripit; triduo autem post *Olomucensis Otto* Moravorum exercitu denuo Pragam obsidet, civibus, ut tanto in periculo maxime anxiis. Nunciis edoctus de rebellione *Wladislaus* in Bohemiam quidem advolat; neque tamen æmulis superior evasit, nisi quum Imperator conductitio cum exercitu venit, qui castris ad *Rokiczanam* oppidum locatis, rivales omnes ad judicium vocavit. Verum *Otto* receptui signo dato, in Moraviam contendit; *Borz'ivogius*, & *Waczeslaus* ut primum advenerant, in vincula conjecti; Wladislaus solio restitutus. *d*) Hic Pragam redux de asseclis *Borzivogii* gravissimas exposcit pœnas; Ducem vero *Olomucensem Ottonem*, qui rivalium unus erat super, specie comitiorum in Bohemiam invitatum, *Krz'ivokladii*, sive *Pürglicii* in carcerem detrudit, ac triennio tenet captivum. Ita liber metu sibi videbatur; at *Sobieslaus*, quartus *Wratislai* filius a profugis in Poloniam Bohemis, perinde ac Principum captivorum asseclis incensus, Polonico milite Bohemiam infestat, tamque diu sceptrum *Wladislao* dubium facit, dum *Suatava Wratislai* regis vidua filiorum suorum discordias sedavit. Itaque *Wladislaus Sobieslao* Zatecensem ditionem in Bohemia, postea vero etiam in Moravia (*Udalrico*, ac *Leopoldo* jam mortuis) Znoymensem, ac Brunensem regiones donavit; *Ottoni* de carcere emisso Olomucensem Provinciam restituit; *Borz'ivogio* Pragam cum dimidia Bohemia cessit, altera Bohemiæ parte trans Albim sibi relicta. *e*) Sed triennio solum pax inter fratres viguit. Nam *Borz'ivogius* a nobilibus Bohemis, quibus natio-

A. C. 1110

1115.

1117.

 ne

d) Cosmas l. cit. Chronic. Pegav.

e) Cosmas L. III.

ne Germanos præferebat, rursum exulare coactus, vitam paullo post finiit; *Wladislaus* denuo totius Bohemiæ dominator, *Sobieslaum* e Moravia, ubi res novas moliebatur, expulit, ac Brunam *Wratislao*, & *Spitignea* Udalrici filiis, Znoymam *Conrado Leopoldi* filio dedit. Tandem morbo correptus, nimiis Suatavæ matris precibus cessit, ut *Sobieslao*, frustra ubivis præsidium quærenti, reconciliaretur, eumque sibi successorem deligeret. *Sobieslaus* ergo Pragam vocatus, Ordinum consensu nominatur successor *Wladislai*, qui brevi post vita functus est, relictis filiis: *Wladislao*, *Theobaldo*, & *Henrico*. *f*)

A. C. 1123.

XVI. Violato successionis jure *Otto II.* Olomucensis Dux ægerrime tulit præreptum sibi prius genito Bohemiæ principatum, quem ei *Wladislaus* moriturus pollicebatur. Sed quum ideo omnia, quæ ad *Sobieslaum* solio deturbandum opus erant, sollicite parat; summis ille copiis se infert in Moraviam, ac fratrem viribus imparem, ditionibus excedere compellit. Fortunæ jactatæ portus, ac perfugium *Ottoni* fuit *Lotharius II.* Imperator, apud quem publico in conventu causam suam lingua Germanis propria, cujus imprimis erat gnarus, adeo feliciter peroravit, ut Imperator alioqui Bohemis, quod æmulis ejus suppetias iverint, non parum infensus, opem, & auxilium eidem promitteret. Quare valido cum exercitu, cui *Ottonem* præfecit, Bohemiam ingressus, castra ad *Chlumeczium* oppidum constituit. Occurrit *Sobieslaus* longe inferior copiis, instruitur utrinque acies, acerrima pugna pugnatur. Demum nihilominus *Otto* auctor belli, quum strenuissime

Sobieslaus Boh. & Mor. Dux.

1125.

1126.

f) Cosmas l. cit.

me in hoſtes irruit, cum quingentis nobilibus Germanis vita privatur; Brandenburgicus Marchio, multique Abbates, & Epiſcopi Germaniæ Bohemis dant manus, ceteri in fugam ſe conferunt præcipites; Imperator ipſe vix incolumis acie exceſſit, quem vetuſta quædam chronica omnino captum, ac duris conditionibus a Sobieslao dimiſſum, memorant. g) Jacturam, atque damnum reſarturus videbatur Imperator; ſed majora forte mala veritus, amicitiæ vinculo ſibi junxit *Sobieslaum*, qui adjumento deinceps eidem fuit. h) Id vero expeditior ut præſtaret Bohemiæ Dux, fœdus cum Bela Hungarorum Rege icturus, Olomucium venit, atque obvios habuit *Wenceslaum*, & *Ottonem* occiſi Ottonis filios, eorumque matrem viduam cum filio decenni *Brz'etislao*, qui omnes lugubri veſte induti, venia paterni delicti petita, gratia, & præſidio Ducis agnati ſalutem ſuam commiſerant, ac propterea ditionibus paternis donati ſunt. i) Tum ex Hungaria rediens, felici rerum ſucceſſu ferocior *Sobieslaus*, *Wratislaum* Brunenſem Ducem animo inquieto ſuſpectum, dedit in carcerem arcis *Doninæ*; *Conradum* quoque Ducem Znoymenſem, quod *Wratislai* cauſa tumultuaretur, in caſtro Wiſchehrad includi juſſit. Idem fatum plures Bohemorum nobilium quum experti ſunt, conjuratio contra eundem facta, cædesque demandata duobus ſicariis fuit. At hi, Glacium, & Olomucium iter parante Duce, tempore detecti, facinoris auctores patefaciunt, præcipue caput con-

A. C. 1130.

g) Jaroslaus, ſeu Cont. Cosmæ. Annaliſta Saxo ad hunc añ. Eberus ad 12. Martii. Chronicon Mansfeld.

h) Jaroslaus ad hunc. añ.

i) Peſſina Mart. Morav. L. I. l. c. 3.

quibus longe imparem se Dux Moravensis ratus, receptui canit, magnisque itineribus in Moraviam revertitur. *p*) Praga Cæsaris auxilio, quod Bohemis multo pretio stetit, ab obsidione liberata, Dux Wladislaus injuriæ acceptæ memor, armata manu in Moraviam venit, ac primum *Conradi* Znoymensis, mox *Wratislai*, & *Ottonis* regiones dat militibus diripiendas, ipsos demum Duces solum vertere coëgit. A. C. 1144. Placato dein animo, *Wratislaus*, & *Otto* interventu *Henrici Zdik* Episcopi Olomucensis ditiones suas receperunt; *Conradus* autem Znoyma, quam *Wladislaus* præsidio suo tenebat, per astum occupata, novam cudere fabam non desiit, insuper eundem Henricum Episcopum, quum Pragam iter faceret, ad Litomisslium Bohemiæ vita privare conabatur. Quam ob causam ab Eugenio III. Pontifice sacrorum usu prohibitus 1146. fuit; Wladislaus vero contra rebellem copias duxit, & Znoyma expugnata, *Conradum* castro adsito se defendentem eo adegit, ut clam fugeret ad Geizam Hungariæ Regem. Hujus benevolentia tam diu fruebatur, dum Imperatoris Conradi opera in gratiam cum *Wladislao* revenit, suamque regionem vastatam recepit. *q*) Non tamen diu potitus eadem, sed ab expeditione Hierosolymitana redux *) paullo post abs-

p) Jaroslaus. Vincent. apud Dobner Monum. Boh. inedit. T. *I*.

q) Vincent. ad hunc ann. Pessina Mart. Mor. L. III, c. 4.

*) Expeditionem in terram sanctam, suadente S. Bernardo Abbate Claravallensi, susceperunt: Conradus Imp., Ludovicus VII. Galliæ rex, Wladislaus II. Bohemiæ dux, cum Henrico, & Spitigneo principibus. Adfuit etiam Conradus II. Znoymensis dux, ac inter alios rem strenue gessit. *Vid. Pessina Mart. Morav. L. III. c. 4. p. 310.*

absque liberis obiit, ejusque terras *Wladislaus Henrico* fratri suo tradidit. Erat Henrico filius itidem nomine *Conradus*, qui postea Fridericum Imp. inaugurationis solennis ergo Romam comitatus est cum selectissimis 100 Equitibus Moravis; quod idem præstitit *Fridericus Wladislai* filius cum 300 cataphractis Bohemis. *r*) A. C. 1150.

XVIII. Rebus in Bohemia, & Moravia pacatis, ut ne Principes Moravani pretio, aut promissis animum *Friderici Imper.* adlicerent, *Wladislaus* Herbipolim profectus, benevolentiam ejus aucupari voluit. Celebrabat tum Imperator nuptiarum solennia, ac duci non favorem modo, sed *regiam* quoque *coronam* promisit, si adversus rebelles Mediolanenses auxilio eidem foret. Annuit *Wladislaus*, operamque professus, ut fidei suæ documenta daret, prius contra Polonos Imperatori adjutor fuit. Nam conflato ex Bohemis, & Moravis exercitu cum fratribus *Theobaldo*, & *Henrico* Znoymensi duce Viadrum trajecit, captaque Glogavia rem adeo strenue gessit, ut Poloni & pacem ab Imperatore peterent, & jussa illius facerent. Finita expeditione Polonica, *Fridericus* Imp. comitia imperii habuit Ratisbonæ, ubi laudata, quam imperio præbuit, ac porro præbiturus esset, *Wladislai* Bohemiæ ducis opera, *coronam regiam* manu sua eidem imposuit. *s*) Novus Rex nobilium, populi- 1156. 1158.

r) Pessina Mart. Morav. L. III. c. 5.

s) Jarosl. & Vincent. ad hunc añ. Pessina Mart. Mor. L. III. c. 5. vult primum anno 1162. in Italia coronatum esse Wladislaum regem. Nempe fatetur anno 1158. *circulum regalem* Wladislao esse impositum, hunc tamen a *corona regali* distinguit. At vero *circulus*, & *corona regalis* diversa solum nomina habue-

pulique applausu Pragæ exceptus, paullo post cum *Theobaldo* fratre, *Conrado III.* Znoymensi Duce (is enim suffectus in locum Henrici patris est) & fortissimis quibusque Bohemorum, & Moravorum in Italiam movit ad frangendos, domandosque Mediolanensium animos. t) Quos quidem maxima nominis gloria fregit, ac domuit; sed in Moravia interim excitavit *Sobieslaus* prioris Ducis *Sobieslai* filius, qui jam antea sceptrum *Wladislai* affectans, castello Bohemiæ *Prz'imda*, vulgo Frauenberg, tenebatur, occiso autem carceris Præfecto, ad Moravos Principes profugit. Hic igitur cum non nullis male affectis Moravis Olomucio occupato, adeo crudeliter in cives sæviit, ut Rex *Wladislaus* ex Italia redux in Moraviam ad comprimendum rebellem Principem properaret. Cingitur obsidione Olomucium, *Sobieslaus* ad deditionem impulsus, in castri prioris custodiam datur. Mortuo subinde *Ottone III.* Olomucensi Duce, regionem hanc Fridericus, e secunda expeditione Mediolanensi reversus, a patre *Wladislao* obtinuit *), Brunensem vero ditionem ab obitu

A. 1161.

Wra-

buerant, quod coronæ regum essent apertæ, coronæ imperatorum arcuatæ, seu clausæ. Hinc Pulkava: Tum temporis, inquit, propter nobilitatem imperialis diadematis, coronæ regiæ *circuli* a divis imperatoribus sunt vocatæ. *Vid. Dobner. Mon. inedit. T. III. pag.* 170.

t) Pessina Mart. Morav. L. III. c. 5. pag. 315. & seqq.

*) P. Pubitschka Hist. Boh. P. III. censet, Moraviam *Marchionatus* nomen sortitam esse anno 1158. At in coævis scriptoribus nomen *Marchionis Moraviæ* ante an. 1183., in diplomatis vero ante an. 1190. nusquam reperitur, sed ubique titulus *ducis*, *principis* Moraviæ occurrit; Moravia vero ipsa non *Marchionatus*, sed *Provincia*, *Regio*, *Terra*, &c.

Wratislai consequutus est *Waczlaus*, seu *Wenceslaus* Sobieslai I. filius. Atque ita Moravis in ordinem redactis, Hungari a Bohemiæ Rege implorant auxilia, ut Stephanus Geizæ Regis filius, quem Imperator Constantinopolitanus *Emmanuel* rejectum cupiit, paternum in solium evehatur. Rex junctis cum *Friderico* Olomucensi Duce copiis, suppetias venit, jamque prælio Imperatorem Græcum lacessere parat, quum is pacem, & amicitiam offert, misso *Bogutta* legato natione Moravo, *qui*, ut Vincentius ait, *pauper de familia Conradi Ducis Moraviæ in expeditione Hierosolymitana Græciam intraverat, & probitate sua ad tantum honorem devenit, ut apud Imperatorem Græcum inter primos haberetur, castro quodam ditissimo donatus.* Itaque multis ultro, citroque actis, pax tandem omnium consensu facta, *Emmanuel*, & *Wladislaus* renovant amicitiam Constantinopoli initam, nepos Imperatoris Græcorum matrimonio sibi jungit *Friderici* Moraviæ Ducis filiam, denique Rex ab Hungaris, & Imperatore immensis prope donis onustus, gloriose in Bohemiam revertitur. *u*).

A. C. 1164.

XIX.

&c. appellatur. Immo diu post añ. 1158. Moravia, ut alias, in tres dominos divisa mansit, quod rege Wladislao, post dictum annum non fuit immutatum. Neque Fridericus Wladislai filius post Italicam expeditionem de Imperatore, ac patre suo præclare meritus, *Marchio* fuit; is enim in diplomate anno 1169. non Marchionem, sed Ducem Olomucensem se nominat his verbis: *Ego Fridericus, Dux Olomucensis provinciæ. Vid.* *Ziegelbauer Hist. Monast. Brzeunov. pag.* 243. & *Dobner Dissert. de I. March. Mor. n.* 4. & *seqq.*

u) Vincent. & Cinnamus L. V. Hist. P. II. apud Dobner Mon. Bohem. ined. T. I.

A. C. 1173.

XIX. Quum autem reliquos vitæ dies quieti dare cuperet, Bohemiæ regnum absque consensu ordinum commisit filio suo *Friderico*, Duci Olomucensis Provinciæ. Id quod Imperator non minus, quam Bohemiæ Principes graviter tulerunt adeo, ut voluntate eorum *Fridericus* repulsam pateretur, ac *Sobieslaus* idem ille, qui jam tredecim, antehac vero tres annos in carcere *Prz'imda* tansegit, summum in Bohemia imperium obtineret. Tam subita vicissitudo, & mutatio stomachum fecit *Wladislao*, proinde cum *Prz'emislao*, ac *Wladislao* filiis in Thuringiam abiit, ubi septem post menses dolore animi exstinctus est. *v*) Contra *Sobieslaus II.* præter spem regno accepto, summis incessit gaudiis, & quum diuturno carcere efferatis esset moribus, rusticorum magis, quam nobilium consuetudine utebatur, passim iccirco *Princeps rusticorum* appellatus a Bohemiæ Principibus. Unus omnium erat *Conradus III.*, seu *Otto* Dux Znoymensis, qui magna prudentia, & virtute militari clarus, tempori serviit, ac *Sobieslai* animum ita sibi devinxit, ut quum *Fridericus* patrio solo extorris vitam ageret, *Waczlaus*, seu *Wenceslaus* de Brunensi provincia in Olomucensem transferretur, ipse vero eandem Brunensem sibi donatam cum Znoymensi obtineret. *x*) Quo beneficio obstrictus, auxilio fuit *Sobieslao*, dum hic rusticorum gratia bellum intulit Henrico Austriæ Duci ob silvam in limitibus sitam, quam sibi Austrii æque, ac Bohemi vindicabant. Nam levi hac de causa collectis

1174. *Sobieslaus II. Boh. & Mor. Dux.*

1176.

v) Jaroslaus, & Cont. Vincent. seu Chronicon Siloënse edit. Dobner.

x) Chronic. Siloënse ad ann. 1177. Dobner crit. Diss. de 1. March. Morav. pag. 47.

lectis in Bohemia, & Moravia copiis *Sobieslaus*, & *Conradus* Auſtriam rapinis, & incendiis pervaſtant ita, ut neque templis Deo ſacris parcerent. Sed vix ad propria reverterunt, quum Auſtrii Znoymenſem *Conradi* provinciam pari calamitate, excidioque aſſiciunt, atque oppidum ipſum Znoymam obſident. Advenit, ſtimulante *Conrado*, celerius opinione *Sobieslaus*, majorem ac antea militum vim hieme in Auſtriam effundit; quod reliquum erat, ad Danubium uſque rapinis, cædibus, incendiis excindit; *Henricum* Ducem in fugam convertit, qui, fallente equo, pedem fregiſſe, vitamque amiſiſſe legitur. *y)* *) Audito Auſtriæ excidio, Imperator id temporis in Lombardia commoratus, gravi in Sobieslaum ira exarſit, quam is etiam aliis id genus factis exacuit. Immo & *Conradi Moravienſis* animum *Sobieslaus* offendit, quum malevolorum linguis credulus, non Brunenſem modo, ſed Znoymenſem etiam regionem illi eripere parat, adductis in Moraviam copiis. At hic Auſtriis, quibuscum pactionem nuper fecerat, auxiliaribus vim vi opponit, ac ſcientiæ militaris ignarum, non ſine magna clade iter in Bohemiam relegere compellit; *Waczlaum* vero

A. C. 1177.

y) Chronicon Siloënſe ad hunc annum.

*) Ob injuſtum hoc bellum Alexander III. Pont. *Sobieslaum* e fidelium cœtu ejecit anno 1176. At *Wilhelmus* quidam comes Moravus, dominus in *Kunitz*, (hodie *Canitz*) Conradi ſecutus caſtra, eccleſiarum Dei a ſe pariter incenſarum pœnitentia motus, eundem Pontificem Romæ adiit, juſſusque eſt ad expianda peccata clauſtrum religioſis viris condere. Quod ille anno 1181. Canitzii condidit, inductis tribus Canonicis Præmonſtratenſibus: *Manduvino*, *Eberhardo*, & *Richvino*. Triennio poſt ibidem acceſſit conventus ſororum. *Vid. Chron. Siloënſe ad ann.* 1181. & 1184. *pag.* 111.

vero ejus fratrem in fugam conversum persequitur, Olomucium obsidione cingit, regionem ipsam depopulatur. z) Dum hæc impune *Conradus*, aliud ex alio malum evenit *Sobieslao*, qui plures ob caussas in odium, offensionemque Imperatoris incurrit. Inde *Fridericus* occasionem nactus paterni regni obtinendi, tantis pollicitationibus flexit Imperatoris animum, ut eidem regnandi potestate facta, auxiliares daret copias. Quibus ille in Bohemiam deductis, Pragam ex improviso occupat, ac *Sobieslaum* cogit in castro *Skala* præsidium quærere. Quum autem Wormatiensibus interesset comitiis *Fridericus*, *Sobieslaus* Pragam recuperare frustra conatus, redeuntem in via Beraunensi armata manu aggreditur, magnaque clade afficit. Verum haud diu post *Conradus* Moraviensis suppetias tulit *Friderico*, & pugna acerrima in fugam dedit *Sobieslaum*, qui in Skalense illud castrum denuo quidem se recepit, hoc autem expugnato, omnium ope destitutus, exul occubuit. Ita *Fridericus* & victoria, & regno potitus, ut egregiam *Conradi* operam dignis afficeret muneribus, Olomucensem ei ditionem donavit, eo quod *Waczlaus Sobieslai* fratris partibus assiduo favisset. Atque hæc prima *Marchionatus* Moraviæ initia. a)

A. C. 1178.

1180.

VA-

z) Idem Chronic. ad hunc annum.

a) Idem Chronic. ad hunc añ. Dobner. crit. Diss. de I. March. Morav. n. IX.

VARIÆ ADNOTATIONES
IN TERTIAM PERIODUM HISTORIÆ MORAVIÆ.

I. Everſo funditus *magnæ Moraviæ* regno, quum ipſa Moraviæ regio aut continuis arderet bellis, aut ferme aſſiduis hoſtium pateret incurſibus: amiſit omnem non modo ſuccum, & ſanguinem, ſed etiam colorem, & ſpeciem regionis. Atroci enim, & difficili eo tempore cum veteres pauci, tum novi ejus incolæ de vita ſua, fortunisque magis, quam de commerciis, nobilioribus artibus, negotiis politicis erant ſolliciti, dum tandem Bohemiæ Duces, redacta in ordinem Moravia, ſeu filios ſuos, ſeu agnatos eidem *Duces* arbitrio ſuo dederunt. Hi vero ipſi plurimum ſtudii in armis conſumſerant, etſi prorſus non omiſerint ea, quæ ad culturam agrorum, ſubditorum felicitatem, ac meliorem Moraviæ ſtatum attinebant. Id quod eo certius ut eveniret, rebus in omnibus conſilio utebantur *Nobilium*, ex quibus diplomata memorant: *Comites*, qui Principes illos nunquam non comitabantur, eisque a latere, & conſiliis erant; *Suppanos*, ſeu *Barones*, provinciæ, aut territorio cuidam præfectos; *Caſtellanos*, cuipiam caſtello præpoſitos, quos & *Burggravios* dixere. Senatus hic *Moraviæ Nobilium*, inter quos dein etiam dignitatis eccleſiaſticæ perſonas: *Epiſcopos*, *Abbates*, *Præpoſitos*, &c. numeratos legimus, originem dediſſe videtur hodiernis *Moraviæ Statibus*. a) Verum Nobiles illi hereditariis clypeis, ſcutis colorum varietate di-

Status Mor. politicus.

a) Jura primæva Moraviæ a Benedictinis Rayhrad. edita. pag. 17. ſeqq.

diſtinctis, & avita nominum ſerie carebant; quippe, qui ſimplicia geſſerunt nomina, aut parentum voluntate, merito, caſuve quôpiam accepta, aut à caſtro, vel ditione, quam poſſidebant, adſcita, quibus additum prærogativæ in republica ſignum fuit. *b*)

Jura primæva Moraviæ.

II. Neque jura, ac leges, quibus Moraviæ natio his ſeculis regebatur, defuiſſe, extra dubium eſt: etſi præter leges *Conradinas* nullæ omnino ſcriptæ ſuperſunt. Multi multa fabulantur de jure quodam *Prz'emislæo ſcripto*, quod vidit, legitve nemo; præſertim quum ævo *Prz'emislai I.* Bohemiæ Ducis, slavica gens caracteribus caruerit. *c*) Primus ergo *Conradus Brz'etislai I.* tertius natu filius, Dux I. Brunenſis, leges quasdam in Moravia tulit, quæ poſtea, ſucceſſoribus ſuis juſtæ quum viderentur, a *Prz'emislao Ottocaro I.* Bohemiæ Rege III. ſingulari diplomate anno 1229. confirmatæ fuerunt. Leges iſtæ potiſſimum agunt de plectendis furibus diverſi generis, de accuſatione, ſeu judicio (*Narok*), teloniis ſolvendis, clamore publico (Naſtoyte), duello (*Kig*) niſi ad extraneos non habendo, aliisque cauſis, quas *Caſtellani*, *Camerarii* (præfecti Regis cameræ), *Judices*, ſeu *Czudarii*, *Villici* (villæ cujusdam Domini) ac ceteri Moraviæ Nobiles judicabant, ſive judicio forenſi, ſive judiciis (*Ordalia* vocabant) ad criminis occulti manifeſtationem a Deo impetrandam, tum adhiberi ſolitis. *d*)

III.

---

b) Dobner Annal. ad ann. 644. pag. 18. ſeqq.

c) Idem Tom. IV. Mon. inedit. pag. 192. ſeqq.

d) Vid. hæc jura fuſius apud Benedict. Rayhrad. l. cit.

Litterarum studia.

III. Etſi legibus iſtis per id tempus uterentur Majores noſtri, bonarum tamen artium ſtudia, quorum ſementem SS. Cyrillus, & Methodius jecerant, bellici tumultus ex Moravia prope expulerunt. Immo pacatis aliquantum rebus, *litteræ Cyrillicæ* paullatim ſec. X. exoleverunt, quum Joannes XIII. Pont. Bohemis, Moravisque dedit Epiſcopum ritus, & ſermonis latini. Primum enim in officio divino, deinde etiam civilibus in negotiis, diplomatis, publicisque monumentis latinæ linguæ uſus invaluit. Atque ut Duces, & Antiſtites Bohemiæ, ac Moraviæ tum erant communes; ita utraque hac in provincia in ſermonem slavicum invecti ſunt caracteres Latio proprii. Quum vero poſtea RR. PP. Alexander II. & Gregorius VII. linguæ latinæ uſum in ſacris denuo præciperent, latinus ſermo, latinæque litteræ eum habuerunt progreſſum, ut nullum nobis antiquitas reliquerit codicem, *litteris Cyrillicis* exaratum. e) Tandem liberales artes, quæ jam temporibus illis pulcherrime florebant in Bohemia, in Moraviam quoque deductæ ſunt, quamvis ea ætate paucos illuſtrior earum profeſſio oblivioni exemerit. Duo namque duntaxat per id tempus in Moravia doctrinæ fama celebres hiſtoricorum adverterant animos, *Abna* videlicet, & *Paulus Moravus*. Ille Joannis Epiſcopi Olomucenſis a ſacello, hic vaticana purpura ornatus. Ille interioris Philoſophiæ, Eloquentiæque ſtudiis nobilis, Wratislai Ducis judicio dignus fuit, qui legatione ad Romanum Pontificem fungeretur. Huic patria Litovienſi,

 Mo-

e) Voigt Unterſuchung über die Einführung der Buchſtaben. n. 12 inter Bornianas Diſſert. Aſſeman. Orig. Slav. T. IV. P. II. c. 3.

Moravia & ortum, & cognomen dedit, qui sec. XII. plurimis litteris, præcipue divini, humanique juris scientia clarus, quum animi vigorem ingentibus negotiis parem probasset, bis legatus ad Rom. Pontificem missus, perspectaque ejus virtute, ac sapientia, in purpuratorum Patrum collegium ab eodem cooptatus est; postquam autem annis novem Romanam ornasset curiam, vita functus, diuturnum sui, suæque sapientiæ, ac singularis modestiæ desiderium Romæ reliquit. *f*) Præter hæc sapientiæ decora, fuit etiam *Gradicensis Benedictinus*, qui jam tum Moraviæ historiam attigit. Is quidem nomen suum haud prodidit, auctor vero est Chronici a Christo nato ad medium usque sec. XII., pluresque Moraviæ res, sua præsertim ætate gestas, posteritati adnotavit. *g*) Sed a litteris, quæ sequentibus seculis radios suos latius diffuderunt per Moraviam, ad castra religionis transeamus.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

Status religionis christianæ.

I. Rebus Moraviæ politicis sane quam afflictis, res quoque christiana plurimum detrimenti cepit, præcipue quum prioribus incolis magnam partem profugis, advenæ sacris nostris infensi regiones has occuparunt. Inde est, quod facile 30. annorum spatio ne vestigium quidem Episcopatus Moraviensis appareat,

f) Faust. Prochaska l. cit. pag. 75. & 94. Plura de *Paulo Moravo* Cl. de Monse in Insul. doct. p. 10. seqq.

g) Dobner Monum. inedit. T. III. pag. 2. & 17. seqq.

reat *b*) *), donec *Gerbardus* Archiepiſcopus Laureacenſis, ſive Paſſavienſis a *Leone VII.* Pont. antiquis Eccleſiæ ſuæ prærogativis donatus, ſacrorum jus in Moravia iterum exercere cœpit. *i*) Quin poſtea majore in dies affulgente illic tranquillitate, *Agapitus II.* Pont. bulla ad eundem *Gerbardum* data, non ſolum priſtina ejus jura, ac privilegia confirmavit, ſed & Pannoniæ orientalis, Moraviæque curam illi commiſit, cum poteſtate creandi Epiſcopos. *k*) Primus igitur Moraviæ tum Epiſcopus, eſt creatus *Silveſter*, qui Laureacenſem, ſeu Paſſavienſem Metropolitam reſpexit. Ætate Præſulis hujus Slavonia in 20. pagos diſpertita fuit, quibus fere omnibus ad Chriſti fidem perductis templa Deo extructa, virorum æque, ac mulierum divino cultui dicatorum condita monaſteria ſunt *l*), in quibus juventus & litteris, & ſanctioribus diſciplinis imbueretur. Præfuit autem *Silveſter* decem, & novem annos Moraviæ, *m*) a cujus morte caruit ea pari ſucceſſore, quod *Boleslaus I.* Bohemiæ, & Moraviæ Dux Epiſcopatum Pragenſem conſenſu *Joannis XIII.* Pont. erectum cuperet, ut Bohemia perinde, ac Moravia non

A. C. 937.

946.

Silveſter Morav Epiſc Olomuc. I.

947.

966.

 uni

b) Vid. Acta Eccleſ. Laur.

*) Cl. *Remigius* Maſchat in ſuaElogiographia ponit primum, depreſſa per Hunnos, ſeu Hungaros Hierarchia, Moraviæ Epiſcopum *Joannem*, illum eundem, cui antea *Benedictus*, & *Daniel* ſuffraganei erant, ſedemque u am Poleſchovicii fixiſſe. ſed id ſine veterum ſuffragio adſeritur.

i) Hanſitz. Germ. ſac. T. I. pag. 191.

k) Agapiti bulla apud Goldaſt. in Append. Docum. n. 9. Hanſitz. l. cit. pag. 198.

l) Annaliſta Saxo apud Euardum ad añ. 947.

m) Auguſtin. Catal. Ep. Olom.

uni ſolum Duci in politicis, ſed in ſacris etiam uni, eidemque Epiſcopo ſubeſſet. *n*) Salubri tamen conſilio huic ſeptem annos remoram fecerunt Laureacenſis, & Ratisbonenſis Præſules, in quorum diœceſi cenſebatur utraque hæc provincia; quo factum eſt, ut, lite interim pendente Ratisbonenſis Antiſtes, ejusque Clerus Bohemus in Moravia ſacris præeſſet. *o*) Voti paterni compos tandem redditus eſt *Boleslaus II.*, qui obtentis a Rom. Pontifice litteris *) Pragæ ſedem Epiſcopi erigere hac maxime conditione potuit, ut res divinæ non slavonice, ſed latine fierent. *p*)

Ditmarus Prag. & Mor. Epiſcopus.

II. Itaque a Clero, populoque Bohemo primus Pragenſis Epiſcopus fuit electus *Ditmarus Saxo*, vir eximia doctrina, litterisque latinis, & slavicis egregie excultus, qui annuente S. Wolfgango Ratisbonenſi Præſule, ab Ottone Imp. baculo, & annulo inveſtitus, conſecratus vero a Roberto Epiſcopo Moguntino, Bohemiæ, & Moraviæ Eccleſias ſuſcepit regendas. *q*) Præſul hic aſſiduo labore, & eloquentiæ vi, improborum, quos ætas illa multos tulit, audaciam fregit, ac ſuperſtitionis reliquias a po-

A. C. 973.

n) Dobner Annal. ad añ. 965.

o) Dubrav. H. B. L. V. n. 50.

*) Litteras hujus Epiſcopatus cauſa ad *Boleslaum I.* datas eſſe probare nititur Dobner Annal. Hagecian. P. IV. pag. 170. ſeqq. Sed Cosmas in Menken ſcript. T. I. pag. 1993. diſertis verbis ad *Boleslaum II.* miſſas ſemel iterumque memorat. *Vid. Fauſtin. Procbaska de ſecul. litt. in Boh. & Mor. fatis. pag.* 57.

p) Litteræ Joannis XIII. Pont. ap. Dobner. Annal. ad añ. 967.

q) Cosmas Chron. L. I. ad añ. 1086.

a populo magnam partem depulit. r) Sed triennio post iterum Moravia proprium accepit Episcopum, Moguntini, ut Pragensis erat, suffraganeum, ut illi ob erectum Archiepiscopatum Magdeburgicum terrarum jactura aliquam partem sarciretur. s) Quum enim Episcopatus Pragensis tanta esset amplitudo, ut ab hodierna Voigtlandia Cracoviam, & Scepusium usque, a regione autem Zittaviensi, & Görlicensi, inclusa Moravia, ad Waagum usque flumen protenderetur: t) *Piligrinus* Episcopus Laureacensis, seu Passaviensis prisca sua in regiones Pannoniae orientalis, Moraviaeque per duos e presbyteris suis coram *Benedicto VII.* P. recoxit jura, ac necessitatem novorum Praesulum proposuit. Accepta benigne legatio u), ac jubente Rom. Pontifice, novus Episcopus in Moravia constitutus fuit *Wracen*, seu *Wratislaus* v), non quidem Laureacensis, sed Moguntini Metropolitae suffraganeus. Concessus ei fuit omnis ille Moraviae tractus (ut anno 973, Episcopo Pragensi adsignatus erat) in orientem extensus ad Waagum usque fluvium, ut adeo dioecesis Moraviensis magnam Hungariae partem complecteretur. x) Qua re factum est, ut idem ipse *Wratislaus Geizam* Hungariae Ducem *S. Stephani* patrem sacris undis ablueret *),
mul-

A. C. 976. Wratislaus Mor. Episcop. Olom. II.

r) Prochaska l. cit. p. 58.

s) Dobner Annal. ad ann. 976. sub finem.

t) Vid. Diploma Henrici III. apud Cosm. L. I. ad an. 1086.

u) Vid. Bulla Benedicti VII. Pont. ap. Hansitz, l. cit.

v) Cosmas ad an. 1067. & Strz'edovsky Sac. Mor. hist. pag. 563.

x) Dobner Annal. ad ann. 976.

*) Cum Ditmarus l. 8. pag. 420. affirmet, *Geizae* Hungariae duci proprium fuisse

multosque Hungarorum ad fidem Christi perduceret. Collecta messe lacerrima, *Wratislaus* cum *Willigiso* Archiepiscopo Moguntino judicavit causam *Gozmari Cantoris*, qui fortuito quidem, non tamen citra omnem culpam, scholarem quemdam Canonicum atramentaria tabula occidit, turbisque tam ingentibus ansam praebuit, ut Rom. Pontificis, & *Ottonis II.* Imperat. mandato, ab Episcopis fuerint componendae. At sententia lata, *Gozmarus* parricidii reus officio, beneficioque motus est, ac poenitentiae causa ad Neostadiense coenobium transmissus; omnes vero Moguntinae archidioecesis cantoriae in signum facinoris, baculo, & infula detractis, dignitate prioratus spoliatae sunt. *y)*

A. C. 981. III. Paullo post Episcopus noster *Wratislaus* obiit, eique rursus in Moravia successit 982. nemo; sed in locum *Ditmari* pariter mortui *S. Adalbertus Prag. & Mor. Episcopus.* suffectus est *S. Adalbertus* nobilitate generis non minus, quam singularis doctrinae, ac virtutis lau-

se antistitem, isque nec Pragensis, (fatente Dobnero) nec *Russus*, nec Polonus, nec alius esse potuerit; cumque rerum, temporum, historiarumque collatione facta, nemini Moraviensis Episcopatus dignitas conveniat magis, quam *Wraceu*, seu *Wratislao*, ut Cosmas, & Hayekus produnt; recte illi baptismus *Geizae* tribuitur. *Vid. Dobner ad annum* 976.

y) Gudenus in Cod. Diplom. T. I. pag. 352. ubi diploma Moguntinum, seu processus criminalis Willigisi refertur. In quod forte non incidit doctissimus Ziegelbauer, quum gravi hac censura in Strz'edovskium utatur: *Maxime de nibilo* (nomine) *nascitur historia.* Profecto & processus ille, & rationes mox allatae evincunt, non de nihilo, aut de nomine, sed verisimillimam Moraviae Historiographum narrasse historiam. *Vid. Dobner l. cit.*

laude clarissimus, qui a *Benedicto VII.* Pont. & *Ottone II.* Imper. denuo impetravit, ut Episcopatus Moraviensis cum Pragensi conjungeretur. z) Novissima ista Episcopatuum unio annis 80. tenuit; *Adalbertus* vero Bohemorum perinde, ac Moravorum saluti procurandæ dies, noctesque impendit; simul tamen Hungarorum curam gessit, quorum Ducis *Geizæ* filium sacro fonte abluit, eique nomen *Stephani* dedit. a) Atenim in Bohemiam ex Hungaria redux, quum perversos Cleri, populique mores, ut vehementer cupiit, corrigere haud posset, bis Pragensem Episcopatum deseruit, bisque jussu Rom. Pontificis iterum recepit. Tandem quatuor ex ejus fratribus in Bohemia interfectis, in Hungariam primum, mox in Poloniam est profectus, ac demum ad Prussos doctrina fidei instruendos se contulit, ubi scelere ingratorum, quam diu anhelabat, martyrii lauream adeptus est; ejus vero corpus a barbaris pretio redemtum *Boleslaus* Dux Poloniæ Gneznam transtulit. b) A morte sancti hujus Præsulis, *Thiddagus*, seu *Deodatus* Monachus Corvejensis artis medicæ scientia simul, & virtute ad cathedram Pragensem pervenit. Hic erectis Cracoviensi, & Strigoniensi, aliisque in Hungaria Episcopatibus c), dumtaxat Bohemiam, & Moraviam diœcesi sua complexus est; quumque serio Antistitis partes ageret, *Boleslai Rufi*, quem ad saniora consilia adducere frustra conabatur, mandato

A. C. 984.

997.

998.
Thiddagus Prag. & Mor. Episcopus.

z) Augustin. Catal. Episc. Olom. Strz'edovsky Sac. Morav. Hist. pag. 569. Dobner Annal. ad ann. 983.

a) Chartuitius in Vita S. Stephani, & Albericus ad ann. 1010.

b) Vide supra gesta Brz'etislai I.

c) Ditmarus L. IV. pag. 360.

dato non semel exulare coactus fuit *d*); demum vero doctrinæ, ac pietatis laude, multorum scriptorum consensu, celeber diem obiit supremum.

A. C. 1016.

Ekkibardus, Izo, Severus, Episcopi Prag. & Mor.

IV. *Thiddago* in Episcopatu Pragensi, & Moravensi successit *Ekkibardus* Abbas Monasterii Münchennaumburgensis, vir doctrina perinde, ac virtute ornatissimus, quem Scriptorum alii natum Olomucii, & linguæ slavicæ gnarum, *a*) alii natione Germanum *b*), & Henrici Imp. cognatum *c*) fuisse adserunt: omnes vero *Helicardum* alio nomine vocant. Hunc secutus est *Izo*, cujus natales, resque gestas invidit nobis antiquitas. *Izoni* subrogatus fuit *Severus*, vulgo *Schebirz'* dictus, qui ab *Henrico* Imp. per baculum, & annulum investitus *d*); atque a Bardone Archiepiscopo Moguntino consecratus, *e*) pallium Archiepiscopis tantum proprium a Benedicto IX. Pont. impetravit: *f*) tum quod præter Pragensem, simul & *Moraviensem*, quæ suos olim Archiepiscopos habuit, sedem Pontificiam teneret; tum quod eo consilio prævertere Episcopatuum divisioni conaretur. *g*) Inde quum *Brz'ctislaus* Bohemiæ Dux primum in Moravia Monasterium Ordinis S. Benedicti erexit Reyhradii, ibique Ecclesiam honori SS. Apostolorum Petri, & Pauli condidit; solennem Ecclesiæ hujus dedicationem ipse *Severus* Episcopus celebravit, præsente *Brz'ctislao*, aliis-

1023. 1030. 1041. 1048.

d) Idem. L. VII. pag. 414.
a) Peczkovsky Chron. Boh. ad ann. 1018. Etzveiler Notitia regni Boh. a Car. Krz'irz edita.
b) Hajek Annal. Bohem.
c) Dobner Annal. Haj. P. V. pag. 102.

d) Dobner P. V. pag. 178.
e) Cosmas L. I. ad annum 1031.
f) Annalista Saxo ad ann. 1042.
g) Dobner P. V. pag. 265.

aliisque plurimis Bohemiæ, & Moraviæ Nobilibus. *b*) *) Immo eumdem *Brz'etislaum* eo permovit, ut Collegio Canonicorum Ecclesiæ Boleslaviensis in Bohemia urbes Moraviæ: *Olomucium*, *Bruna*, *Znoyma*, *Przrovium*, & *Kokiczena* unam marcam, duosque boves singulæ penderent, ac de omnibus in Teja flumine pontibus decimum tributum cum multis villis adsitis cederent. *i*) At nihilominus de separando Bohemiæ, ac Moraviæ Episcopatu, qui annis 80. unus, atque indivisus erat, negotium in Synodo Augustana agitatum, atque ab *Alexandro II.* Pont. definitum fuit, *k*) cui divisioni tanto minus dissentire potuit *Severus* Pragensis Episcopus, quanto magis eamdem cupiit Wratislaus Bo-

A. C. 1052.

1062.

---

b) Diploma Brz'etislai ap. Dobner. P. V. pag. 297.

*) *Reybradium* id temporis desertum erat castrum *Raygrad* dictum, quam vocem quidam putant esse germanicam, & ab ardeis avibus (Reiger) inter paludes vicinas non infrequentibus, hodiernam appellationem itidem germanicam Rager, seu Reiger obtinuisse. At Dobner Annal. Haj. P. V. ad annum 1048. probat, vocem *Raygrad* origine slavicam esse, iisque temporibus Slavos isthic incolas significatione illa haud aliud indicasse, quam *castrum voluptuarium*; hodieque enim Ráj paradisum, & locum quemque voluptatis notat. Hic ergo loci Brz'etislaus amplis dotibus fundavit cellam, seu eremum pro uno Monacho Brz'evnoviensi, quam postea in cœnobium convertit Abbati Brz'evnoviensi subjectum, ideoque sequentibus seculis solo *Præposituræ* nomine gaudebat. Nostro primum seculo Marchionatus Moraviæ Prælatum infulatum accepit *Rev. D. Bonaventuram Pitter*, maximum litterarum nostrarum decus, & ornamentum. Vid. Diploma Brz'etislai apud Dobner *P.* V. Annal. Haj. ad an. 1045.

i) Instrument. Fundation. l. cit. pag. 310. seqq.

k) Dobner l cit. pag. 376. & pag. 380.

Bohemiæ Dux, communi Moravorum bono consulturus. *l*)

Joannes I. Episcop. Mor. seu Olom. III. A. C. 1063.

V. Itaque *Joannes I.* Monachus Brz'evnoviensis Wratislai Ducis Sacellanus a Sigefrido Moguntino Antistite Moraviensis, seu Olomucensis Episcopus fuit consecratus, *m*) simulque ex legibus canonicis transactio ita facta, ut Pragensis Episcopus redituum Moravicorum vice 12. Bohemiæ villas eligeret, prædiumque in Moravia ad *Schirkostel* cum appendicibus, & castro *Podivin* retineret. *n*) Qui autem reditus Olomucensi Episcopo tum decreti fuerint, non liquet. Illud omnino exploratum, Præsulem hunc a morte *Severi* Prag. Episc. adversum jus, legesque injuriis adflictum esse. Nam *Jaromirus* Brz'etislai minimus natu filius, fratrum suorum Conradi, & Ottonis Moraviæ Ducum suasibus, ac molimine, vel invitus Pragensem Episcopatum suscepit, multum adverso Wratislao Bohemiæ Duce, quocum antea, ac deinceps assiduum fuit dissidium. *o*) Vix sacris initiatus, & *Gebhardus* dictus, suscitatam in Moravia sedem Pontificiam, ut dispendium Ecclesiæ suæ proventuum, ægerrimo tulit animo, & quum stomachum suum omnem in Wratislaum evomere non posset, evomuit in *Joannem* Episcopum. Huic primum prædia quædam, & castella, olim Pragensi Episcopo propria, manu violenta eripit; deinde quum *Wratislaus* par pari redderet, in Moraviam se confert, prædiumque suum *Schirkostel* adit; demum quasi ad Ottonem fratrem suum invisurus, Olomucium in-

(Margin: 1067. — 1068.)

l) Cosmas ad an. 1067.

m) Augustinus in Serie Epp. Olomuc.

n) Cosmas ad an. 1067.

o) Idem ad an. 1068.

ingreditur, & *Joannem* Episcopum in hac ipsa urbe residentem in ipso ejus palatio quum multis opprobriis onerat, tum servorum suorum opera flagellis cædit. *p*) Turpe adeo facinus Gebhardi & Joannem Præsulem, & Wratislaum Ducem eo adduxit, ut missis Romam nunciis, Alexandrum II. Pontif. acrius perurgerent ad mittendam legationem in Bohemiam. Misit ocyus Papa duos legatos pontificios, qui Pragam advecti, Synodum quidem indixere: sed quum Gebhardus semel, & iterum vocatus, adesse nollet, insuper dignitate Episcopi privatus, graves in populo tumultus cieret; Legati eundem cum Joanne ad caussam Romæ agendam obstrinxerunt; Wratislaus vero omnibus Episcopatus bonis spoliavit. *q*) Neque tamen adhuc saniorem mentem induit: quin etiam (Alexandro II. Pont. e vivis sublato) Gregorii VII. Pont. Legatis in Bohemiam missis contumax restitit, Sigefridi Moguntini Præsulis, suique Cleri patrocinio suffultus. *r*) Tandem pontificiis litteris acerrime correptus, Romam venit, ubi & Joannes Olomucensis adfuit. *s*) Discutitur ipsa Palmarum die a Synodo romana utriusque caussa, sed minime deciditur; quod lis de quibusdam prædiis adeo obscura foret, ut firmiora alterutrius documenta posceret. Interea igitur Episcopi invicem reconciliati, & *Gebhardo* quidem episcopalis honor redditus, *Joanni* autem usus prædiorum litigiosorum tamdiu con-

A. C. 1072.

1074.

p) Idem ad añ. 1073.

q) Idem l. c. Baronius in Annal. Eccl. ad annum 1063. Epist. Sigefridi Mogunt. Archiepisc. ad Gregor. VII. Pont. apud Evardum T. II. n. 130.

r) Epist. Gregorii VII. ad Wratislaum Boh. ducem apud Harduinum in Actis Concil. T. VI. pag. 1208.

s) Cosmas ad añ. 1073.

conceſſus, dum romana ſequentis anni Synodus, rebus magis evolutis, ſententiam ferret. *t*)

VI. Vix dum ad ſuos *Gebhardus* rediit, quum denuo bona Epiſcopi Olomucenſis invaſit, eique caſtrum S. Wenceslai eripuit. Querelis ideo rurſum Romam delatis, Gregorius P. epiſtolis ad *Wratislaum* Ducem, *Gebhardum*, & *Joannem* Epiſcopos datis, effecit, ut Epiſcopus uterque Synodo Romæ iterum adeſſet, ad quam & Sigefridus Præſul Moguntinus eſt vocatus. *u*) A. C. 1075. Sed quum cauſſa litis necdum clara ſatis, & perſpicua foret, decretoria Synodi ſententia ſtatutum, ut omnia prædia litigioſa per medium dividerentur, induciis in decem annos factis, quo apertiora documenta inveniri poſſent. *v*) Hoc modo concordia inter Epiſcopos reducta, *Gebhardus Joanni* omne jus in caſtrum ad *Sekirkoſtel* ceſſit, ſibique caſtrum S. Wenceslai, ſive ipſum caſtrum *Podivin* retinuit, quod diu poſt apud Pragenſes Epiſcopos perſtitit. *) Inde ali-

t) Epiſt. Gregor. VII. ad Wratisl. Boh. duc. item Gebhard. & Joann. Ep. ap. Hard. l. cit. p. 1266. & 1268.

u) Epiſt. Gregor. VII. ad Wratislaum Boh. ducem. apud Harduinum l. cit. p. 1294.

v) Decretoria ſententia ap. Hard. l. c. pag. 1302.

*) Controvertitur inter hiſtoricos, quænam illa fuerint bona vel prædia, de quibus tanto opere digladiati ſunt Epiſcopi Gebhardus, & Joannes. A vero aberrant, qui *Cojetinium*, & *Jaromiritzium* fuiſſe autumant. Nam etſi certum, hæc Moraviæ loca ad menſam Epiſcopi Pragenſis olim pertinuiſſe; eadem tamen primum a rege Bohemiæ Ottocaro conceſſa Pragenſi Epiſcopo fuerunt. Alii ex variis nominibus, quibus controverſia illa appellatur, rectius inferunt, litigium fuiſſe de curtibus, & decimis ad caſtrum Sekirkoſtel, & Caſtrum S. Wen-

aliquantum a litibus temperatum; & *Joannes* Ep. Olom. absoluta Gradicensis Monasterii fabrica (illud Otto II. Moraviæ Dux cum conjuge Euphemia ad Olomucium extruxit, & Monachis S. Benedicti Brz'evnoviensibus *) incolendum tradidit) Ecclesiam, seu Oratorium ornamentis omnibus locuples consecravit, præsente *Wratislao* Bohemiæ Duce, qui fundationis hujus instrumentum confirmavit *x*) vel ideo, quod

H

Wenceslai spectantibus. Ex his Moraviæ locis in regione hodierni *Kostel*, seu *Podivin* sitis, duæ curtes, seu duo prædia erant primaria: Castrum ad *Sckirkostel*, & castrum *Podivin*, ad quæ cetera referebantur. Castrum enim S. Wenceslai cum præpositura nihil aliud, quam illud ipsum castrum *Podivin* fuit, ita dictum ab antiqua præpositura, & ecclesia S. Wenceslao sacra, quum *Podivinum* jam Suatopluci Moraviæ regis tempore civitatibus regiis accenseretur. Neque immerito castrum S. Wenceslai dicitur fuisse *castrum Podivin*; quia hoc ipsum a morte *Severi Prag. Episc. Wratislaus Bohemiæ dux* sibi carissimo *Joanni Episcopo Olomucensi* ob antiqua ejus in castrum hoc jura donavit; hinc Gebhardum inter, & Joannem tanta contentio, Immo & postea facile 70. annis inter Episcopos Pragensem, & Olomucensem de *Podivino* litigatum est, donec Otto Pragensis Episcopus obtento Siloënsi in Bohemia prædio, de jure controverso decessit, Wladislaus autem Bohemiæ rex II. precibus B. Henrici Zdik Olomucensis Episc. motus *Podivinum* Ecclesiæ Olomucensi restituit. Vid. Vincent. T. I. mon. inedit. pag. 104. Strz'edovsky Sac. Mor. hist. pag. 358. 248. 325. Dobner Annal. Haj. P. V. pag. 448. seqq.

*) Monasterium illud Gradicense Monachi Brz'evnovienses incoluerunt, usque ad annum 1149. Vacavit usque ad annum 1151., quo Canonicis Præmonstratensibus cessit.

x) Monach. Gradicensis Mon. ined. T. III. pag. 22. Diploma Ottonis, & Wratislai apud Pitter Thes.

quod Moraviæ tum Duces nihil alienare possent, sine Ducum Bohemiæ tamquam Dominorum directorum consensu. y) Tandem *Joannes* Olomucensis Episcopus tot injuriis, & calamitatibus exagitatus, mortalitatem exuit; z) *Gebhardus* vero in Moguntino concilio, cui *Henricus* Imp. & *Wratislaus* Dux aderant, nullum non movit lapidem, ut, quemadmodum Bohemia, & Moravia uni Regi, ita uni, eidemque Episcopo subesset. Voti compotem fecit Imperator, ac *Wezilonis* Moguntini Præsulis, simul & Antipapæ Clementis legatorum consilio Episcopatum Moraviæ rursum Pragensi adnexum cæsareo diplomate declaravit. a) Neque tamen diploma istud unquam in opus redactum est. Quum enim Clemens Antipapa regium *Wratislao* titulum confirmare nollet; ille desertis hujus partibus, saniora cepit consilia, atque *Urbanum II.* non modo legitimum Ecclesiæ caput agnovit, sed ejus etiam legatos ad consecrandam Wischehradensem SS. Petri, & Pauli basilicam Roma evocavit. b)

A. C. 1086.

1088.

VII. Legati Pontificii Pragam delati ante alia schismaticum Moguntiæ Concilium, quo Ecclesiæ Olomucensis, & Pragensis decreta fuit unio, irritum declararunt, ejusque acta resciderunt. Quare *Wratislai* Regis consensu, nec jam repugnante *Gebhardo*, novus Moraviæ datus fuit Antistes, Regis Sacellanus, nomine *Wezilo*, seu *Wenceslaus*, qui in diplomate regio fundationis Eccle-

Thes. Abscond. pag. 184. & 186.

y) Dobner de initiis Marchionat.

z) Hajecus ad ann. 1086. Dobner ibid.

a) Diploma Henrici Imp. apud Dobner P. V. pag. 521. seqq.

b) Idem pag. 545. seqq.

Ecclesiæ Wiſchehradenſis inter alios teſtes *Epiſcopus Olomucenſis* nominatur, etſi non conſtat, num conſecratus fuerit. *c*) At non ita multo poſt abitum legatorum recruduere *Gebhardum* inter, & *Wratislaum* diſſidia, quorum origo fuit vetus illa de prædiis utriusque Epiſcopatus querela; eaque de cauſſa *Gebhardus* opem *Urbani II.* Pont. imploraturus denuo Romam iter ſuſcepit, atque ad Ladislaum Hungariæ Regem, Papæ cariſſimum deflexit, ubi molimina illius mors interrupit. *d*) Succeſſor in cathedra Pragenſi fuit *Cosmas*; Olomucenſi autem Epiſcopo *Weziloni*, ſive Epiſcopatu ceſſerit, ſive in alium translatus, aut vita ſub id tempus ſit functus (nihil enim certi poteſt ſtatui) ſuffectus eſt *Andreas* Canonicus Pragenſis, *e*) quem *Dubravicium* vocant. *) Ambo hi Epiſcopi cum legatis regiis ad *Henricum* Imper. in Lombardiam fuere miſſi *inveſtituræ* cauſſa, *f*) partim ut hac ratione diviſio ſedium epiſcopalium auctoritate Imperatoris denuo firmaretur, partim ut Epiſcopi im-

A. C. 1089.

1091. *Andreas Dubravicius Epiſcopus Olomuc. IV.*

H 2 pe-

c) Ibid. Diploma Wratislai pag. 541. ſeqq.

d) Hajecus ad ann. 1089. Dobner ibid.

e) Cosmas ad añ. 1091.

*) Magnoaldus Ziegelbauer Olom Sac. P. I. pag. 77. Dubravium L. IX. ſecutus adſerit, *Andream Dubravicium* electum fuiſſe Epiſcopum a Canonicis Olomucenſibus de gremio ejusdem capituli Olomucenſis. At ſcriptor XII. ſeculi Chron. Sloenſ. Mon. ined. T. I. pag. 94. teſtatur, antiquitus Moraviæ Epiſcopos vel *e choro*, vel *e Canonicis Pragenſibus* aſſumtos eſſe, & quidem *non electione cleri, ſed deſignatione principis, ſicut oculata fide ſæpe jam vidimus fieri*, ut l. cit. ſubdit. Itaque liberam electionem Capitulum Olomucenſe obtinuit a Przemislao II. rege Boh. III. diplomate anni 1207. Vide Ziegelbauer Olomuc. Sac. P. II. c. 2.

f) Cosmas ad añ. 1091.

perialibus privilegiis, ac *juribus Principum imperii* donarentur. *g*) Poterat quidem Imperator graviter ferre, quod unionem Ecclesiæ Olomucensis, & Pragensis in synodo Moguntina decretam Rex resciderit; sedulo tamen cavit, ut ne ansam ei præberet rumpendi amicitiæ vinculum, atque ita Saxones certum in eodem præsidium reperirent. *h*) Unde evenit, ut facili negotio Episcopi *juribus regalibus* investirentur: *i*) etsi factum hoc *Urbanus II.* Pontif. acerrime reprehendit, eorumque ordinatio non nisi quatuor annis post consecuta est. Interea vivere desiit *Bohemiæ Rex Wratislaus* boni communis Moravorum studiosissimus; ejus vero successor *Conradus* sub ipsa reginiinis exordia ad Henricum Imp. misit legatum Viclinum, qui allatis argumentis rogaret, ut ne pateretur Ecclesiæ Pragensis divortium fieri, neve electos nuper Episcopos confirmaret. *k*) At enim negotio infecto, legatus ex Italia revertit; mutare enim toties sententiam turpe videbatur Imperotori, *l*) qui postea generalem synodum ab omnibus Episcopis, & Sac. Rom. Imperii Principibus Moguntiæ celebrandam indixit. Illuc a Brz'etislao Boh. Duce missi, omnium Præsulum suffragiis a Ruthardo Moguntino Metropolita consecrati sunt *Cosmas*, & *Andreas* Episcopi *m*); quorum iste biennio post obiit Olomucii in Ecclesia tum Cathedrali SS. Petri, & Pauli sepultus. *n*) *)

A. C. 1092. — 1093. — 1094.

VIII.

---

g) Dobner ad añ. 1091.
h) Idem ad añ. 1092.
i) Cosmas ad añ. 1092.
k) Cosmas, & Hajecus ad hunc añ.
l) Cosmas ad añ. 1092.
m) Idem L. I. ad añ. 1094.
n) Augustin. Catal. Episc. Olom.
*) Pessina, Strz'edorsky, Augustinus Moravus. Remi-

VIII. In locum ejus fublectus fuit *Petrus* Canonicus Pragenfis; non vero, ut quidam volunt, *Canonicus regularis Præmonftratenfis e cœnobio* H 3 *Stra-*

Petrus I *Olomuc A. C.* 1(

migius Mafchat in Elogiogr. Epifc. Olom. & alii quidam fcribunt: *Andream hunc epifcopalem fedem Polefcbovicio tranftuliffe Olomucium.* Quæ erronea opinio vel inde refellitur, quod jam ante annos 20. fub Joanne I. Epifc. Moraviæ, Olomucium fuiffe *fedem Epifcopalem*, teftatiffimum fit ex relatis Cosmæ Gregorii VII. P. epiftolis, aliisque fynchronis Scriptoribus. *Vid. Dobner Annal. ad ann.* 1091. Quo igitur fundamento dici poteft, favente Wratislao II. Boh. Rege, & confentiente Urbano II. Pont. *Andream fuiffe primum Olomucenfem Epifcopum?* Profecto, fi graviæ momenta, pofitis præjudiciis expendantur, vero eft fimillimum, everfo regno, primum Moraviæ Epifcopum, nempe *Silveftrum*, jam Olomucii fedem Epifcopalem crevisse. Nam *a*) *B. Henricus Zdik* (tefte Ziegelbauer Olomuc. Sac. pag. 41. item pag. 101. in B. Henrico Zdik ad finem, & Chron. Siloënf. pag. 106.) fe appellat feptimum Epifcopum Olomucenfem; cujus igitur prædeceffores: *Joannes II.*, *Petrus*, *Andreas*, *Joannes I.*, *Wracen*, feu *Wratislaus*, & *Silvefter* pariter erant Epifcopi Olomucenfes. E quorum numero *Wezilo*, feu *Wenceslaus* omiffus videtur, quum *nominatus* quidem fit Epifc. Olom. fed num *confecratus* fuerit, non conftet. *b*) Vincentius fec. XII. fcriptor ad añ. 1141. (*apud Dobner Mon. ined. pag.* 31.) memorat Epifcopatum in civitate Olomuc. a primis ejusdem terræ Ducibus incœptum effe. *c*) Cosmas ad añ. 1073. quin tamquam rem novam narret, Joannem I. appellat OlomucenfemEpifcopum. *d*) Ipfe Joannes I. Moraviæ Epifcopus in diuturna controverfia *de caftro Podivin* femper contra Gebhardum Pragenf. Epifcopum prætendebat pervetufta *Ecclefiæ Olomucenfis* jura. *e*) Gregorius VII. P. in epift. ad Ottonem, & Conradum Moraviæ Duces (*Dobner Annal. P. V. pag.* 431.) aperte dicit Ecclefiam Olomu-

A. C. 1104. Joannes II. Episcopus Olomuc. VI.

Strahoviensi. *) Hic annis octo pastorali feliciter perfunctus officio, in cathedra Olomucensi successorem habuit *Joannem II.*, qui dictus *Ventro-*

mucensem esse munitam apostolicis privilegiis. *f*) His cumulum addat auctoritas Monach. Grad. sec. XII scriptoris (*Dobner Mon. ined. T. III. pag.* 22. & *Bonaventura Pitter Thes. abscond. pag.* 184.) qui Joannem I. Monach. Brz'evnoviensem appellat tertium Olomuc. Ecclesiæ Episcopum, aitque año 1078. dedicationem Oratorii Gradicensis esse factam *ab umillimo III. Olom. Ecclesiæ Episc. nomine Joanne.* Neque contrarium his argumentis evincunt *decimæ*, quas nostra etiam ætate Celsissimi Principes, & Episcopi Olomucenses Poleschovicii colligunt. Nam *decimæ ecclesiasticæ* in Moravia decreto regio præceptæ, & inductæ sunt primum año 1248. Brunone Ep. Olom. ut infra dicetur in histor. Eccles. ad hunc añ. Deinde cuivis paullulum Juris Ecclesiastici gnaro notum est, *jus decimandi* variis modis, etiam sine directo fundi alicujus dominio ad personas ecclesiasticas, & politicas devolutum esse. *Vid. Cl. de Riegger Inst. Jurispr. Eccles. P. III.* § 471. *seqq.*

*) Ita sentit August. in Cat. Ep. Olom. additque Brz'etislao Boh. Duci electionem Petri adeo probatam, ut dato diplomate statuerit, neminem, nisi ejusdem cœnobii Strahoviensis Canonicum ad infulam Olomucensem eligi debere. Paria cum Augustino scribunt: Strz'edovsky Merc. Mor. prop. 6. Godefridus Provinc. Fid. Eccles. Rom. Mor. c. 27. Remigius Maschat in Elogiogr. Episc. Olom. &c. At utrumque assertum erroris convincitur, quod sacer Ordo Præmonstratensis primum año 1120. institutus, cœnobium vero Strahoviense a Wladislao II Boh. Duce año 1143. fundatum sit. Nullum igitur diploma de Canonicis Strahoviensibus ad Episcopatum Olomucensem assumendis Brz'etislaus año 1096. edidit, proinde vera esse possunt, quæ Crugerius ad 9. Apr. año 1114. de *Paulo Moravo* Littovia oriundo, & cathedralis Ecclesiæ Olomucensis Decano memorat

trosus, sibi pauper, Ecclesiæ suæ dives fuit. Nam totus splendori, & incremento Ecclesiæ Olomucensis intentus, a Duce Olomucensi *Ottone Nigro* 300. argenti marcis emit villam, seu prædium *Cremsir* (*hodiernæ civitatis Cremsiriensis initia*) cum annexis juribus & latifundiis. *o*) *Labacum* quoque in Bohemia a *Sobieslao* Bohem. Duce impetratum, pluraque alia prædia Ecclesiæ Olomucensi adjunxit, *p*) cui duos supra viginti annos præfuit. *) A morte illius *Sobieslaus* Bohem. Dux *Henricum* Pragensis Ecclesiæ Præpositum *q*), & Prz'emislea apud Bohemos, & Moravos regnatrice domo oriundum *r*) commendavit Ecclesiæ Olomucensis Canonicis. A quibus ille communibus votis, ac desideriis expe-

A. C. 1
B. Hen Zdik Ep Olomuc.

rat, nempe ita eum in officio hoc fecisse satis Canonicis, & aliquot Episcopis, *ut semel, iterumque Moravorum Antistes jure meritissimo ob sapientiæ, & virtutis prærogativam designaretur*. Vid. Cl. de Monse Inf. Doct. pag. 10.

o) Privileg. Prz'emislai Ottocari Boh. Reg. III super libertatibus Ecclesiæ Olom. datum Olomucii año 1207. Augustinus in Catal. in Joañe Ventr.

p) Augustinus l. c.

*) Amandus Friedenfels Canonicus Strahoviensis libro: *Mons Sion inclytus*, ut *Joannem II. Episcop. Olom.* Præmonstratensibus suis vindicaret, ordinem Episcoporum Olom. ita pervertit, ut prius *Henricum Zdik*, tum *Petrum*, ac tandem *Joannem II.* collocaret. At confutavit eum Carol. Ludov. Hugo Abbas Stigevii, Annal. Ord. Præmonstratensis T. II. col. 450. Refutatur etiam privilegio Prz'emislai Ottocari Boh. Regis III. super libertatibus Ecclesiæ Olomuc. dato Olomucii año 1207. apud Ziegelbauer Olom. Sac. pag. 88. & Augustinum in Cat. Episcop. Olom.

q) Pessina Phosphori Radio 5.

r) August. Cat. Episcop. Olom.

petitus, atque ab Adalberto Moguntino Metropolita consecratus Episcopus, mox sub initium regiminis sacri operam dedit, ut nova Ecclesia cathedralis Olomucii exaedificaretur. Nempe *Otto III.* cognomento *Niger*, Dux Olomucensis, castrum suum in eadem urbe situm in sacros usus diu jam destinavit, & Ecclesiae *S. Wenceslai Martyris*, Bohemiae Ducis, prima jecit fundamenta; sed fatis interceptus ad exitum adducere haud potuit. Nec filius ejus *Wenceslaus*, morte itidem praeventus, consilia patris exequendo fuit; proinde mortifero implicitus morbo, *Henricum* Episcopum, supremam operi manum ut imponeret, rogavit. Id quod ille non praestitit modo, sed etiam *Innocentii II.* P. non minus, quam *Adalberti* Praesulis Moguntini auctoritate, praesente *Sobieslao* Bohemiae Duce, magnaque Procerum frequentia, Ecclesiam illam Divino Numini consecravit; deinde Pontificiam Cathedram ex antiqua SS. Petri, & Pauli Ecclesia illuc transtulit; denique donis pretiosissimis, praecipue haud modica vivifici ligni S. Crucis parte, quam Jerosolymis anno 1123. nondum Episcopus attulit, eandem exornavit. Ut vero cultum divinum hic augeret, duodecim Canonicos cum Decano, qui Christi personam gereret, secundum Apostolorum numerum instituit, *) quatuor divini servitii caussa

1130.

1131.

*) Balbinus L. IV. Miscell. S. 30. ait, ab Henrico Episcopo Olom. 29. Canonicos fuisse institutos. Sed id rejicitur tum ab anonymo, ex quo Augustinus Moravus Catalogum Episc. Olom. confecit; tum ex ipsius Henrici Episcopi litteris, quibus Ecclesiam S. Wenceslai Martyris dignitate Sedis Episcopalis auctam, *omnium Ecclesiarum Matrem* in Moravia constituit. Inde etiam refutantur Ecclesiae hujus funda-

caussa ad SS. Petrum, & Paulum relictis. *s*) Quin & illud impetravit, ut Paroecia Ecclesiæ S. Mauritii, quæ antea Gradicense Ordinis S. Benedicti cœnobium respiciebat, ad cathedralem S. Wenceslai Ecclesiam pertineret. *t*)

IX. His ita præclare constitutis, *Henricus* noster cum Bambergensi Præsule cognovit caussam *Mainhardi* Pragensis Episcopi, qui de conspiratione in necem *Sobieslai* Boh. Ducis invidorum calumniis accusabatur; sed judicum sententiis absolutus, hostium tela ut declinaret, in Moraviam se contulit, atque in castro *Podivin* vitam sancte exegit. *Henricus* Episcopus mortui corpus magno cum honore Pragam devectum in S. Viti Ecclesia terræ mandavit. *u*) Deinde sacra Jerosolymis loca venerandi ergo in Palæstinam iter pedibus confecit, susceptoque ibidem Canonicorum Præmonstratensium habitu, Ordinis hujus primordia in Bohemiam secum detulit. *v*) Id quod pietatis consilium adeo non displicuit *Sobieslao* Boh. Duci, ut Moraviæ vicum, cui *Blansko* nomen, contra *Wratislaum* Ducem Brunensem eidem adjudicaverit, qui eo loci Ecclesiam S. Martini construxit. *x*) Pari studio fidei propagandæ incensus, *Innocentii II.* P. concessu, militares copias adversus *Prutenos*, id temporis idolorum cultores duxit, *y*), eo-

A. C. 1131.

1134.

1137.

1140.

1141.

---

datores a Balbino l. cit. nominati, nimirum *Wenceslaus*, &, nescio quis, *Wladislaus*.

s) Litteræ Henrici Episcopi apud Ziegelbauer Olom. Sac. pag. 91. seqq.

t) Ziegelbauer l. c. pag. 90.

u) Idem l. c. pag. 93.

v) Chron. Vincentii Mon. ined. pag. 31. seqq.

x) Dubrav. hist. Boh. pag. 104.

y) Chron. Vincentii Mon. ined. pag. 38. ad añ. 1147. Hajecus ad añ. 1141.

eorumque alios verbi divini prædicatione, armis alios ad christiana sacra adduxit: etsi conversio hæc, more illius ævi facta, infra spem fuit. z) Reducem ab ea expeditione *Conradus III.* Imp. ad comitia imperii Ratisbonæ habenda vocavit, quibus ille non modo ut *Princeps Imperii* adfuit, sed & decretis subscripsit. a) Immo Imperator hic quoque adeo favit *Henrico*, ut Episcopatum Olomucensem variis privilegiis donaret, inter quæ præcipuo habentur loco: *Jus cudendæ monetæ* concessum, & *exemtio subditorum* Episcopi Olomucensis a jurisdictione Ducum Bohemiæ, & Moraviæ, ut adeo Episcopatus Olomucensis tamquam *immediatus Imperii Principatus* soli Imperatori subjectus manserit. b) *) Nec minore benevolentia in Henricum usus Wla-

A. C. 1142.

z) Cosmas in Chronico.

a) Goldastus de regno Bohemiæ L. V. c. 5. n. 5.

b) Diploma Conradi Imp. ap. Ziegelbauer Ol. Sac. P. I. p. 94.

*) Ex eo privilegio perinde ac jure, quod in Comitiis Imperii Rom. Germanici Henricus Episc., ejusque successores exercuerunt, constat, Episcopos Olomucenses jam ævo isto titulum: *Sac. Rom. Imperii Princeps* obtinuisse. Hinc sæpe Comitiis imperialibus adfuerunt, eorumque decretis subscripserunt. Hinc etiam Fridericus II. Imp. constitut. ad Prz'emislaum Ottocarum I. Boh. Reg. III. año 1212. die 26. Sept. Basileæ data, postquam ei, ejusque heredibus *jus*, *& auctoritatem investiendi Episcopos regni sui integraliter* concessit, subdit: *Ita tamen, quod ipsi Episcopi* (Pragensis, & Olomucensis) *ea gaudeant libertate, & securitate, quam a nostris prædecessoribus habere consueverunt.* Chron. Pulkavæ apud Dobner Mon. ined. T. III. Porro *libertas illa*, *& securitas*, ut ait Balbin. Epit. Rer. Boh. L. III. c. 13. est: Honor in imperio, S. R. I. Principum dignitas, jus sessionis, & sententiæ in comitiis imperii, aliaque ceterorum imperii Antistu-

Wladislaus Bohemiæ Dux, caſtrum *Podivin* cum jure monetæ cudendæ Olomucenſi Eccleſiæ reſtituit; *c*) eodem deprecatore, *Ottonem*, & *Wratislaum* Moraviæ Duces in priſtinæ gratiæ locum recepit; *d*) inſuper *Strabovienſe*, ſeu *Siloenſe* cœnobium in Bohemia excitavit, inductis e Steinfeldenſi Canonia cum Godeſchalco Præmonſtratenſium coloniis. *e*) Eccleſiam dein regiis ſumtibus, regiaque magnificentia exſtructam, Præſul Olomucenſis *Henricus* conſecravit. *f*)

A. C. 1143.

X. Verum in proſperis, & adverſis ut emineret Henrici virtus, gravibus preſſa malis fuit. Nimirum in Bohemia juxta, ac Moravia leges divinas, ac humanas ſumma vitæ licentia nihili pendebat Clerus, nec ullis Præſulum monitis ad frugem reduci potuit. Opportuna malo huic remedia allaturus *Henricus*, ultro Romam ſe offert, ut ſummi fidelium Paſtoris conſilio utatur. Quum ſe ſe ad iter accingit, ecce quidam a *Conrado* Znoymenſi Duce miſſi, multis orant precibus, ut ne longinquum ſuſcipiat iter prius, quam disjunctos *Wladislai*, & *Conradi* animos priſtino jungat amicitiæ vinculo. Epiſcopus, latere anguem in herba neſcius,

1145.

ſtitum jura, quæ tamquam *immediati Principes*, & *Status imperii* ſine ulla Ducum, aut Regum Boh. contradictione omnibus ſeculis habuerunt, quod pluribus exemplis oſtendit Goldaſtus Commentar. de Reg. Boh. L. V. c. 5. Vid. Chron. B. Gerlaci Mon. ined. Dobner pag. 126. item Crugerius ad diem 26. Sept.

c) Privileg. Wladislai.

d) Chron. Vincentii ad añ. 1144.

e) Idem ad añ. 1141. — Chronogr. Siloënſis Mon. ined. pag. 100. & 106.

f) Carol. Lud. Hugo Añal. Præmonſtr. T. II. pag. 809.

ſcius, Conrado ſe gratificaturum pollicetur, etſi longius de via deflectendum foret. Nec mora, in Bohemiam ad Wladislaum Ducem iter feſtinat, ac periculi ſecurus, non longe a Litomiſslio ad villam (hæc de menſa, ditioneque illius fuit) Conradum ſibi habet obvium, quem ad cœnam invitat, ignarus, viperam in ſinu ſe habere. At enim illuceſcente altera die patuerunt inſidiæ, quas viator forte obvius patefecit. Henricus illico jubet ſuos retrocedere; Conradus autem a tergo inſtat, ut quemque comprehendit, ſternit. Tandem vim vi opponunt comites Epiſcopi, ipſe vero ad vicinam ſilvam equo elabitur, ubi ſolidum deliteſcit diem, alteroque mane a lignatore inventus, Litomiſslium deducitur. Actum erat de vita *Henrici*, ſi poteſtas ejus aſſequendi *Conrado* obtigiſſet; adeo agreſti ille animo adverſus Præſulem, & affinem ſuum laborabat, nulla cauſſa alia, niſi quod *Wladislai* partibus faveret. g) Re inſolente audita, ocyus Dux *Wladislaus* mittit equites, qui *Henricum* Pragam deducant, ubi reparato viatico, is romanum iter proſequitur, ac demum *Eugenio* Pontif. rem omnem enarrat. Miratus admodum ſummus Pontifex, protinus cum *Henrico* in Bohemiam mittit Legatum *Guidonem*, qui *Wladislai* auxilio facile effectui dedit, ut Bohemiæ ſimul, & Moraviæ Clerici vitæ ſuæ rationem reddere, ſui vero officii immemores dignas luere pœnas cogerentur. Neque impunis abiit Dux Znoymenſis *Conradus*; quum enim obſtinato adverſus Legati monita eſſet animo, Wladislai armis ditiones ſuas cedere, turpique fuga ſalutem quærere compul-

ſus

g) Chron. Vincent. ad an. 1145.

ſus. fuit. *h*) Rebus jam pacatis, Præſul Olomucenſis, quod in vitæ diſcrimine voverat, cœnobium Litomiſslii ædificare cœpit, quali forma in Oriente viderat, illudque ex ſimilitudine ſitus *Montem Oliveti* appellavit, Wladislao agros, & pagos, unde Canonici Præmonſtratenſes vitæ neceſſaria haberent, libenter largiente. *i*) *) Reliquum vitæ tempus ſublevandis egenis, & a fortuna oppreſſis ita piiſſime impendit Henricus, ut *Pater*, & *refugium pauperum* audiret; tanta vero ſanctimoniæ fama exegit, ut populi conſenſu, & communi ſcriptorum teſtimonio nomen *Beati* adeptus ſit. *k*)

A.C. 1146.

1151.

XI.

---

h) Idem ad añ. 1146.

i) Idem ad añ. 1141. — Chronogr. Siloënſ. Mon. ined. pag. 100. & 106.

*) Berghauerus in Proto-Martyre Pœnit. c. 2. p. 251. opinatur, Brzetislaum Boh. Ducem Litomiſslienſis hujus cœnobii primum eſſe fundatorem, qui año 1123. vivente adhuc S. Norberto, fratris ſui Sobieslai ſuaſu Præmonſtratenſes Canonicos illuc deduxit. Quam opinionem Wladislai *II.* Regis Bohemiæ litteris ſtabilire nititur. At cur litteras has, aut ſaltem illarum fragmentum non produxit in medium? Error illius ex Peſſinæ Mart. Mor. L. *III.* c. 3. relatis dubio procul ortus eſt, quum certum ſit ante Strahovienſe cœnobium, & advocatas e Steinfeldenſi Canonia colonias, nullum in Bohemia domicilium Præmonſtratenſibus fuiſſe. *Vid. Dobner Mon. ined. T. I. pag.* 32. Primus igitur cœnobii Litomiſslienſis, ex quo poſtea *Carolus IV.* Boh. Rex Epiſcopatum erexit, conditor fuit B. Henricus Zdik, qui Præmonſtratenſium Ordini ita favit, ut ejusdem alumnus videri potuerit. *Sed amore ſolum, & affectu, non autem profeſſione, Præmonſtratenſis Canonicus fuit*, ut probat Ziegelbauer Olom. Sac. p. 100. ex Balbino Miſcell. Dec. *I.* L. *IV.* pag. 46.

k) Balbin. Miſcell. L. *I.*

Joannes III. Episcopus Olom. VIII.

XI. Ante, quam *B. Henricus* in monte Sionæo Bohemiæ, ut voluit, tumulo est illatus, *Joannes* ejusdem montis Sion, seu Strahoviensis monasterii Canonicus Præmonstratensis infulam Olomucensem obtinuit, paullo post Moguntiæ consecratus. *l*) Hic *B. Henrico* fuit quidem sanguine regio dissimilis, sed morum integritate simillimus; *m*) inde Olomucensis Ecclesiæ splendorem, quem invenit, religione, doctrina, ac providentia conservavit, auxitque. Primus e Præsulibus Olomucensibus post obitum in cathedrali S. Wenceslai Ecclesia sepultus.*) Mox *Wladislai* Regis consensu, & *Ottonis* Moraviæ Ducis precibus, ad Ecclesiam Olomucensem vocatur *Joannes* Abbas monasterii Litomisliensis, eximiis animi dotibus perquam celebris, qui comite Daniele Pragensium Antistite ab Imper. Friderico Würtzburgæ *jura regalia* accepit, Erfordiæ vero ab Arnoldo Metropolita consecratus est. Olomucium advectus, maximoque

A. C. 1157.

Joannes IV. dictus Calvus, Episcopus Olomuc. IX.

l) Vincent. ad añ. 1151.

m) Vincent. ad añ. 1151.

*) Augustinus in Catal. Ep. Olom. scribit hunc *Joannem III.* fuisse Canonicum regularem de Leutomisel; alterum vero *Joannem IV.* cognomento Calvum vocat Strahoviensis cœnobii Professum. Sed major fides habenda Vincentio scriptori coævo ap. Dobner Mon. ined. p. 41. unde liquet, Augustinum priori Joanni tribuere, quod alteri fuit tribuendum. Similiter Crugerius in Sac. Mem. die 30. April. ait, Joannem *III.* Episcopum Olomucenlem, ut sacri sui Ordinis institutum proveheret, potissimum curasse, ut ab Ottone *III.* Marchione in Monasterium Gradicense Benedictinorum loco inducerentur Præmonstratenses. At Vincentius ad añ. 1184. l. c. pag. 106. testatur id factum a *B. Henrico Zdik*, qui & *septimus Olomucensis Episcopus*, nempe secundum calculum supra subductum.

que honore a Canonicis ejus Ecclesiæ, omni Clero, & populo exceptus, Cathedram Pontificiam præcipua in egenos beneficentia, ac singulari morum suavitate annis quinque & decem ita tenuit, ut bonis placeret omnibus, malos lenitate emolliret. *n*) Multis dignus seculis, in Ecclesia Gradicensi *o*) Canonicorum Præmonstratensium, quem vivus expetiit, tumulum obtinuit. *) In ejus vero locum suffectus est Die-

A. C. 1172.

n) Vincentius ad añ. 1158.

o) Augustinus Catal. Episc. Olom.

*) Magnoaldus Ziegelbauer Olom. Sac. T. *I.* pag. 159. *Joannem Calvum* vocat *nonum Episcopum Olomucensem*, idque probat diplomate Wladislai *II.* Regis Præmonstratensibus in Abbatia Gradicensi año 1160. dato. Idem constat ex Vincentio (*Dobner Mon. ined. pag.* 47.) qui ad annum 1158. de antecessore Joannis Calvi Joanne *III.* Episc Olom scribit: *Eodem anno Dominus Joannes VIII. Olomucensis Ecclesiæ Episcopus feliciter obtit.* Deinde autem narrat, in locum hujus esse suffectum *Joannem de Leutomisel Abbatem.* Similiter Chronographus Siloënsis (Dobner Mon. ined. pag. 106.) B. Henricum Zdik antecessorem Joannis *III.* appellat septimum Episcopum Olomucensem. Postquam enim narrasset B. Henricum ad Godeschalcum Abbatem Siloënsem binas dedisse litteras, subdit: *Hic est Henricus, qui & Zdiko, septimus Ecclesiæ Olomucensis Episcopus.* Demum Ziegelbauer l. cit. p. 101. profert B. Henrici Zdik diploma, unde hæc excerpit: *Notum sit cunctis fidelibus Christi — quod ego Henricus divina largiente clementia, septimus Olomucensium Episcopus* &c. An non major fides his auctoritatibus habenda sit, quam subscriptioni diplomatis, quod in tabulario Gradicensi reperitur, dubium, & anceps sit. Quid si temporis vetustas numeri *VIIII* quidpiam exedit, ejusque loco dumtaxat *VIII.* reliquit? aut forte privato suo judicio Joannes Calvus ita subscripsit: *Joannes Sancte Olomucensis Ecclesie VIII. Episcopus.*

Dietlebus Ep. Olomuc. X.

Dietlebus Canonicus Strahovienſis *p*), qui primis Pontificatus ſui annis beneficio *Oldarici* Moraviæ Principis ad expeditionem bellicam cum Friderico Imper. proficiſcentis, villam *Urz'itium* (hodie *Ubrz'icz'icium*) donatam bonis Eccleſiæ Olomucenſis addidit. Dein ſedula plurium annorum cura, qua muneris ſui partes explere omnes ſategit, ſolutus a morte, in Strahovienſi Bohem. monaſterio ſepultus fuit. *q*)

A. C. 1182.

PERIODUS IV.

De Marchionatu Moraviæ uſque ad obitum Wenceslai IV. Rom. & Bohem. Regis; ſive a ſeculo duodecimo ad decimum quintum. Annus Chriſti 1182—1419.

I.

Conradus III. ſive *Otto* Moravienſis, quam longe, lateque patebat, Moraviæ potitus, immunem, ac liberum ejus dominatum ambire; quove pacto a ſuprema Bohemiæ Ducis poteſtate ſe eximeret, cogitare toto animo. Optata ſe ſe tandem obtulit occaſio, quum primores populi ob gravia, quibus premebantur, tributa a *Friderico* Boh. Duce deſciverunt. *Conradus* enim temporis opportunitate uſus, exercitu ſuo in Bohemiam celeriter inducto, a ſeditioſis *Bo-*

1182.

p) Auguſtinus Catal. Epiſc. Olom.

q) Ziegelbauer Olom. Sac. pag. 105.

Bohemiæ Dux proclamatur, captaque Praga solium occupat. Profugus autem *Fridericus* perfugium reperit in Imperatore, qui *Conrado*, & Optimatibus Bohemiæ ad se vocatis, ut facti eos pœniteret, terrore, & minis effectui dedit, ac Bohemia *Friderico* reddita, *Conradum* sola Moravia contentum esse jussit. *a*) Hic spe sua dejectus, non mediocriter de salute pertimuit, ne scilicet justa *Friderici* vindicta eum Moraviæ Principatu subinde privaret. *) Quapropter ultionem illius ut anteveniret; Moraviam velut *feudum novum* Imperatori *Friderico* obtulit: tum quod regio hæc antiquis temporibus distincta esset a Bohemia, atque ut *feudum imperiale* haberetur; tum quod antiquæ Moraviæ Reges Imperatoribus Germanis forent vectigales. *b*) Gratum, acceptumque fuit Cæsari consilium; icciréo jus possidendæ Moraviæ *Conrado* haud gravatim concessit, non quidem *Ducis*, aut *Ducatus* titulo, ut ne Moraviam Bohemiæ adæquaret; sed *Marchionis*, & *Marchionatus* nomine **). Id quod factum Bohemiæ Dux cum

A. C. 1183.

Conradus Otto Moraviæ Marchio I.

I Opti-

a) Contin. Vincent. ad h. anum.

*) Nempe *Fridericus Bohemiæ Dux* hoc eodem ano *Wladimirum* patruelem suum constituit Ducem Olomucensem, ut patet ex illius diplomate añ. 1183. dato, ubi legitur: *Wladimir Dux de Holomus.* Vid. *Dobner T. IV. Specimen Codicis diplomatici Moravici.*

b) Idem ad añ. 1185. & Pulkava ad añ. 1184.

**) Hunc in modum jacta sunt fundamenta *Marchionatus Moraviæ*. Postquam enim Imperator *Fridericus* Moraviam ceu Feudum *Conrado* tradidit, continuo Chronographus Siloënsis, seu Contin. Vincent. ad añ. 1184. (Dobner Mon. ined. T. I. p. 112.) eundem Conradum appellat *Marchionem Moraviæ*. Verum eo in statu Moravia nondum permansit, neque *Marchionatus* ipse fuit stabilis. Vid. Dobner crit. Differt. de I. March. Mor. N. IX. p. 51.

Optimatibus suis ægerrimme tulit; nihilo secius tamen Imperatoris potentiam veritus eousque Moraviam supremæ suæ potestati ereptam, limis intuebatur oculis, dum opportuna vindicandæ injuriæ occasio obtigit. Quæ quidem data videbatur, quum Imperator integrum annum in Italia ageret. Tum enim Bohemiæ Dux *Conrado* infensissimus, partim quod eum tribus abhinc annis principatu pulsum cupierit, partim quod Moraviam non ejus, sed Imperatoris beneficio gestierit obtinere: fratrem suum *Prz'emislaum* valido cum exercitu misit in Moraviam. *c*) Conradus, qui tela hæc non prævidit, fuga præcipiti confugit in Austriam, relicta hostium direptioni Moravia; cujus magnam partem depopulatus belli Dux, copias in æstiva Bohemiæ abduxit. At *Fridericus* majoris vindictæ cupidus rursum initio mensis hiberni *Prz'emislaum* jubet omni impetu in *Conradum* irruere. Cui iste ab Austriacis auxiliaribus, & exercitu Moravorum paratus, occurrit, tantaque contentione ad *Ludonicium* (hodie Lodnicium) decertat prælio acerrimo, ut belligerantium vociferatio, armorumque strepitus longe dissita Canizii vicinia personaret. Magna utrinque strage edita, multisque Bohemiæ, ac Moraviæ proceribus cæsis, penes Bohemos tamen victoria stetit, quam *Prz'emislaus* neutiquam prosecutus, copias in hiberna patriæ deduxit. *d*)

A. C. 1185.

II. Ita rebus Moraviæ sat afflictis, justa æstimatione perspexit *Conradus*, se Bohemorum im-

c) Contin. Vincent. ad h. ann.

d) Idem ibid. & Dobner crit. Differt. de I. March. Mor. N. X. p. 57.

impetus ſuſtinendo diutius non eſſe. Quocirca uſus reconciliatoribus, Ducem Bohemiæ in Kvin adiit, junctoque amicitiæ fœdere, cum eodem in gratiam redivit. *) Quænam fœderis hujus conditiones fuerint, ſcriptores coævi haud memorant, præcipua tamen dubio procul fuit ea, ob quam armis certatum eſt, ut nimirum *Conradus* Bohemiæ Ducem, velut ſupremum ſuum dominum ſuſciperet, & quod antea Moraviæ Duces expleverunt, officio non deeſſet. *) Neque defuit, quoad vixit *Dux Fridericus*; hoc autem e vivis ſublato, ille ipſe Ordinum ſuffragio Dux Bohemiæ denunciatur. Nec mora, ſolium hoc firmaturus, Ratisbonæ ab Imperatore *vexilla ſuſcepit* **) non modica pe-

A. C. 1186.

1189.

*) Contin. Vincent. ad h. & præced. añum.

*) Immo & *Marchionis* titulo abſtinere coactus fuit Conradus, & vetus *Moraviæ Ducis* nomen reaſſumſit, ut ſatis, ſuperque probant, fœdere illo poſteriora Friderici diplomata, quibus ſe deinceps *Ducem principalem* nominat, quo aliquid diſcriminis notet inter Duces Moravos Duce Bohemo inferiores. Quid? quod idem auctor, (Cont. Vincent.) qui *Marchionis* nomine Conradum antea primus inſignivit, fœdere illo inito, eundem jam non niſi *Conradum Moravienſem*, vel *de Moravia* appellet. Ita & Cont. Coſmæ ad añ. 1189. Conradum vocat *laudabilem Moraviæ Ducem*. Demum ipſe Conradus Bohemiæ ſolio potitus, in diplomate fund. Lucenſis monaſterii añó 1190. his utitur verbis: *Quondam Marchio Moraviæ*, licet reipſa adhuc feudalis Marchio Moraviæ fuerit. Vid. Dobner cit. Diſſert, N. X. p. 58. ſeqq.

**) *Vexilla ſuſcipere* phraſi ſcriptorum hujus ævi idem eſt, ac *feudo inveſtiri cum vexillo*. Talia feuda ſunt majoris dignitatis, quæ *feudovexilla* vocantur, quod eorum poſſeſſores vexilla in aciem cum vaſallis ſuis educerent. Germani illa vocant Fahnlehen, aut Panlehen. Et in

pecuniæ summa numerata. Moraviam vero, retenta Znoymensi provincia, inter Principes agnatos dispertivit. Quamvis enim *Elisabetha Friderici* Ducis viduæ, cujus potissimum ope principatum Bohemiæ obtinuit, regionem Olomucensem pollicitus fuerit: eandem tamen *Wladimiro*, Brunensem vero ejus fratri *Brecislao*, non Marchionis, sed Ducis titulo dedit. *f*) Atenim subita hæc Moraviæ conversio nequaquam diu tenuit. Nam Conradus Misniensi Marchione, qui ab Henrico VI. Imp. descivit, feliciter domito, quum in expeditione Romana eundem deinde Imperatorem in Apuliam comitatur, mortem occubuit. *g*) Itaque maximus natu stirpis ducalis *Waczlaus*, seu *Wenceslaus* Sobieslai I. filius, quondam Dux Olomucensis, qui apud Elisabetham viduam in Bohemia morabatur, hujus præsertim suffragatione Dux Bohemiæ deligitur. Sed *Henricus Brz'etislaus*, Pragensis Episcopus, eadem stirpe natus, *) *Waczlaum* vehementi habuit odio, quod delectus iste præter suam voluntatem, inscioque Imperatore contigerit. Assumtis igitur duobus patruelibus suis, *Prz'emislao*, & *Wladislao* ad Imp. Henricum profectus eidem sexies mille marcas ar-

A. C. 1191.

1192.

in speculo Saxon. L. *III.* art. 60. §. *I.* dicitur: *Imperator confert cum sceptro spiritualibus*, & *cum vexillis secularibus feuda omnia illustris dignitatis.* Vid. du Fresne Glossarii T. *II.* voc. Feudovexillum.

f) Diploma fund. monasterii Lucensis, ubi legitur: *Donationis testes hi sunt adhibiti*; *Wladimirus*, & *Brecislaus fratres ejus Duces Moraviæ.*

g) Cont. Vincent. ad h. a.

*) Henricus anno 1150. Znoymensis Dux factus, frater Wladislai *II.* Boh. Regis, fuit pater Henrici Episcopi Pragensis, ut constat ex Dobneri Specim. Cod. Diplomat. Morav. p. 249.

argenti promisit, si Bohemiam alteri, alteri Moraviam clientelari jure conferret. Hoc pacto Imperatori jus feudale fuit firmatum. Quare facilis *Prz'emislaum Ottocarum* Bohemiæ Ducem, beneficiarium Moraviæ Marchionem *Wladislaum Henricum* designavit. *) Qui ambo in Bohemiam reduces, junctis asseclarum viribus, *Wazlaum* post trium, quatuorve mensium regimen exilio multarunt. *b*) At pœna talionis utrumque secuta. Etenim *Prz'emislaus*, quum rebellis in Misnia Marchionis fœderatus, hostilem in modum Germaniæ fines pervastat, Imperatoris iram incendit. Quam *Henricus* ipse, promissæ pecuniæ præs in aula Cæsaris, adeo inflammavit, ut Cæsar, Duce proscripto, Bohemiam clientelari jure Episcopo traderet. Prz'emislaus armata quidem vi ad Pragam occurrit Henrico, sed a suis mox desertus, Bohemis plaudentibus throno cedere coactus fuit. Wladislaus autem Moraviæ Marchio acerbum, quem ex fratris depulsione hausit, dolorem aliquamdiu texit; sed clandestina sua eidem opitulandi consilia haud potuit concoquere. Vix ea *Henricus Dux*, & *Episcopus* rumore comperit, ocyus cum exercitu advolat in Moraviam, captisque munimentis integram suo dominio subjicit. Quin & Wladislaum infelici fato com-

A. C. 1193.

1194.

 pre-

*) *Wladislaus* hic fuit quidem jam alter Marchio Moraviæ; sed *Marchionatus* iste neque dum *firmus*, ac *stabilis* esse potuit, quod ab Henrico Episcopo obreptitie, & oblata dumtaxat pecunia, evictus fuerit, non consentientibus legitimo Bohemiæ Duce, & Ordinibus. Hinc & ipse Wladislaus paullo post Moravia depulsus, ac trusus in carcerem fuit. Vid. Dobner cit. Dissert. Nro XI. p. 65. seqq.

b) Dobner cit. Dissert. Nro XI.

prehensum, Pragæ conjecit in carcerem, i) sibique servata regione Znoymensi reliquam Moraviam bipartito consanguineis suis divisit, nempe: *Wladimiro*, & *Brecislao* fratribus Olomucensem, *Spitigneo*, ejusque fratri *Suatopluco* Brunensem provinciam dedit, ea cautione usus, ut eos neque Duces, neque Marchiones, sed principes tantum appellaret. Namque assumto *Marchionis* nomine, se ipse *Ducem*, & *Episcopum Bohemiæ*, ac *Marchionem Moraviæ* nominavit: k) etsi honorificas appellationes istas altero post anno cum vita ipsa amisit, dum factiones nobilium Bohemorum declinans, in Urbe Aegra morbo consumtus est.

A. C. 1195.

1197.

III. Illuxit tandem Moravis annus inprimis memorabilis, quo stabilis in Moravia *Marchionatus* epocha, & continua *Marchionum* series a *Wladislao I.* aliter *Henrico* sumsit originem. Quippe a morte *Henrici Ducis*, & *Episcopi*, *Wladislaum* hunc e carcere ad solium Bohemiæ vocarunt Proceres: tum haud ignari, *Przemislaum Ottocarum* Imperatori esse odiosum; tum jure, ac merito veriti, ut ne ille suam depulsionem ulcisceretur. Interea moritur Imp. Henricus, quo nuncio accepto, *Przemislaus* illico factiones comparat, & cum asseclis suis exercitum ad urbem Pragam admovet. *Wladislaus* armata vi nequidquam territus, etsi lectissimas haberet copias.

i) Cont. Vinc. ad hunc añ.

k) Diploma Lucensis Monasterii año 1195., ubi hæc leguntur: *Ego Henricus Dux Bohemorum, & Episcopus, nec non Marchio Moraviæ.* Ibidem etiam nominantur: *Wladislaus cum fratre suo Brecislao Principes Olomucenses, Spitigneus cum fratre suo Swatopluk Principes de Brinen.* Vid. Dobner cit. Dissert. N. XI. p. 67.

pias, adſcitis tamen dumtaxat Epiſcopo Pragenſi, Abbatibus, Proceribus, aliisque boni conſilii viris, fratri ſuo obviam prodiit, eo animo, ut cum eodem in gratiam rediret, pacemque firmam conſtitueret. Reipſa utrumque ſequutum, & conſenſu Ordinum, qui aderant, pax ita facta, ut in Bohemia *Prz'emislaus*, *Wladislaus* in Moravia dominatum teneret. *l*) Quae autem praeter ea pacis conditiones fuerint, ſcriptores quidem ſilent; ſed e documentis eorum temporum eruuntur. Concordiae nimirum perquam ſtudioſus *Wladislaus* magnanimo, heroicoque facinore ſuo (*cujus ſimile perrara in hiſtoria reperitur*) ideo praeſertim de Bohemia fratri ſuo natu majori ceſſit, ut litigioſus adhuc Moraviae Marchionatus perpetua deinceps pace firmaretur, neque tamen aut ſummum Moraviae dominium Dux Bohemiae, aut Imperator jus feudale amitteret. Itaque dubio procul id temporis *Prz'emislaum*, & *Wladislaum* inter convenit, ut Bohemiae Dux ab Imperatore vexilla Bohemiae, ac Moraviae ſuſciperet; Marchio autem Moraviae feudovexillum a Bohemiae Duce obtineret. *m*) Profecto primae conceſſiones beneficiariae regni Bohemiae (haec ab eo tempore fiduciarium erat regnum) poſtea factae, complectuntur Bohemiam aeque, ac Moraviam, ut documenta indubia teſtatum faciunt. *) Moravia quoque de-

Wlad. Henri. Mor. Marchi

l) Cont. Vincent. ad an. 1197.

m) Dobner cit. Diſſert. N. XII. p. 76. ſeqq.

*) Ita Imp. Richardus (teſte Goldaſto in Append. document. p. 34.) año 1262. ad Regem Prz'emislaum Ottocarum II. ait: *De Principatibus regni Bohemiae, & Marchionatus Moraviae — — inveſtimus.* Ita quoque jam Rex Wenceslaus I. filius Prz'emislai I. inveſtitus eſt (*Jus municipale, & montanum Iglaviae*

deinceps fiduciarius *Marchionatus* constanter audiit, quum *Wladislaus* annis XXV., quibus eidem præfuit, citra ullam controversiam Marchionis titulum non sustinuit modo, sed posteris etiam tradidit. *). Hunc in modum firmato Moraviæ Marchionatu, firmata etiam regia dignitas in Bohemia fuit. Nam *Prz'emislaus, Ottocarus I.* ab Imp. *Philippo* corona regia ornatus est Moguntiæ, regiumque nomen & successoribus ejus concessum. n) Deinde *Fridericus II.* Imper. eandem dignitatem *Prz'emislao*, posterisque illius ratam habuit, & Bohemiæ Regibus potestate data Episcopos Pragensem, & Olomucensem investiendi, regnum, ipsum tributis omnibus Imperio deinceps solvendis absolvit. o). Denique ipse Rex *Prz'emislaus*, quo minus continua Regum series intestinis Bohemiæ bellis turbaretur, in comitiis regni *Wla-*

A. C. 1198.

1212.

---

viense apud Dobner T. IV. mon. Boh.) seque ideo Marchionem Moraviæ appellabat, licet eodem tempore filius ejus Prz'emislaus Marchio Moraviæ esset. *Vid. Dobner differt. cit. p. 79. seqq.*

*) In diplomate, quo Prz'emislaus Rex fundationem monasterii Welehradensis a Wladislao fratre factam confirmat, año 1202. ait: *Wladislaus frater noster Marchio, Moraviæ.* Et paullo infra: *Apud fratrem nostrum Wladislaum, Marchionem Moraviæ.* Sed in eodem diplomate (apud Strz'edowsky Sac. M. hist. L. I. c. 3.) idem Rex addit, quod Principes Moraviæ nihil alienare possint sine consensu, & auctoritate ejus, *qui summus est in regno Bohemiæ, & illius terræ tenet, Principatum.* Vid. *Dobner* cit. differt. N. XIII. p. 91. seqq. ubi refert diplomata añ. 1216, & 1222, quibus Wladislaus *Marchio, Moraviæ* appellatur.

n) Gerlacus, & Arnoldus Abbas Lubec. L. II. c. 2.

o) Imp. Fridericus II. in privilegio, apud Glafey. c. 12. Et Chron. Pulkavæ apud Dobner mon. ined. T. III. p. 206.

Wladislao Marchioni Moraviæ, ejusque Ordinibus auctor, suasorque fuit, ut abrogata, quam *Brz'etislaus I.* Bohemiæ Dux tulit, *senioratus* lege, inductoque jure *primogenituræ*, hereditariam in regno successionem firmarent. *p*) Id quod bene, feliciterque successit, quum *Wladislaus* Marchio (cujus id plurimum referebat) ultro consenserit amore pacis publicæ. Quam animo nunquam coluit non mitissimo, dum virtute præstans, quietem mortalibus extremam reperit in Welehradensi monasterio, quod propriis sumtibus exstructum, donis magnificis donavit. *q*) *)

A. C. 1216.

1222.

IV. Post non multo Rex Boh. *Prz'emislaus* alteri filio suo, qui *Wladislaus junior* passim audiit, Marchionatum Moraviæ clientelari jure tradidit. *r*) Hic *Wladislaus Henricus II.* annos quindecim natus dignitatem Marchionis obtinuit; haud tamen diu potitus eadem est. Nam ubi Procerum, ac Nobilium suffragio fratrem suum natu maximum Wenceslaum Bohemiæ Re-

Wladislaus Henricus II. Moraviæ Marchio III.

p) Dobner cit. Diff. p. 87.

q) Chronicon Pulkavæ, & Contin. Cosmæ ad hunc añum.

*) Celebre *Welehradense* Ordinis Cisterciens. monasterium gaudet in Marchionatu Moraviæ primo Prælato, infulato. A Wladislao Henrico I. Moraviæ Marchione exstructum est paullo ante añum 1202. quum hoc año exstet primum diploma, quo Prz'emislaus Ottocarus I. Boh. Rex III. fundationem illius confirmat. Nomen suum habet ab antiquo *Welehradio*, Moraviæ urbe celebri, quæ excisa Moraviæ regno, par omnino fatum subiit ab Hungaris. Fusius opinionem suam de urbe Welehradio explicat Strz'edovsky Sac. Mor. hist. L. I. c. 3. Vid. Kurzgefaßte Geschichte über den Ursprung der heutigen Ordensklöster.

r) Ziegelbauer Epit. hist. Brz'evnov. p. 225.

Regem elegit, ejusque rogatu electionem hanc *Fridericus II.* Imp. (vivente adhuc Prz'emislao Rege) firmam, ac ratam habuit; r) vero similius biennio post fatis cessit. Siquidem id temporis frater illius natu minimus *Prz'emislaus*, Marchio Moraviæ constitutus; *Wenceslaus* autem Rex Bohemiæ unctus legitur. t) Et quidem *Prz'emislaus Ottocarus Marchio* tranquillam Moraviæ pacem, qua suas illa vires refecit, sartam tectam aliquamdiu servavit; postea vero ad belli cogitationem se recepit. *Fridericus* enim *Leopoldi VII.* cognomento *Gloriosi* Austriæ, & Stiriæ Ducis filius, repudium dixit alteri uxori suæ *Zophiæ*, quæ soror Mariæ conjugis *Belæ IV. Hungariæ Regis* fuit. Quo facto ad iracundiam adductus Belæ pater *Andreas Hungariæ Rex*, vindictam meditari; mortuoque in Italia *Leopoldo Glorioso* repudii conscio, qua Austriæ Nobiles, præcipue Chunringios fratres, ad rebellandum incitare, qua Bohemiæ Regem *Prz'emislaum* ad arma perlicere contra *Fridericum* jam Austriæ Ducem. u) At *Prz'emislaus* Rex fatis interceptus, heredem regni, ac fœderis reliquit *Wenceslaum*, qui facta incursione, a finibus Moraviæ Cremsium usque vastavit Austriam, dum rebelles Austrii eandem parte alia deurunt, populantur. Improviso turbini *Dux Fridericus* magno obstitit animo, ac tumultuario e fidelibus Austriis milite seditionem compressit, hostem Bohemum, ad sua ut rediret, bono eventu perterruit. x) Jun-

A. C. 1226.

1228.

Prz'emislaus Ottocarus I. Moraviæ Marchio IV.

1229.

1231.

---

s) Pulkava ad hunc annum. Et Litt. Majest. Frider. II. ibid.

t) In diplomate Welehrad. Prz'emislai Reg. Boh. ap. Sommersberger T. I. p. 920.

u) Pernoldus in Chron. ad an. 1230.

x) Idem ad hunc ann. Et Hanthaler in fastis Campil. ad an. 1229. Unde rejicitur chronologia, & nar-

Junctis deinde viribus cum *Prz'emislao Marchione* Moraviæ, bello adoritur Bohemiam, & castrum sat munitum *Bitoviam* (german. Wethau in finibus Austriæ, Moraviæ, & Bohemiæ) repetitis machinarum insultibus capit, cujus exemplo alia quædam castella fuerunt illi tradita. *y*) Sed in ipso victoriæ limine moratus Ducem fuit *Wenceslaus Boh. Rex*, qui adductis celeriter copiis, magna vi in hostem se inferre statuit; cognito autem legionum ejus numero, infra Bohemiæ, & Moraviæ silvam prope Bitoviam substitit in insidiis, sanxitque, ne ullus ad primam auroram stativa moveret. Sanctio hæc molesta accidit, tum qui aderant, cognatis, & amicis *Prz'emislai*, tum & aliis non paucis Marchioni magis, quam Regi faventibus. Ex his quidam *Nobilis miles de Moravia*, cui nomen *Boez'ek*, per montes, & silvas prope castra Ducis, & Marchionis penetrans, primo diluculo, pariter, ac si hostis adesset, bellicum cecinit, tubarumque simul, & tympanorum clangore monuit, ut fugam peterent ante, quam stratagemate circumvenirentur. Nec mora, *Fridericus* vasa conclamat, traditaque Marchionis præsidio Bitovia, fugæ simile iter arripit in Austriam, Hungarorum incursui, quem certis alioqui percepit nunciis, remoram facturus. Rex autem Bohemiæ explorata suorum perfidia, sine pugna exercitum abducit, castro in *Prz'emislai* potestate interim relicto, dum opportuniore tempore illud eidem rursum eriperet. *z*)

A. C. 1233.

V.

narratio *Pulkavæ*, Balbini, Dubravii, & Pessinæ Mart. Mor. L. III. c. 5.

y) Pernoldus in Chron. ad hunc añ. Et Pulkava ad añ. 1231. apud Dobner Mon. ined. T. III. pag. 214.

z) Pernoldus scriptor coævus in Chron. ad hunc añ. Et Pulkava suppar mon.

V. Neque diu post composita pax fuit Fridericum inter, & Bohemiae, ac Hungariae Reges; immo etiam *Wenceslaus* Rex juxta, ac *Prz'emislaus* Marchio pacatis in speciem erant animis, atque una cum *Rege Hungariae Andrea*, ejusque filio *Bela* interfuere nuptiis, quas apparatu maximo Austriae Dux adornavit sorori suae Constantiae, Henrico Misniae Marchioni in matrimonium datae. *a*) At vero occultum utriusque fratris odium biennio post erupit. Quippe Austriae Dux sororis suae Margarethae, cum Henrico Rege Rom. nuptae dotem profectitiam non potuit perficere; Imp. Friderico II. seu pecunia, seu milite non ivit suppetias contra Italos; ad haec metu belli sibi inferendi tributum insolens subditis imposuit. Quare Imperator auditis Austriorum querelis, Ducem Fridericum Augustae Vindelicorum proscripsit, suaeque sententiae exequutionem commisit quum aliis Imperii Principibus, tum Regi Bohemiae, ac Bavariae Duci Ottoni. *b*) Quorum isti insignem Austriae calamitatem intulerunt, & multa castella, atque etiam Viennam occuparunt. Belli hujus commilito, etsi vocatus, noluit esse Marchio Moraviae *Prz'emislaus*, vel quod *Friderico Duci* foederatus erat, vel quod caussas proscriptionis minus idoneas judicabat. *c*) Unde res tum statim ad arma, bellumque civile spectabat, quod altero dein anno exarsit in Mora-

A. C. 1234.

1236.

mon. ined. Dobner ad an. 1231. Quibus repugnant ea, quae Dubravius, Hajekus, Pessina, Peczkovsky, & alii aliter narrant. Vid. Hanthaler Fast. Camp. ad an. 1233., & 1234.

a) Pernoldus l. cit. ad hunc anum.

b) Hanthaler Fast. Campil. T. II. ad hunc an.

c) Pernoldus l. c. ad hunc an. Pessina M. Mor. L. III. c. 5. p. 338.

ravia. Rex enim *Wenceslaus* in Bohemiam redux, & fœdus *Prz'emislai* cum Austriæ Duce, & amissam quadriennio abhinc Bitoviam, & negatam nuper societatem armorum, acerbo volvebat animo. Accessit & illud, quod *Prz'emislaus*, quoties de Rege meminit, dicta ejus, & facta omnia in contemtum adduxit, sæpe conviciis eum insectatus: etsi multa vituperationi forent obnoxia. *d*) Quibus de caussis *Wenceslaus Rex* signa intulit Moraviæ; *Prz'emislaus* vero castris, maxime Bitoviensi, forti præsidio firmatis, fugit adventum fratris sui, atque in Hungaria perfugium habuit. Interim præsidiarii milites forti quidem animo tulerunt hostis impetum; sed quum ille castra Moravorum vallo mœnibus adverso circumdaret, & aggere, atque operibus diu oppugnaret: ad deditionem compulsi sunt. Simili etiam modo Olomucium, Marchionis sedes, ac domicilium, deditionem subiit; monasterium vero Gradicense, quum obsidione urbs clauderetur, expilatio, & direptio fuit Bohemorum, qui & prædia illius adeo populati sunt, ut religiosi incolæ postea vitæ necessariis carerent. *e*) Improvisam adeo Moraviæ jacturam fortiter tulit *Prz'emislaus*, dum *Bela Hung. Rege* conciliatore, matrisque Constantiæ precibus, & gratiam a fratre Wençeslao iniit, & Moraviæ Marchionatum recepit. *) Etenim quum belli vulnera Mo-

A. C. 1237.

d) Hanthaler, & Pessina ll. cc.

e) Pulkava ad hunc añum. Et MS. monasterii Hrad. apud Pessina l. c.

*) Pulkava ad añ. 1237., item Hajekus, & Pessina dicunt, pace composita Prz'emislao solum provincias *Olomucensem*, & *Opaviensem pro vitæ necessitatibus assignatas esse.* Sed provincia *Opaviensis* hoc tempore necdum erat Bohemici, aut Moravici ju-

Moraviæ imposita providus sanat, atque etiam damnum cœnobio Gradicensi datum, donata villa *Pollom*, resarcit liberaliter; majus damnum

A. C. 1239. Moravia fecit immaturo ejus interitu, cui hectica febris caussa fuit. *f*) Altero dein anno pariter obiit *Constantia* Regina, *Wenceslai Regis*, & *Prz'emislai* Marchionis mater, in Moraviam cumprimis benefica, & liberalis, quæ non solum duo monialium cœnobia *Tischnovitzii*, & *Oslaviæ*, *) sed tria etiam castella: *Gödingense*, *Lundenburgense*, ac *Bistrz'icense* in Moravia exstruxit; in Hungaria vero (erat enim Andreæ II. Hung. Regis soror) *Tyrnaviam* antea vicum igno-

juris, ut alibi dicetur. Deinde auctor hist. Monast. Mor. Kurzgefaßte Geschichte über den Ursprung der heutigen Ordensklöster. S. 218. citat diploma Wenceslai Regis, & Prz'emislai Marchionis, datum año 1238. quo donant Monasterio Tischnovitzensi bona: *Tischnovitzium*, *Lomnitzium*, *Iglaviam cum telonio* &c. Igitur Prz'emislaus etiam ditione Brunensi, atque adeo tota Moravia denuo potitus est. Vid. etiam Dobneri specim. diplom. Morav. p. 260.

f) Pessina l. c. & alii hist.

*) Cœnobium *Oslavanense* a nobili matrona Hedvige fundatum esse, ex diplomate Ottocari, quo fundationem confirmat, adserit Otto Steinbach Diplomatische Sammlung &c. T. I. p. 177. Videtur tamen Constantia eidem Monasterio multa contulisse, ut quasi secunda fundatrix sit; cum Pulkava mon. ined. Dobner ad añ. 1240. p. 216. fundationem hanc Constantiæ aperte tribuat. Porro Cœnobium hoc Ziska destruxit, teste Balbino Boh. sanc. L. I. p. 135. Tischnovitzense decreto Augustissimi Imp. Josephi II. die 19. Mart. año 1782. abolitum fuit. Vid. Kurzgefaßte Geschichte über den Ursprung der heutigen Ordensklöster. S. 225.

ignobilem, specie nobilioris urbis donavit, ac mœnibus cinxit. g)

VI. Orbatam dominatore Moraviam *Wenceslaus* Rex partitus est duobus filiis suis *Wladislao*, & *Prz'emislao* Ottocaro, atque illi provincias Brunensem, & Znoymensem, huic Olomucensem dedit. Quum autem hi Marchiones juvenes, neque regimini idonea forent ætate, patriæ tutelæ subjecti sunt; proinde Rex solus in diplomatis hoc eodem anno datis legitur. h) Immo neque diu simul invicem fuerunt in Moravia, sed ingruente bello Tatarico *Ottocarus* Pragam rediit, ac deinceps *Wladislaus* Marchio in Moravia mansit. Huic *Fridericus* Austriæ Dux fratris sui Henrici filiam *Gertrudem* despondit eo admodum tempore, i) quo creberrimus quaquaversum serpebat rumor, *Tataros* *) hostes multo sævissimos, rapacitate excitos propius adventare. Natio hæc plus satis immanitate barbara, atque in Europa adhuc prorsus incognita, ab aquilonaribus plagis, Ducibus *Batto*, & *Peta* in terras australes variis effusa agminibus

A. C. 1240.

Wladislaus Henricus III. Moraviæ Marchio V.

g) Pulkava ad añ. 1240. Et Dubrav. L. XVI. sub init.

h) Kurzgefaßte Geschichte über den Ursprung der heutigen Ordensklöster. S. 218.

i) Pernoldus in Chron. ad hunc añ.

*) *Tataros*, non vero *Tartaros* esse nominandos monet D. Fischer Prof. Petropoli Hist. univ. p. 425. ubi addit, populos, de quibus hic sermo est, nequaquam *Tataros*, sed *Mogolos* fuisse, quorum sedes erat in Asia septemtrionali ad confinia Chinæ. At parum refert *Tatari*, an *Mogoli* vocentur, cum prius nomen convicii, ac ludibrii vocabulum sit, quod illi abominantur. *Vid. Adauctus Voigt de Monet. Boh. in Wenceslao I.* Et *Bonfin. Dec. II. L. VIII. sub init.*

bus, quoquo terrarum irruit, rapidissimi torrentis instar omnia funditus pessumdedit. Ac primum Ruthenos, sive Russos hostiliter aggreditur, cæsisque Principum, ac Nobilium plurimis, tota etiam regione ferro, & igni pervastata; eodem se impetu infert in Poloniam; tanto cum terrore funesta Polonorum strage edita, ut Cracoviæ, ac Sendomiriæ Dux *Boleslaus Pudicus* cum matre & uxore in Moraviam ad cœnobium Welehradense, arcemque Buchloviam confugerit. Hujus generis rerum successu adolevit Tatarorum ferocia, multitudo succrevit adeo, ut tantas copias (quinquies centum latronum millia confluxisse ferunt) bifariam duces partirentur, ac *Battus* quidem Hungaros, *Peta* vero Silesios, Moravos, ac Bohemos sævis agminibus obrueret. Trajecto igitur ad Ratiborium Odera, Wratislaviam versus *Peta* festinat, eamque urbem casso quidem labore circumsedet; sed prælio lacessitus ab Henrico Lignicensium Duce, pio S. Hedvigis filio, educta in aciem triginta millia occidione occidit, fugatque ita, ut ipse Dux fortiter certando occubuerit. Quia vero & Tataris multo sanguine stetit hæc victoria, Otmachovii Silesiorum decem, & quatuor dies hæserunt dubii, Bohemiamne, an Moraviam prius invaderent. Moraviam tandem Hungariæ propinquitas, seu potius vicinum *Batti* auxilium persuasit. Itaque citatis passibus contendunt Oppaviensem in provinciam. *k*) Accolæ Moravi terrore maximo perculsi, in fugam se conferunt præcipites, ac *Stramberga* præsertim vicini, arcem ipsam in arduo sitam ingressi, muris, vallisque muniebantur; plurimi, quos mœnia non ceperant,

---

k) Dubravius Hist. Boh. L. XVI.

rant, in monte *Kotaucz'* ſalutem invenerunt; quod & præruptæ rupes, & concædes arborum hoſtem aditu prohiberent. Nihilominus circum ea loca hoſtis barbarus caſtra in valle conſtituit, aut fame Chriſtianos latentes necaturus, aut crudeli peremturus ferro, ſi prodirent. Sed aqua, interciſis piſcinarum aggeribus, vallem copioſe inundans, rabidos paullo poſt repulit. Inde ad interiora Moraviæ converſi, quum in monte *Hoſtein*, concæde munito, plura Chriſtianorum millia latere cognoſcunt, eundem obſidione cingunt. Verum & hac ſtatione excuſſi (cœlum quippe obſeſſorum precibus fatigatum, fulminibus, & fulgetris contra barbaros pugnaſſe fertur) non ſine gravi jactura celeriter caſtra movent. *l*) *)

A. C. 12.1.

l) Peczkovsky Chron. Boh. c. 43. Et Provin. Fidel. Morav. c. 28.

*) Ad hoc uſque tempus montem *Hoſtein* aquarum expertem fuiſſe, adſerunt ſcriptores patrii, & communis traditio. Dum igitur obſeſſos a Tataris aqua deficeret, Deiparæ Virg. Mariæ interceſſione, fontem aquæ uberrimum, qui uſque adhuc perennis abunde fluit, divinitus erupiſſe ajunt. Addit *MS. Eccleſ. Hoſtein.* Tataros magna tum ſtrage divinitus affectos, ac ſub eodem monte ſepultos eſſe, ideoque pratum pago Slavkow adſitum, ab eo tempore *Schlachta* vocari. Præterea Chriſtianos a Tataris liberos, pia gratitudine ad fontem illum excitaſſe ædem B. V. Mariæ ſacram, eamque magno concurſu quot annis Dominica infra Aſcenſionem Domini frequentare ſolitos. Tandem año 1658. Illmus Joañes Comes de Rottal circa veterem Eccleſiam duo ſacella, & aliud ſupra fontem exſtruxit; hujus autem nepos Franc. Anton. S. R. I. Comes a Rottal, Dominus in Holleſchov, Biſtrz'icz, Napajedl, & Zborovirz, año 1748. novam, quæ exſtat, Eccleſiam a fundamentis erexit. *Vid. MS. cit.* Et *Beczkovsky Chron. Bohem.* c. 43. *ad ann.* 1241.

VII. Interea quum Tatari in Silesia, ac Moravia truculenter grassantur, Rex Bohemiæ *Wenceslaus* litteris jussit Marchionem *Wladislaum*, ut Brunæ munimentis vigilanter se defenderet; *Prz'emislaum Ottocarum*, ob ætatem militiæ imparem, e Moravia Pragam evocavit. *m*) In ejus vero locum *Jaroslaum a Sternberg* præclaræ virtutis heroëm, cum delecti peditatus quinque millibus, & aliquot turmis equitum misit Olomucium ea lege, ut ne cum barbaris acie confligeret, sed urbem, ac cives munitionibus tueretur, maxime quum Tatari ad expugnandas urbes forent inhabiles, atque inexperti. *n*) Signo profectionis dato, magnis itineribus festinat *Sternbergius* in Moraviam: & simul ac fines illius ingreditur, adlegit sibi commilitonum aliquos, ceteris in urbes munitiores præsidii ergo distributis, quos Slavatæ Chlumenses, Bercæ Lichtenburgici, ac Ronovienses, Rosenſesque Proceres defendendæ patriæ caussa miserant. Brunæ pariter e multitudine copiarum (prævalidis urbi, castroque datis præsidiariis) mille solum delegit viros, atque expedita manu comitante processit Olomucium, ut metropolim hanc adversus primum hostis impetum fortiter propugnaret. *o*) Et certe vix copias in urbem introduxit, quum catervatim advolant quoque Tatari, capitaque humana (quaqua enim incesserant, pectora, & homines trucidabant) jubis equorum suspensa, ad terrorem obsessis incutiendum ostentant. Stomachum obsessis movit insolens adeo ferocia, qua vehementer irritati, eru-

m) Pelzel Hist. Boh. ad añ. 1242. Pessina Prodromo Moravographiæ ad añ. 1241.

n) Dubrav. l. c.

o) Pessina Mart. Mor. L. III. c. 6. Dubrav. & Procin. ll. cc.

eruptionem toto animi impetu moliri, urbisque Præfectum etiam, atque etiam rogare, in eorum ſententiam ut diſcederet. Quem immoderatum animorum ardorem vix edicto reſtinxit providus, ac ſolers Præfectus, pœnam capitis minitans, ſi quis injuſſu illius de ſtatione decederet. Hoſtes igitur acervatim mœnia circumequitant, & ſi quem e muris proſpectantem conſpiciunt, certo ſagittarum ictu feriunt ita, ut nunquam ſcopo aberraverint. Nam ſemel, iterumque hominis ſimulacrum, quod experiundi cauſſa munimentis eminuit, protinus tot ſagittis, quot ericius ſpinis, horrebat; ſæpius telorum multitudine quaſi tenebras urbi offuderunt. *p*) Quum autem hac ratione nihil ſe agere ſentirent, ſuburbanis ædibus, incolarum vacuis, ignem ſubjiciunt; mox Gradicenſi cœnobio incenſo, præſidium ejus perimunt; denique obſeſſos, ut pavidos, & imbecillos clamitando exſibilant, modisque omnibus ad erumpendum prolectant. Sed acta egerunt quibusvis inſidiis. Hinc *Peta Dux* paullo ſegnius cuſtodias, vigiliasque diſponere, & obſidionem veluti ſolvere videbatur; barbarorum vero turmæ ex omnibus in circuitu partibus Moraviam cædibus, incendiis, rapinis pervaſtant: hic quidem cis & ultra flumen Moravæ ad confluentem Tejæ, illinc vero ad Bohemiæ fines. *q*)

VIII. Quod animadvertens *Sternbergius*, tribunis, ac centurionibus accitis: " *En*, inquit, " *tempus eruptioni opportunum! quandoquidem hoſtes jam diſſolutos eſſe cernitis: quorum alii vagantur prædarum cupidine diſperſi, alii diſpalantur*

 " *in*

---

p) Dubrav. l. c.

q) Dubravius, & Peſſina ll. cc.

" *in agris, non multi excubant ad prætorium. Dux*
" *ipse tædio obsidionis torpere, atque adeo stertere*
" *videtur, ut stimulo ad eum excitandum sit opus.*
" *Eja igitur macti animis commilitones! resumite*
" *pristinum bellandi ardorem, ad arma militum ani-*
" *mos incendite. Cras primam ante lucem, si pla-*
" *cet, eruptione facta insperato aggrediemur barbaros,*
" *pro aris, & focis, pro salute communi fortiter pu-*
" *gnaturi.* „ r) Dicta hæc alacri adsensu probantibus omnibus, posteræ diei crepusculo matutino Tataros in tentoriis sopore stratos adoriuntur, cædunt, mactantque jacentes pariter & obvios; pediti quippe nulla pene vis Tataro, qui suas vires ab equo mutuatur. Oritur subito clamor, & ululatus, *Peta* e somno excitus ad arma conclamat, & quam ocyssime equo ascenso, paria ut faciant, reddantque insidiatoribus acceptam cladem, suos hortatur. Sed armis, tumultuque miscentur omnia, neque imperio regi potuit consternata multitudo, præsertim obscura adhuc luce. *Peta* nihilominus ferocior redditus, suorum animos incitat, & inflammat, dum forte fortuna in manus *Sternbergii* incidit, a quo confossus hasta, ex equo prolapsus interiit. Dux quidem ignarus, quemnam ex hostibus dubia luce occidisset, signum dat receptui; orto autem sole Tatari palam fecerunt, *Petam* jacere interfectum, cadaver ejus ingenti planctu, & ejulatu circumstantes, plenaque lacrimis ferentes illi oscula. Quin & alla-

Die 25. Jun.

r) Dubravius, & Provin. ll. cc. Quorum hic addit, Sternbergium die S. Joañi Baptistæ sacra in templo, quod dein alumnorum convictui attributum fuit, SS. Eucharistia refectum esse; idem præcepisse tribunis, militibus autem exemplo suo persuasisse. *Vid. Provin l. c.*

allatum dein fuit ſagulum purpureum, quo amictum corpus, ſoluta triduo poſt obſidione, feſtinanter in Hungariam ad *Battum* Ducem majorem deportarunt. Ita proſpere liberata ab interitu Moravia, *Sternbergius* cum ſuis, quam reportavit a barbaris, Deo acceptam victoriam retulit; votaque a ſe nuncupata reddidit exſtructa paullo poſt Olomucii æde B. V. Mariæ ſacra. Rex autem *Wenceslaus* præclaro heroëm præmio adfecturus, & amplo eundem territorio non longe ab Olomucio donavit, cujus perpetuum eſt monumentum civitas Sternberga; & primum *Moraviæ Promarchionem* (ſummum Provinciæ Præfectum, aut Capitaneum vocant) conſtituit. *s*) *) Quem magiſtratum fere ſexennio *Sternbergius* adeo feliciter geſſit, ut Moravia poſitis armis reſpiraret. Contra ea *Battus* Tatarorum ductor, percepta ſuorum ad Olomucium clade, eo crudelius in Hungariam ſæviit cædibus, & rapinis. Quin etiam Auſtriæ fer-

 rum,

s) Dubravius, Peſſina, Provin. ll. cc.

*) Bellum hoc Tataricum in Moravia geſtum eſt año 1241. ut adſerunt; *Peſſina*, *Provin*, & præſertim ſcriptor coævus Pernoldus in Chron. ad hunc añ. Hinc falluntur: *Welleslavinus*, *Hajekus*, & *Paprocius*, qui aliis añis id ipſum alligant. Labitur quoque *Dubravius*, qui Tatarorum in Moraviam incurſum eveniſſe ait poſt rebellionem Ottocari adverſus Regem Wenceslaum, quæ circa añ 1248. accidit. Rurſum *Peſſina* l. c. ſcribit, hanc B. V. Mariæ ædem a Sternbergio exſtructam, quæ noſtra ætate Patribus Soc. J. fuit propria. *Provin* l. c. p. 132. adfirmat, eam illam eſſe B. V. ædem, quæ paroeciali dignitate gaudet. — At Peſſinæ ſententiam confirmat Joañ. Schmidl Hiſt. Soc. Jeſu Prov. Boh. P. I. L. III. p. 244. Vid. infra Hiſtoriæ politicæ Period. VI. ad añ. 1567. in nota.

A. C. 1242. rum, flammamque minitans, agmina secundum Danubium haud procul Vienna induxit. At *Fridericus Dux* auxiliariis Bohemis, Carniolis, & Carentanis, impetum barbari ita refrænavit, ut ille certior factus per exploratores, longe maximas Austriorum copias in aciem collocari, perceleriter Hungariam repeteret; inde vero etiam posterius excessit, erupit. *t*)

IX. Sub idem tempus *Fridericum* Austriæ Ducem, irruptione in Moraviam facta, a *Wenceslao* Boh. Rege magna illius clade repulsum esse referunt patrii quidam scriptores. *u*) At reipsa Bohemi tum steterunt ab Austriis adversus Tataros, nec nisi altero post anno *Fridericus* 1243. adsensu Præsulum dimissa sterili conjuge *Agnete* (cujus amita fuit Gertrudis mater *Belæ Hungar. Regis*) diffidii sparsit semina, e quibus bellum postea enatum Moravo-Bohemicum. *x*) Tranquilla igitur pace his annis fruebantur Moravi; etsi *Rex Bela* repudium *Agnetis* ulturus, Bohe- 1244. miæ Regem cum Duce Carinthiæ in fœdus traxit, ut bellum contra Austrios in posterum annum pararent. Fœderis hujus fors ignarus Dux Austriæ, Equitibus Teutonici Ordinis ad- 1245. versus Prutenos, seu Prussos subsidiarias misit copias. *y*) Missus vero inter alios fuit *Henricus de Lichtenstein* (præcipuus ex majoribus hodiernorum Principum de Lichtenstein) qui fusis, ac fugatis ad Thorunum a *Suantöpulto*, seu *Sua-*

t) Pernoldus in Chron. ad hunc añ.

u) Balbin. Epit. rer. Boh. p. 264. Hajekus, Peczkovsky, Pessina ad añ. 1242. Quos refutat Hanthaler Fast. Campil. ad hunc añ.

x) Pernoldus in Chron. & Hanthaler l. c. ad hunc añum.

y) Pernoldus l. c. ad hunc añum.

Suatopluco Pomeraniæ Duce fœderatis, interventu ſuo pugnam reſtituit, eaque ſuperior *Suatoplucum* ad pacem petendam compulit. z) At gravius quid negotii hoc anno impoſitum fuit *Friderico* in Auſtria, in quam menſe hiberno *Wenceslaus* Boh. Rex, & *Ulricus III.* Carinthiæ Dux impreſſionem fecere, partim ex fœdere Hungarico, partim ut ſponſa Gertrudis *Wladislao* Marchioni Moraviæ in matrimonium daretur. Ac principio quidem ſucceſſit ex ſententia incurſus. Rex enim copiis Bohemis in obſidione tenuit urbem Laam, *Ulricus* collecto potiſſimum ex Moravis milite *) plura Auſtriæ caſtra & oppida in deditionem accepit. Hic tamen deinde propior Moraviæ, in quadam valle fixis tentoriis, paullo incautius diſpoſuit vigilias, nec ulla hoſtis ratione habita, cum quatuor millibus armatorum noctem ſub pellibus egit. At quum ſecurus a metu, in utramvis aurem dormit; *Fridericus* primo diluculo ſagittariis ſuis caſtra circumdat, ſuaque manu *Ulricum* inermem capit, ceteris aut diffugientibus, aut comprehenſis. Dux in cuſtodiam arcis

 Sti-

z) Paprocius Spec. Mor. p. 144. Hanthaler l. c. p. 902.

*) *Ulricus*, ſive *Udalricus* iſte erat nepos ex ſorore Wenceslai Regis; pater enim illius Bernardus in matrimonio habuit Jutham, aut Juditham (Balbinus eam vocat Boz'islavam) *Prz'emislai Ottocari I.* Boh. Regis filiam, cui provincia Brz'edslaw in Moravia (Lunſenburg) dotis nomine fuit data. Hinc ſub ſignis *Ulrici* militarunt Moravi, qui eundem ut *Regem* amabant, teſte Pulkava Mon. ined. Dobner T. III. p. 220. Ille etiam confirmavit año 1247. privilegia, quæ monaſterio Gradicenſi Conſtantia Boh. Regina in Brz'edslavienſi provincia conceſſit. *Vid. Hanthaler Tern. Script. p.* 121. *Et Rübner in memor. Seculor. pag.* 73. *ſeqq.*

Stiriæ Steüz abducitur, captivi Nobiles libertatem pretio redimunt; plebeji quidam, ne ultra invaderent Austriam, naribus, & auribus mutilati sunt. *Fridericus* vero actutum infestis signis in *Wenceslaum* illatus, eundem prælio victum, in fugam vertit, simul & Laam ex obsidione exemit. *a*) Superstites victoriæ Austriacæ erant aliquot arces Moravis finitimæ, quas tempore hiberno recipere nitebantur Austrii, Moravi affatim valido tenebant præsidio. Ex his Madebergæ, & Rosensteinæ Præfecti *Cyrillus*, & *Nebrardus*, quum infra arces sibi commissas venatui indulgent, ab insidiatoribus capti sunt, dataque ambobus optio inprimis duræ conditionis: *Cyrillus* nempe aut arcem Madeberg dederet, aut oculo dextro privaretur; *Nebrardus* vero vel Rosensteina cederet, vel prorsum nudus rigidissima tum hieme ad castrum abiret. Quid agerent viri officiis patriæ fideles? — haud longa deliberatione habita, maluit ille eruendum dare oculum; iste nudato corpore altis obsitum nivibus iter confecit, quamquam pedes eidem obriguerunt. Qua magnitudine animi percepta, *Fridericus* bellum cum hostibus composuit, hac lege: Dux Carinthiæ *Ulricus* pecunia libertati redditus, Agnetem Meranicam, seu Tyrolensem, a *Friderico* repudiatam, duxit conjugem; neptis *Friderici* Gertrudis denuo fuit tabulis dotalibus *Wladislao* Moraviæ Marchioni desponsata. *b*)

X.

a) Pernoldus in Chron. ad hunc an̄. Haselbach. Megescr. Anonym. Zvetlens. apud Hanthaler ad hunc an̄num.

b) Dubravius L. XVI. Pulkava, & Pessina ad an̄. 1248. quo scilicet bellum hoc esse gestum putant. Sed

X. Hoc demum anno *Gertrudis Wladislao* in matrimonium data, quum *Fridericus* bellum pararet contra Hungaros. Quibuscum postea felici Marte ad fluvium Lutim, seu Leytam conflixit; dum autem præcipiti consilio antesignanus ipse persequitur fugientes, transfixo sagitta equo procidens, Frangipani ense periit *c*). Occiso Duce, qui liberos non reliquit, Austria, & Stiria quatuor, eosque præcipuos heredes, aut competitores numerabat. Quos inter etiam fuit *Wladislaus* Moraviæ Marchio, jure conjugis suæ Gertrudis cupidus obtinendæ Austriæ. At *Imp. Friderico II.*, *Bela* Hungar. Rege, & *Ottone* Bavariæ Duce, pariter jus suum persequentibus, octo dumtaxat menses frustra spem aluit. *d*) Nihilominus aliunde res prosperæ, & ad nutum fluentes evenerunt eidem perinde, ac patri. Nam Dux Teschinensis, & provinciæ Oppaviensis *Myecislaus II.* sine herede ex vita abiit, ac *Wenceslaum Boh. Regem* ditionum suarum heredem instituit, qui eas con-

A. C. 1246.

Sed *Fridericus Austr. Dux* (teste Pernoldo coævo in Chron.) jam año 1246. sine mascula prole obiit. —Deinde Balbinus, Becz'kovsky, aliique scriptores patrii, omisso *Wenceslao* Boh. Rege solum Carinthiæ Ducem *Ulricum* cum copiis Bohemis, & Moravis in Austriam irrupisse, memorant; at Pernoldus cum aliis scriptoribus exteris rem gestam in apertum profert. — Denique caussam belli assignat Pessina jus, *quod habuit* Ulricus *ob Agnetem de stirpe Austriaca conjugem*, quum tamen Agnes hæc non Austriaca, sed Meranica, seu Tyrolensis fuerit, quam finito bello Ulricus duxit conjugem. Vid. *Pernoldus*, & *Hanthaler* ll. cc. quamquam Ulrici aviam Agnetem fuisse Austriacam, negaverit nemo. *Hanthaler* in Tern. Script. p. 121.

c) Pernoldus in Chron. ad hunc añ.

d) Idem l. c.

confeſtim præſidiario milite tum occupavit, tum retinuit. Siquidem Cracoviæ, ac Sendomiriæ Dux *Boleslaus Pudicus* de jure, quod prætexebat, ob impares vires decedere coactus eſt. *e*) *) *Wladislaus* autem Moraviæ Marchio *Mieskone* Poloniæ Duce ſub idem tempus exſtincto, ſuffragiis Nobilium Polonorum *Poloniæ Dux* fuit delectus. *f*) Verum perbrevi ſpes omnes mors immatura præcidit, vitamque *Wladislao* abſtulit. *g*) **) Mox fratris in locum, qui ſine herede

A. C. 1247. *Die* 3. *Jan.*

e) Sommersberg Sileſ. rer. ſcriptor T. I. p. 262. Dobner Annal. P. III. p. 10.

*) Ita primum coronæ Bohemicæ acceſſit *Oppavienſis* provincia, quam olim partem fuiſſe Moraviæ, docent vetuſta monumenta, quæ refert Cl. de Monſe Inſul. doct. p 23. ſeqq. Sed Peſſina Mart. Mor. L. IV. c. 2. p 424. ait, *Oppavienſem provinciam ad Marchionatum Moraviæ pertinuiſſe* ab eo tempore, quo eam *Ottocarus Rex* circa añ. 1254. Myecislao Duci Ratiborienſi, & Opolienſi armorum vi extorſit. Quo loco haud dubie reſpicit hiſtoriam, quam narrat Mart. Mor. L. III. c. 7. de copiis *Brunonis Epiſc. Olomuc.* ab expeditione Pruſſica redeuntibus. At hæc ipſa año 1255. accidit, quo tempore non alieni, ſed ſui jam pridem juris Oppaviam vindicavit *Ottocarus* opera *Brunonis Epiſc. Olom.* ut año cit. ex ipſa narratione conſtabit. Præterea tum non *Myecislaus*, ſed *Wladislaus* Dux Ratiborienſis fuit (teſte Schikfuſio in ſerie Ducum Ratibor. Chron. Sileſ. L. II. pag. 140.) adeoque *Ottocarus Rex* Oppavienſem provinciam año 1254. Myecislao nequaquam extorſit. *Vid.* Sommersberg, & Dobner ll. cc.

f) Pulkava, & Cont. Coſmæ.

g) Pulkava, & Peſſina Mart. Mor. L. III. c. 6. ubi addit: Quum Wladislaus ſacros Eccleſiæ ritus, fideique dogmata cachinnis exploderet inter epulas, ſubita vis morbi eum oppreſſit, & inter tormina enecuit.

**) *Gertrudis* vidua nupſit deinde *Hermanno Marchioni Badenſi*, qui jure il-

rede obiit, ſuffici *Prz'emislaus Ottocarus* diſcupiit. Cujus inſolentiam præſagiens animo *Wenceslaus*, diu multumque obſtitit; nec niſi precibus Moravorum, & Cunegundis Reginæ tandem ceſſit, eumque Moraviæ dumtaxat Marchionem declaravit, revocato in Bohemiam *Sternbergio*. *h*) Enimvero impotens animi Marchio, regni cupiditate inductus, quod inquieti Bohemi quidam ſuggeſſerant, conſilium cepit. Rex nempe *Wenceslaus* perparum regni curioſus, nec rebus agendis idoneus videbatur; proinde auctores fuere *Ottocaro*, poteſtatem regalem ut invaderet, conſilii ſe adjutores fore. Paruit ille uſque adeo temere, ut in arce Wiſchehrad a factione Nobilium Rex proclamatus, fidei ſacramentum exigeret *i*) *Wençeslaus* comperto filii facinore, quod populus non adſenſu modo, ſed plauſu etiam probabat; ocyus ad Misniæ Marchionem confugit, ſuppetias adverſus rebellionem petiturus. *k*) Interea, quum diſſenſu civium, varioque partium ſtudio ferverent omnia, *Ottocarus* fideli opera Cztiborii, & Jaroslai collectis Bohemorum, & Moravorum copiis, aliquot Bohemiæ urbes, & oppida in ditionem ſuam redigit; caſtrum Pontenſe (Brür), quod patri fidem ſervaret, obſidione premit. *l*)

A. C. 1248.

XI.

illius Auſtriæ Ducatum obtinuit; ſed paullo poſt ſine liberis obiit. *Gertrudis* autem rurſum matrimonio juncta eſt *Romano* Ruſſiæ *R*egis Leonis filio, a quo añ 1253. deſerta quum in Auſtria parvi haberetur, reliquos vitæ dies in Stiria, & Misnia transegit. *Vid. Chron. Leobienſe* L. I. Et Hanthaler ad añ. cit. & 1262.

h) Peſſina Prodrom. Moravogr. ad hunc añ.

i) Contin. Cosmæ.

k) Pulkava ad hunc añ.

l) Idem l. c.

A. C. 1249.

XI. Advolat Rex cum auxiliario milite, sibique adjunctis, qui manserant in officio, Bohemorum non paucis, ad urbem Pontum (Brüx) prælio decertat cum filio, qui fusus, fugatusque cum asseclis Pragam se recepit. Sed urbe postmodum capta, perfugium in arce Wischehrad habuit, qua potiri nequaquam Rex potuit. *m*) Itaque regio apparatu instruendum jussit epulum, omnibusque ornamentis regalibus indutus, filium quoque convivam esse voluit. Venit ille pœnitens facinoris, patrique supplex, veniam, & impunitatem petiit. Pater filium omni comitate complexus, non solum delicti gratiam ei fecit, sed omnem etiam Moraviæ Marchionatum tradidit, media dumtaxat moneta Giglaviæ sibi retenta. Veniam quoque dedit factioni Nobilium, rebusque tranquillatis, ad arcem Tyrow animi caussà profectus est. *n*) At nequaquam regni cupiditas, qua Ottocarus consiliis suorum corruptus flagrabat, extincta penitus fuit. Nova enim postulata ut exponeret, patrem in arce Tyrow cum factiosis adiit. Rex ira accensus, filium eadem in arce includi, comites vero illius in ferrum, & vincula conjectos, Pragam abduci, atque in custodiam dari præcepit. Horum non nulli postea capite damnati sunt, principes autem conjurationis *Cztiborius*, & *Jarossius* rotæ supplicio affecti. Ita sublatis de medio consiliariis, *Ottocarus* denuo errati veniam, & Moraviæ Marchionatum impetravit a Patre, quo-

Prz'emislaus Ottocarus II. Moraviæ Marchio VI.

m) Dubrav. Hist. Boh. L. XVI.

n) Cont. Cosmæ ad añum 1249. & Pulkara l. c. p. 220. Marignola mon. ined. Dobner T. II. p. 212.

quocum deinceps animo fuit conjunctiſſimo. o) *) Iccirco, quum Auſtria, & Stiria jam inde a morte *Friderici Ducis* incerto adhuc teneretur dominatu, unanimi conſenſu elaborarunt, ut iis ditionibus potirentur. Tandem *Ottocarus* provinciæ utriusque Ordines ita beneficiis traxit ad partes ſuas, ut illi ſummam imperii ſe delaturos promitterent, ſi Margaretham, *Henrici Rom. Regis* viduam, matrimonio ſibi jungeret. p) Erat hæc ſenior *Leopoldi Glorioſi* filia, *Friderici* ultimi Auſtriæ Ducis ſoror, ideoque Auſtriæ, & Stiriæ heres legitima, quæ a morte conjugis in Trevirenſi monialium cœnobio vixit. Hinc nuptiis oblatis diu, & graviter obſtitit, maxime quod grandior natu quartum, & quadrageſimum ætatis annum ageret, inſuper cognata foret *Ottocari.* q) Verum hic tanto magis expetiit nuptias Margarethæ, quæ demum & conſilio, & precibus Ordinum Auſtriæ dedit, ac boni pu-

A. C. 1251.

o) Cont. Coſmæ, Pulkava l. c.

*) Eodem tempore *Ottocarus* Marchio Mor. *Henrico de Lichtenſtein* ob egregia ejus merita, & militaria facinora, diplomate anno 1249. donavit oppidum Nicolsburg, in quod jure ſuo ceſſerunt *Wilhelmus*, & *Hermannus* fratres de Dürnholtz. Vid. Specim. Cod. diplom. Mor. Dobneri p. 263.

p) Pernoldus, & Hanthaler ad hunc añ

q) Pernoldus in Chron. ad hunc añ. Reynaldus ad ann. 1253. ex quo patet, *Ottocarum*, & *Margaretham tertio*, & *quarto gradu fuiſſe conſanguineos.* Nam & regia Bohemica, & Auſtriaca ducalis propago, inquit Hanthaler, ſanguine Suevico ab avis propinquioribus ducto profluxerat, quum B. Agnes, S. Leopoldi Auſtriæ Marchionis conjux, natos Auſtriacos Duces, & nuptas Bohemiæ Reginas numeraret. E quibus alterutris Ottocarus, & Margaretha proximius deſcenderant. *Vid. Hanthaler ad hunc annum.*

publici caussa a Legato Pontificio consanguinitatis vinculo soluta nuptiarum solennia Heimburgæ celebravit. Aderant ibidem IV. Episcopi, & summa Nobilium Austriæ, ac Silesiæ frequentia, coram qua protulit in medium Margaretha *Impp. Friderici I.* & *II.* diplomata de instituto Austriæ Ducatu, & successione hereditaria, *suumque jus Ottocaro commune fecit.* *r*) Id quod adsensu præsentium fuit adprobatum; Rex autem Hungariæ *Bela* jus hoc pervertere, ac delere omni studio adnitebatur. Eam ob caussam bello Austriam lacessivit, auxilio Bavarorum invasit Stiriam, in Moraviam misit *Cumanos*, gentem ferocissimam. *). Quæ omni immanitate in domos, oppida; loca sacra, omnisque ætatis, & sexus homines ita sæviit, ut illa vastaret rapinis, & incendiis, hos partim trucidaret, partim in servitutem abduceret. *s*)

1252. *Apr.*

XII.

---

r) Pernoldus, & Hanthaler ad hunc ann.

*) *Cumani* erant genere *Patzinacitæ* proxime Wolgam fluvium incolæ. Circa ann. 1070. in Hungariam effusi, post diuturna certamina circiter anno 1125. terras inter Danubium, & Tibiscum incolebant sub regimine proprii Principis, qui Hungariæ Regi subditus, ac tributarius fuit. Quum deinde anno 1241. Rex eorum *Cutbenus* in suspicionem venisset, de Tataris in Hungariam pellectis, ab iratis Hungaris concisus est. Quo irritati *Cumani*, reipsa accesserunt ad Tataros, quibuscum damna gravissima intulerunt Hungariæ; suas tamen sedes retinuerunt, & uti hoc anno, ita deinceps steterunt ab Hungaris. *Vid. Rogerius in carm. miserab. Et Voigt de monet. Boh.* ¼ *P. II. p.* 49.

s) Chron. Salisburg. Balbin. Epit. Pulkava. Pessina Mart. Mor. L. III. c. 6.

XII. Crudeles hos prædatores armis victricibus e Moravia quidem expulit Ottocarus Marchio; ſed Auſtriam, & Stiriam diuturna hoſtium depopulatione prorſus liberare non potuit, præſertim certior factus per nuncios de morte *Wenceslai Regis. t)* Itaqe inducias cum *Bela Hung. Rege* pactus, omni feſtinatione in Bohemiam properavit, ne quid turbarum facerent quidam urbium, & caſtrorum Præſides, ſemper ac nimium Patri fideles. Sed provido, ac ſagaci conſilio mortem Regis celarunt illis miniſtri aulici, eosque accitos ad urbes, & caſtra reddenda coëgerunt prius, quam *Ottocarus* Pragam veniſſet; cui deinde, patefacto Regis obitu, in adeundo regno negotium faceſſivit nemo. *u)* Rebus ita feliciter in Bohemia pacatis, Rex *Ottocarus* bellum renovavit cum Hungaris, qui ſemel, ac iterum victi, nihilo ſecius modo in Stiriam, modo in Moraviam prædandi ergo incurſabant. Quum igitur *Alexandri IV. Pont.* rogatu contra Prutenos, chriſtianis accolis vehementer infeſtos, expeditionem pararet; cum *Bela Hung. Rege* pacem compoſuit, parte Stiriæ eidem conceſſa. *x)* Mox iter in Pruſſiam ſuſcepit, cui ſumma Nobilium Bohemiæ, Moraviæ, & Auſtriæ frequentia ſe dedit; Wratislaviæ vero, ubi Nativitatem Domini celebravit, *Otto* Brandeburgicus Marchio cum exercitu ſuo ſe adjunxit. Aderat etiam huic expeditioni *Bruno* Epiſc. Olom. vir toga, & ſago clariſſimus, quem copiis Moravicis præfectum Rex non modo præſentis belli ſocium, ſed & con-

A. C. 1253 Die 22. Sept.

1254.

t) Pernoldus in Chron ad hunc ann. Balbin Epit. L. III. c. 14.

u) Balbin. Epit. l. c. Dubrav. hiſt. Boh. L. XVI.

x) Chron. Monaſt. Melicení. Dubrav. L. XVII.

consiliorum suorum arbitrum esse voluit. *y*)

A. C. 1255. Tantæ armatorum copiæ, ut primum attigerunt fines Prussiæ, incendiis, rapinis, ac cæde promiscua hostem lacessebant. Pruteni hac insolita Christianorum dimicatione perterriti, ad arma quidem convolarunt, duoque illorum Duces variis sunt agminibus nostros aggressi. At primo statim, eoque acerrimo impetu in fugam conjecti, munito se incluserunt oppido; extrema dein fame domiti, in potestatem Regis se commisere, baptismi conditione ultro accepta. Hinc prius duo illi Prussiæ Duces per *Brunonem* Ep. Olom. sacris undis abluuntur, quorum alterum Rex, Marchio alterum e sacro fonte levat; ille *Ottocari*, iste *Ottonis* nomine appellatur, uterque candida veste serica, auroque intertexta indutus, salutationem accipit, & reddit. Tum officia hujusmodi plures e Nobilibus conferunt in baptizatos, ac suo quisque eis nomine imposito, vestibus pretiosis adornant. *z*) Utne autem facile deinceps pristina superstitione caperentur neophyti, *Ottocarus* Regiomontium (Königsberg), *Bruno* Brunsbergam (Braunsberg) condidere, erectis in utroque castro ecclesiis cathedralibus. Demum retentis Prutenorum obsidibus, ac regione Equitibus Teutonici Ordinis commissa, victores gaudio pleni discesserunt. *a*) Et quidem Rex Brunone Episc. comite, acceleravit iter in Austriam, ut a Stiriæ Principibus, qui ab officio discesserant, pœnas repeteret. *b*)

XIII.

y) Pulkava ad hunc ann. Pessina Mart. Mor. L. III. c. 7. p. 361.

z) Dubrav. L. XVII. & Pulkava ad hunc ann.

a) Pulkava ad hunc ann.

b) Chron. Austr. germ. in Pezio.

XIII. Interea cohors Moravorum absentia Ducis audacior, quum ex Prussia in patriam utitur ambagibus, directo per agrum Opoliensem, ac Ratiboriensem itinere, incolis præsertim agrestibus gravem adfert molestiam. Nam recondita cellis penuariis cibaria, & quidquid erat obsonii, maxima vi extorquet; desectas terræ fruges in suos, & equorum usus adhibet; si quis restiterat, violentas eorum manus non effugit. Illatas subditis injurias ultum ivit Wladislaus Dux Ratiboriensis, factaque Oppaviensem in provinciam inopinata militum excursione, complures pagos depopulatus est. Id quod graviter tulit *Rex Ottocarus*, qui damna hæc ab importunis facta, dubio procul amica sarsisset compensatione. Itaque *Brunoni Episcopo* præcipit, ut primo quoque tempore paria paribus referat. Hic postea ductis in *Wladislai* ditiones copiis, non solum vastitatem in agris ad Ratiborium reddidit, sed oppido etiam expugnato, Ducem arce inclusum, ad pacem petendam compulit, quam tribus marcarum millibus Episcopo datis, impetravit. *c*) Quum ita feliciter *Bruno* res *Ottocari* gereret, is malam *Philippi Salisburgensis* caussam tuebatur contra Bavaros, ortoque dein prælio, ad Mühldorfium grandem accepit cladem, quam & Moravorum miles pertulit. *d*) Detrimentum hoc sarsit Rex virtute, Hungaris data belli occasione. Gliscen-

A. C. 1257.

L

c) Pessina Mart. Mor. L. III. c. 7.

d) Stero in Añal. Pulkava ad hunc añ. E quibus constat Philippum hunc Ulrici Carinthiæ Ducis fratrem, decennio abhinc electum, sed non consecratum Archiepiscopum Salisburgensem esse. Hoc igitur año Salisburgenses elegerunt Archiepiscopum Udalricum, quam electionem Bavariæ Dux armis vindicavit contra Ottocarum.

ſcentem enim in Stiria, quam *Stephanus Belæ Hung. Regis* filius tenebat, ſeditionem occultis primum conſiliis fovit, tum conflavit adeo, ut Stirienſes Hungaris partim cæſis, partim expulſis, legatos Viennam mitterent, ſeque in clientelam, & fidem illius darent. *e*) Quo facto vehementer commotum iri Hungaros, cogitatione præcepit *Ottocarus*, proinde ut Moraviam, qua parte Hungariam attingit, ab hoſtium injuria defenderet, celebre id temporis 1258. caſtrum *Hradiſcht* in inſula S. Georgii Moravæ fluminis ædificavit, quod paribus urbi Brunæ juribus gauderet. *f*)

XIV. Neque inanis erat cautio, ſiquidem *Bela Rex* innumeras prope comparavit diverſarum nationum copias, quibus Moraviæ, & Auſtriæ minabatur exitium, Bohemiæ terrorem incuſſit graviſſimum. Haud ſegnior, ut in tanto periculo, *Ottocarus* ex Bohemis, Moravis, Auſtriis, & aliis fœderatis coacto exercitu oc- 1260. currit *Belæ* ad confluentem Moravæ & Danubii. Caſtra utriusque Regis diviſit Moravæ flumen, quod transmittere cum neuter vellet, Ottocarus moræ impatiens optionem dedit Hungaris: aut ſe tranſitu non prohiberent, aut exercitum ipſi transjicerent. Alterum hoc *Bela* eligit, factis ſesquidiei induciis: hinc *Ottocarus* ad oppidum Auſtriæ Lavam exercitum deduxit.

e) Pernoldus, & Hanthaler, Schezius hiſt. Duc. Stiriæ. p. 90.

f) Diploma Prz'emislai Ottocari II. Regis Boh. Ducis Auſtriæ, & Marchionis Moraviæ, quod apud *novum Wellegrad* anno 1258. datum, reperitur in tabulario Cæſ - Regiæ civitatis Hradiſchtienſis, ac 12. ſingulares prærogativas continet.

xit. *g*) Inde non longo intervallo dissita *Bruno Episcopus* Olom. cum Moravorum copiis stativa habuit ad vicum Pohorz'elitz, ubi Wratislaviensis, & Oppaviensis Duces pariter substitere. Hos præter opinionem adoriturus *Stephanus Belæ filius*, inducias per scelus violavit, ac vado clam transiit Moravam cum Hungaris, & Cumanis sane quam multis; sed pluvia, obscuraque nocte, simul & ductoris errore in *Ottocari* legiones incidit. *h*) Improvisum hostis adventum aperuit aurora, temporis vero, & loci necessitas ad pugnam accendit utrinque animos. Ad arma ergo concurritur ardore quidem pari, dispari tamen exitu. Siquidem *Stephanus*, quum non posset multitudine, ut sperabat, aciem Bohemorum disjicere, viribus suorum diffisus, accepto vulnere prælio excessit, cohortes autem incompositæ pariter in fugam se dederunt, quas persequuti Bohemi partim cædunt, partim in fluvium Moravam tanto propellunt impetu, ut XIIII. hostium millia aquis haurirentur. Advolat sub id tempus Moravis cum copiis *Bruno*, quo perinde, ac decumana suorum strage in adversa ripa magnopere territus *Bela Rex*, fugam quoque capessit. Hinc *Ottocarus* cum *Brunone* Morava trajecto, non castra solum opulenta diripit, sed victorum etiam more Hungariam Posonium usque pervastat. *i*) Quibus malis *Bela* compulsus primum legatis missis pacem petit, dein ipse eandem Viennæ cum *Ottocaro* componit, omnique cedit jure in Stiriam. Conciliatæ eo in conventu fuerant etiam nuptiæ, *A. C.* 1261 quas

g) Epistola Ottocari Regis ad Alexandrum Pontific. apud Pulkava p. 22.

h) Pulkava. Dubrav. hist. Boh. L. XVII.

i) Epist. Ottocari l. c. Pernoldus, & Hanthaler ad hunc an.

quas postea *Ottocarus* cum Hostislai Bulgarorum Ducis filia Cunegunde iniit, posteaquam conjugi suæ Margarethæ solam ob sterilitatem dixit repudium. Quæ quidem eo minus invita Cremsium in Austriam abiit, quo sæpius Rex vinculum conjugale violavit. *k*) Ita enim præter alios genuit filium *Nicolaum*, quem postea Ducem Oppaviensis provinciæ eo pacto constituit, ut hic ducatus a Moravia avulsus, regni Bohemiæ deinceps feudum fieret. *l*) Ex nova autem conjuge suscepit *Wenceslaum* regni heredem; tum datis litteris, potestatem fecit curiæ Olomucii Moravorum ædificandæ; donationem

A. C. 1262. oppidi Nicolsburg, ab se Marchione adhuc Moraviæ factam, firmam, ratamque habuit; permisit etiam consilio *Brunonis Ep. Olomucensis*, ut *Smil* familia *Cunstadæus*, arcis Brumoviensis

1264. Præfectus, suis in terris exstrueret locuples Ordinis Cisterciensis monasterium, quod Abbati Welehradensi subjectum, *Smilheim*, seu *Visovitium* dicebatur. *m*) *)

XV.

---

k) Pernoldus, & Hanthaler.

l) Pulkava ad an. 1252.

m) Dobner Specimen cod. diplomat. Morav., ubi tria hæc diplomata refert.

*) Occasio monasterii hujus fundandi patet ex oratione vernacula circiter año 1616. habita, quæ in codice chartaceo bibliothecæ Waldsteinianæ Duxoviensis hunc refert titulum: *Rosa Smilheimensis, quæ mirabiliter nata, ter marcuit, ter refloruit.* In ea auctor a viris fide dignis memoriæ proditum esse ait, Smilonem Brumoviensem proximis Natali Domini diebus venatui deditum eo loci, quo hodie hospitale FF. Misericordiæ, & arx Excellentissimi Dom. Comitis Christophori de Blümegen spectantur, *rosam pulcherrimam* reperisse, quam decerptam, suæque bulgæ impositam, conjugi oblaturus non reperit nisi eo loco, quo prius eam præsecuit. Hinc omine isto fundasse monasterium, quod

XV. Graviter interim offendit Bohemorum animos *Ottocarus*, quod natione Germanis primas ubique deferret. Hinc orta aversio, immo & conjuratio, cujus auctores, ut fama tulit: *Missovarius* genere clarus, *Benessius* Moraviæ Camerarius, & frater illius, *Milota de Dieditz* in carcerem Aychorns conjecti sunt. Horum ille obiit in vinculis; alter turri inclusus, flammis admotis periit; *Milota* vero suspicione absolutus, principem postea in Moravia tenuit locum. *n*) Tutus ab insidiis Rex, veteres illatas a Bavaro injurias ulturus, comite *Brunone Ep.* (tum Stiriæ Præfectus, Moravisque, & Stiris instructus erat) impressionem fecit in Bavariam, tantaque eam calamitate adfecit, ut Ratisbonam usque flammis, & cædibus squallerent omnia. *o*) Pace tandem Viennæ composita, novam rursus expeditionem, hortatu Clementis IV. Pont. adversus Ruthenos, aliosque populos Prussiæ infestos, suscepit, cui inter alios & Moravorum *Ep. Bruno* aderat. Sed hieme eo anno præter spem clementiore, quum paludes, ac fluvios transitu difficiles, gelu constrictos non comperit, voto meliore, quam fructu rediit. *p*) Quamquam reditum urgebant cum primores Stiriæ de molitione rerum novarum accusati; tum mors Ulrici III. Carinthiæ, & Carniolæ Ducis, qui hanc utramque provinciam Ottocaro pactis solenibus perscripsit. Quum vero ibi seditiosos pœnis plecteret, hic adversus Philippum Ulrici fratrem jus vindicaret: ecce tibi! *Stepha-*

A. C. 1265

1266.

1268.

quod turbis Hussiticis a Ziska eversum est. *Vid. Dobner l. c. p.* 271. — 275. Item Otto Steinbachs diplomat. Samlung *c.* 1. *p.* 7. & 35.

n) Chronicon Australe. Pessina Mart. Mor. L. III. c. 7.

o) Hanthaler. Stero in Añal.

p) Raynaldus ad hunc añ.

phanus Hungariæ Rex partes Philippi amplexus, Austriam pariter, ac Moraviam igne, ferroque barbarum in modum ipsa hieme vastat, plura insuper millia hominum injectis vinculis captiva in servitutem abripit. *q*). Furentibus in Moravia Hungaris, & Cumanis, *Ottocarus* hostem e suis ut extraheret, paria in ejus ditionibus fecit. Nam Posonii castro nobilissimo expugnato, ærarium auri, argentique dives exhaurit; urbibus imperato sub incendii comminatione tributo, milites captivos in præsidiis Austriæ collocat; *Stephanum* denique in transitu fluminis Jaurini, (Raab) summa clade adfectum, ad pacem petendam compellit. *r*) Tanta rebus in omnibus felicitate quum uteretur, ad summæ gloriæ apicem a fortuna evehendus erat, si modo *Romani Imperii coronam* bis Electorum suffragio sibi oblatam, accepisset; qua repudiata in malum se conjecit maximum. *s*).

A. C. 1271.

1273. XVI. Namque in comitiis Francofurti habitis, *Rudolphus Habsburgicus* Romanorum Imperator communi calculo deligitur, cui Ottocarus nec sacramentum dicere, nec de jure, quo plures Imperii provincias teneret, respondere voluit. Cæsar igitur misit Pragam legatos, qui Austriam, & Stiriam ceu feuda Imperii a morte Margarethæ repudiatæ caduca, repeterent. Sed his aspero cum responso dimissis, bellum utrinque parabatur. Rex quidem paullo remissius

rem

q) Stero ad hunc annum, Hanthaler ex Chron. patriis.

r) Stero, & Pulkava ad h. annum.

s.) Franc. Martinus Pelzel Geschichte der Böhmen, dritte Aufl. p. 134. item ejusdem Abhandl. vom König Przemisl Ottocar II. inter Born, T. II. p. 74.

rem gessit, ac Bohemiæ solum aditu præcluso, Viennam *Brunoni* Ep. Ol. defendendam dedit. t) Cæsar autem conscripto præter opinionem exercitu, Austriæ urbes, asperum Ottocari imperium alioqui pertæsas, facili negotio in deditionem accepit. Sola duntaxat Vienna in fide Regis aliquamdiu perstitit, quoad *Bruno Ep.* vigilis Præfecti partes implendo fuit. At ubi Cæsar castris propius urbi admotis, vastationem agrorum, ac vinearum, nisi potestati illius se dederet, minabatur; cives ad commutationem fortunæ mobiles palam ad defectionem inclinarunt. Et jam tribuni plebis Præfectum urbis, & Consulem *Paltramum Vatzonem*, *Ottocari* affatim studiosum adeunt, deditionem urgendo, adjectis etiam minis. Subito illi civium tumultu perculsi, fluctuantes eorum animos variis sedare modis; ad sustinendum Cæsaris impetum qua verbis, qua promissis erigere; ac tandem frustra quum essent omnia, inducias dierum aliquot pacisci, quos intra, nisi Rex mitteret auxilia, deditio fieret. Festinat illico nuncius ad Regem, qui in sinistra Danubii ripa cum exercitu considens, pontibus solutis, celerem ferre opem haut potuit; nunciari tamen jubet Præfecto, & Consuli, dum ille ratibus, ac navigiis paratis flumen transjiciat, urbem fortiter ut defendant, civiumque rebellium præcipuos tollant de medio. Atenim tempus induciarum elabitur prius, quam jussa Regis compleantur. Urbs ergo saluti suæ consulens, pacta jurium suorum libertatem, deditionem facit; *Brunoni* autem *Ep.* scapha perfugium fuit reliquum, qua ad Regis castra de-

A. C. 12

 ve-

t) Hanthaler ad hunc ann. Michaël Ignat. Schmid Geschichte der Deutschen. III. B. p. 362.

vectus, bidui spatio conspectum ejus non subiit, donec procerum intercessione, quemadmodum se habeat Austria, aperuit, pacisque auctor fuit. u) Rex statu rerum suarum vehementer commotus, ad pacificationem vertit animum, paulloque post *Bruno. Ep.* & *Otto. Marchio Brandeburgicus* cum delectis a Cæsare arbitris dixere laudum concordiæ, cujus inter alia capita præcipuum fuit, ut Ottocarus de jure, quod in Austriam, Stiriam, Carinthiam, & Carniolam prætenderat, deinceps cederet, retenta solum Bohemia, & Moravia. x) Conventis etsi durissimis Rex interim stetit, fidemque suam in castris Rudolphi Cæsaris sacramento obligavit. y)

XVII. At redux Pragam, & fannis Reginæ Cunegundis, quæ amissas ob ditiones exulcerabat ejus dolorem; & consiliis Procerum, qui exulceratum instigabant identidem animum, haud diu post insuper habito jurejurando, facta cum

u) *Pessina* l. c. p. 374. & passim alii scriptores.

x) Instrum. Concordiæ ap. Leibnit. Mantissæ Cod. Jur. gent. diplom. P. II. p. 100.

y) Hansitzius Metropol. Salisb. p. 417. Dubrav. hist. Boh. L. XVII. addit, Regem quinque obtulisse vexilla Cæsari, ex quibus hic illi dumtaxat duo reddidit, scilicet *Bohemiæ*, ac *Moraviæ*. — Quod autem Gerardus de Roo annal. Habsburg. pag. 18. edit. August., et Anselmus Desing in Compend. erudition. L. II. hist. prof. c. 5. §. 1. adserunt, *Rudolphum olim fuisse Ottocari, exercitus Mareschallum, dumque hic illi fidem jurares, tentorii cortinas subito fuisse remotas, ut à toto exercitu cerneretur supplex Cæsari*: utrumque id solide refutant Cl. *Schmid.* Geschichte der Deutschen P. III. p. 369. Et Doctiss. *Erasmus Fralich* in singulari Dissert. de hoc argum. edita.

cum Cæſare omnia reſcidit, atque amiſſa formidoloſo vindicare bello decrevit. Itaque celeriter ſcripto in Bohemia, & Moravia milite, collectis etiam undique ſubſidiariis, duorum menſium ſpatio ampliorem, ac olim unquam, exercitum in Auſtriæ fines adduxit; quum interim Cæſar pariter nihil non egit, ut hoſtiles copias copiis ſuis fortiter ſuſtineret. z) Arena, in quam exercitus deſcenderat, delecta non procul a flumine Morava, & oppido Laa fuit, ubi caſtris utrinque oppoſitis, pugnæ tertia dies præſtituta. Inter quæ *Ottocarum* miſſis clam litteris, quidam Auſtralium hortantur: *Videret, quibus fideret.* Qui protinus armis abjectis, in conventum ſuorum Ducum veniens: *Equidem nullius de fide*, inquit, *ambigo; ſi qui tamen infenſo in me ſunt animo, mihique necem moliuntur, en corpus inerme! feriant perduelles ante, quam multa mecum millia hominum cadere neceſſe ſit.* His autem dictis, jurata ſuorum odia adeo non ſuſtulit, ut potius, qui perfidiam animo conceperant, tanto audacius caput ſuum jurejurando devoverent pro Rege. Ergo ſublatis ſignis, impavidus ad arma vocat, aciemque in mediæ lunæ formam inſtruit: pari autem fortitudine Cæſar in hoſtem ſigna convertit, ſuis in aciem collocatis. Oritur pugna acerrima, Rex cum cataphractis prima Cæſaris agmina ſternit, cæſisque anteſignanis, dubio procul peperiſſet victoriam, niſi Duces Roſenſes: *Milota de Dieditz*, Moraviæ Promarchio, ejusque nepos *Zaviſſius*, *) qui Moravorum XII. millibus præerant,

A. C. 1278.

---

z) Hanthaler ad hunc ann. Peſſina l. c.

*) Ex MS. hiſtoria *Roſenſi* conſtat, Milotam de Dieditz fuiſſe familia Roſenſem, filium Henrici I. de *Roſenberg*, fratrem Budvogii, qui famoſi illius Zaviſſii erat pater. Porro

Ot-

erant, ad partes Cæsaris defecissent. Quo facto, Cæsariani, *Rudolpho* hortatore, accensi pugnam restituunt, perfractam *Ottocari* phalangem cædunt, fugantque adeo, ut ille se proditum edoctus, in hostes confertissimos ultro irrueret, a quibus captus, multisque confossus vulneribus, occubuit. a) *)

A. C. 1278. 26. Aug.

XVIII. Ita sublato *Rege*, & *Marchione Ottocaro*, quum octennis esset regni heres *Wenceslaus* ex Cunegunde natus, Cæsaris exercitus Bohemiam, & Moraviam funesta grassatione adflixit. Et Cumani quidem prædarum libidine in Moraviam densis effusi agminibus Brz'etzlaviensem, ac Znoymensem provincias Brunam usque rapinis, cædibus, atque incendiis crudelem in modum vastarunt, etsi eam ob causs-

---

Ottocarum inter, & Rosenses diuturnæ erant simultates ob fratrem Milotæ Benessium fœdo mortis genere ab eodem sublatum, ideoque haut mirum, quod *Milota*, & *Zavissius* crudelitatis hujus ulciscendæ caussa ab Ottocaro defecerint, frustra contrariis ceteris Moravorum Ducibus, & Tribunis. *Vid. Chron. Neplacho. T. IV. mon. ined. Dobner ad annum* 1277. *Et Balbin. epit. p.* 313.

a) Hanthaler, Chron. Austr. Anonym. Leobiens. & Scripp. patrii. Item Pessina Mart. Mor. p. 378.

*) Nex Ottocari adscribitur duobus fratribus de Meerenberg natione Stiris, quorum fratrem Sigfridum sævo supplicio Rex antea sustulit. Hos tamen fratres, quod Regem captum contra jus gentium occiderint, Rudolphus Cæsar adspectu suo prohibuit. Regium vero cadaver biennio amplius Viennæ adservatum, deinde Znoymæ apud FF. Minores sepultum, tandem Wenceslaus I. Rex Pragam transtulit, atque in Ecclesia S. Viti terræ mandavit. *Vid. Matth. Pappenheim hist. Austr. P. II. anno* 1278. *Chron. Neplacho l. c. p.* 117.

caussam *Ep. Bruno*, ipseque Promarchio *Milota de Dieditz* apud Cæsarem, & *Regem Hungariæ Ladislaum* graviter quererentur. Tandem querelis frustra jactis, ut ne latius serperet gentis efferæ crudelitas, idem *Milota* cum *Zavissio* aliquot barbarorum globos profligavit, ceteri vero metu prædæ amittendæ perculsi, Moravia excesserunt. *b*) At reliquæ Moraviæ nova rursum vastatio metuenda fuit, quum *Otto Brandeburgicus*, *Ottocari* ex sorore nepos exercitum in Bohemiam regni tuendi caussa duceret, *Rudolphus Cæsar* copias suas ad Czaslaviam locaret. Quapropter *Bruno Ep.* bellum ut averteret, ad Cæsaris castra profectus, multis perorat, satis, superque jam funerum Bohemis esse, jacere autem auctorem belli, *Wenceslaum* ejus filium pacem petere, tutelam Principis juvenis *Ottonem* desiderare. Adduxit suam in sententiam Cæsarem, qui Burggravium Norimbergensem cum Meinardo Tirolensi; Bohemi vero *Episcop. Brunonem*, ipsumque *Ottonem*, de pace acturos elegerunt. Reipsa conficitur pax, & conventu Iglaviam indicto in præsentia utriusque partis Procerum firmatur. *c*) Præter hæc Proceres paciscuntur connubia: *Wenceslao* juveni *Gutha* Cæsaris filia, ejusdemque filio *Rudolpho*, *Agnes Ottocari* filia, cum certa successionis spe (si Wenceslaus sine prole mascula obiret) desponsantur. *Ottoni Brandeburgico* tutela Principis *Wenceslai*, usque dum adolesceret, regnique Bohemiæ cura committitur; Cæsari autem Rudolpho ad sarciendas belli impensas Marchionatus Moraviæ quinquennis datur possessio, quam

A. C.

vice

---

b) Pessina l. c. ex Roo Cæsareo historiographo.

c) Roo hist. Austr. p. 32. Pessina Prod. Moravogr.

vice illius teneat *Milota de Diediz*, multis aliis facultatibus auctus. *d*)

XIX. Pactis eo modo initis, *Otto* Brandeburgicus, homo præter modum avarus, Bohemiam alioqui afflictam, insolitis vectigalibus, & rapinis promiscuis penitus exhausit, tyranno magis, quam tutori, ac gubernatori similis. Quin etiam regni heredem *Wenceslaum* cum matre illius *Cunegunde* in custodiam arcis Bezdiez (*hodie mons est gratiosa imagine B. V. Mariæ apud RR. PP. Benedictinos celeber*) dedit, omnique Bohemorum commercio prohibuit. Eo loci quum duris haberentur modis, Regina Oppaviam ad Nicolaum Ducem (nothum Ottocari filium) inde Znoymam profugit ad Zawissium Rosensem, quicum jam olim familiariter egerat; *e*) Princeps vero Zittaviam Lusatiæ abductus pia quidem, sed plebeja nimium educatus institutione fuit adeo, ut ne prima litterarum rudimenta nosset. *f*) Vexata fœdissime Bohemia, haut meliorem experta sortem fuit Moravia, ubi Promarchio *Milota de Diediz* ex libidine jura dabat, crebrisque latrociniis occasionem præbuit. Quum enim passim negligeretur agricultura, dira fames, ejusque comes individua pestis regionem hanc ita corripuit, ut incolarum plurimi aut enecti, aut vicinos ad Teutones fuerint dilapsi. Hinc ortæ in pagis, & oppidis rapinæ juxta & grassationes, quibus multi genere nobiles impune alios opprimebant, nonnullis arcibus occupatis, in quas tuto se reciperent. Hos inter *Gerhardus de Obrz'an* fa-

A. C. 1280.

d) Dubrav. L. XVII. fin. Schmid l. c. p. 375.

e) Pulkava, Roo, Balbinus Epit. p. 313.

f) Pelzel l. c. p. 146.

familia Cunstadæus, *Fridericus ab Hamburg* Triboviæ Dominus, arcisque Helfensteinæ ad Lipnicium prædones in Moravia crudeliter grassabantur, conscio malorum *Milota*, qui surdis oppressorum querelas excepit auribus, præsertim queis proditionis ergo sese invisum sentiebat. *g*) Tandem vero Bohemi æque ac Moravi votorum compotes, *Wenceslaum*, iniquis licet conditionibus a Brandeburgo dimissum, incredibili omnium gaudio regem suspexerunt. Simul ac Pragam is venit, convocato Procerum concilio, rebus adflictis in Bohemia restituendis operam dedit, & matre Cunegunde benevole accepta, *Zavissium Rosensem*, cui illa Znoymæ nupserat, regni, suique moderatorem constituit. *h*) Subinde Egram profectus ad *Cæsarem Rudolphum*, ab eodem non solum veniam ætatis, regnique adeundi copiam, verum etiam *Jutham*, seu *Judith am* sponsam suam, & Marchionatum Moraviæ obtinuit. *i*)

A. C. 1283.

1286.

Wencesl. II. Bohem. Rex, Moraviæ Marchio VII.

XX. In quo pacem, & ordinem ut reduceret, vocatis ad consultandum Proceribus Moraviæ, in locum *Milotæ de Dieditz*, qui male factorum conscius in Stiriam profugerat, *Marquardum de Castello* (Marqward von Hradek) Promarchionem substituit. *k*) At publicæ ea in provincia grassationes nimium adoleverant, tantum abest, ut opprimi facile potuerint. Rex igitur bellum denunciari jussit grassatoribus, quorum e numero Gerhardus ille Cunstadæus re-

g) Siffridus Epit. L. II. Pessina Prodr. Moravogr. & Mart. Mor. p. 385.

h) Pulkava, Dubrav. L. XV. II.

i) Hanthaler ad hunc ann. Roo l. c. p. 39.

k) Paproc. Spec. Morav. p. 23. Pfeifer Paproc. enucl. p. 43. Pessina Prodr. Moravogr.

resipuit, ac Brunæ coram pluribus Bohemiæ, Moraviæque Nobilibus, in potestate Regis se futurum, jurejurando pollicebatur. *l*) Ad paria facienda adacti fuere prædatores alii, quum altero dein anno Rex exercitum, cui *Zavissius* præerat, in Moraviam induxit, captaque Tribovia, & vicina arce Hochsteina, ubi latronum præcipui hæserant cumuli, facinorosos omnes laqueo necavit. Horum antesignanus *Fridericus ab Hamburg*, qui prædandi ergo in Bohemiam quoque excurrebat, veniam impetravit, quod vadibus datis promitteret, ad frugem se rediturum. Sed quum vades suos non liberaret, priore fuit crimine condemnatus, nec nisi deprecatoribus amicis Rex dedit, ut sinistræ manus digito mutilus fieret. Qua clementia mirifice devinctus, se se multo fidissimum Regi deinceps præstitit. *m*) Expugnatum quoque fuit castrum Rayhradense, quod prædones, religiosis viris trucidatis, astu occupaverant. Sola adhuc Helfensteina arx, & arte, & natura idoneum grassatoribus receptaculum, erat super, qua octavo tandem die capta, prædatoria manus dignas luit pœnas; Moravia vero a prædonibus libera, optatam vidit securitatem. *n*) *)

I. C. 1287.

XXI.

l) Balbin. Epit. pag. 296. Pessina Mart. Mor. pag. 385.

m) Pulkava; & Hajek ad hunc añ. Pessina l. c.

n) Iidem l. c.

*) *Breve Chronicon Hunnobrodense* mon. ined. Dobner T. II. p. 287. adfirmat Wenceslaum Regem Bohemiæ, & Moraviæ Marchionem anno 1280. aliquot mensium spatio Hunnobrodæ cum integra sua aula esse commoratum. Ad quod probandum adfert Marchionis hujus diploma eidem civitati año 1288. datum, quo is liberalia civium Hunnobrodensium obsequia

XXI. Redux in Bohemiam *Wenceslaus Rex* tantum non capitis sui periculum adiit. *Zavissius* enim *Rosensis*, mortua *Cunegunde*, arces, terrasque illius dotales, quas inter Brz'edslaviensis provincia fuit, in possessione retinuit, initoque cum *Ladislai Hung. Regis* sorore conjugio, regios captat honores, mox cum asseclis in necem Regis conspirat. Occasio facinoris exequendi se se obtulit, quum ex nova conjuge filium genuit, ad cujus baptismum præter Hungariæ Regem, & Henricum Ducem Wratislaviensem, fuit etiam *Wenceslaus* Rex invitatus. Verum is patefacto *Zavissii* molimine, eundem ad se vocatum jussit in ferrum, & vincula conjici, ac biennio post capite plecti. *o*) Interea Brz'edslaviensem in Moravia provinciam (Gundenburg) Agneti sorori suæ, Rudolpho Cæsaris filio nuptæ donavit; Moraviam ipsam *Tobiæ a Cz'ernahora* gubernandam commisit. *p*) In Bohemia vero tam pacata dedit imperia, ut aliarum quoque nationum amorem sibi conciliaret, regnique fines latius proferret. Paullo post mortuo Cæsare *Rudolpho*, jure dotalitio reginæ *Guthæ* etiam venit in possessionem Austriæ cisdanubianæ, quam *Albertus* Cæsaris filius armis occupavit, deinde astu retinuit. Rex nempe jus suum armis vindicare parabat; precibus autem conjugis suæ delinitus, diem præstituit conventui Znoymæ in Moravia agendo. Hic loci

A. C. 1288.

1291.

testatur. — Verum año 1280. Wenceslaus erat in potestate Marchionis Brandeburgici, ideoque illa Hunobrodæ Mor. aliquot mensium illius mora eo potius evenit tempore, quo in Moravia egit, ut eam a latrociniis liberaret. *Vid. Dobner l. c.*

o) Pulkava, Dubrav. Balbin. Pelzel l. c. p. 150.

p) Paproc. Pfeifer l. c. pag. 91. Pessina Mart. Mor. p. 395.

loci haut amplius viginti viris stipatus, ut cautum fuit, ipse quidem aderat; *Albertus* autem conditione tam parum stetit, ut longe majore armatorum numero cinctus, omni ea regione litigiosa eundem cedere compulerit. Pactione hac etsi extorta *Wenceslaus*, ut miti erat ingenio, omnino mansit; nihilominus cæsarea dignitate Albertus ne potiretur, auctor præcipuus fuit, *Adolpho Nassoviæ* comiti plurimum suffragatus. *q*)

A. C. 1292. Quin etiam novum Cæsarem amicitia prius, dein affinitate sibi devinxit, Ruperto ejus filio filia sua Agnete in matrimonium data. Atque inde factum est, ut pluribus postea annis Bohemia, & Moravia tranquillitate frueretur. Rebus igitur ad votum fluentibus, Rex Pragæ in Ecclesia

1297. 2. Junii. S. Viti se, suamque conjugem Gutham corona regia jussit insigniri tanto apparatu, tantaque Principum, ac Nobilium frequentia, ut nihil adhuc illustrius Praga viderit. Atenim Regina eodem hoc mense fatis cessit, relicto regni herede octenni *Wenceslao*, ac tribus Principibus feminis, quarum natu minima *Elisabetha* deinde Regis, & Marchionis Moraviæ *Joannis* conjux, Caroli IV. Imp. mater fuit. *r*)

XXII. Hæc inter magis, magisque urgebant Germaniæ Principes, ut *Albertus Austriacus* insignia imperii obtineret; quorum suffragiis *Wenceslaus*, qui a Cæsare *Adolpho steterat*, tandem vel invitus accessit. Re etiam ipsa *Albertus*

1298. ad cæsareum pertigit fastigium, primisque annis nedum gratiam *Wenceslao* retulit, sed multis etiam documentis testatam fecit amicitiam.

Quum

---

q) Franc. Canon. Pragens. Chron. Bohem. c. 9. Benessius Krabice de Waitmile mon. ined. Dobner T. IV. p. 23.

r) Franc. c. 10. — Pelzel l. c. p. 156.

Quum autem Polonos æque ac Hungaros *s*) in ejus poteſtatem ultro cecidiſſe comperit, ut ne olim potentiæ Bohemorum ſuccumberet, amicitiæ diſſolvendæ cauſam finxit, Moraviæ imprimis funeſtam. Miſſis quippe nunciis, nullo jure, nulloque Cæſarum exemplo poſtulat decumas argenti, quod ex fodinis præſertim Cuthnenſibus eruebatur. Cui Wenceslaus: " *Non Reges modo, ſed olim etiam Duces Bohemiæ* " *a Germanis Imperatoribus in amicitiam, & fidem* " *receptos præter obſequium Majeſtati Cæſareæ conſo-* " *num, immunes, ac liberos fuiſſe* ,, nunciari jubet. *Albertus* juſto licet reſponſo obiratus, valido cum exercitu in Bohemiam irrumpit, caſtris ad Budvicium poſitis; *Rudolphus* autem ejus filius copiis Auſtriacis, quibus Hungari, & Cumani ſubſidio iverant, incurſionem facit in Moraviam, eamque nimis, quam hoſtilem in modum incendiis, & cædibus populatur. Subſidiarii præſertim Cumani more ſuo in obvia quæque tam inaudita ſævierunt veſania, ut plus quatuor millia ſexus utriusque hominum vel trucidarint, vel in ſervitutem abduxerint. Et alii quidem mulierum, infantumque capita haſtis per ludibrium affixa, aut ephippiis alligata cum jubilo geſtitarunt; immaniores alii perforatis virorum, ac feminarum manibus, funibusque innexis pecudum more turmatim abigebant captivos. Tanta barbarorum immanitas pariter, ac *Joannis Waldſteinii Epiſc. Olomuc.* & *Tobiæ* Promarchionis preces, mitiorem *Rudolphi Auſtriaci* animum effecerunt, qui primum igni, ferroque abſtinendum ſevere prohibuit, dein ſelectiore exercitus parte latrones illos e

A. C. 1304

M Mo-

s) Franc. c. 14. Miechov. L. IV. Bonfin. Dec. II. L. IX. Pulkava ad ann. 1300. & 1305.

Moravia ejecit. t) Quin etiam ipse in Bohemiam movit, patris exercitui ad Kuttenbergam suppetias laturus. Illuc quoque magnis itineribus contenderunt Bohemorum copiæ, castrisque hosti objectis, statum, ac decretum habuere primam sub lucem concitato impetu in eum se inferre. At vero Cæsar noctis interventu celeriter castra movet, ac opinione citius Bohemiæ finibus excedit. Actum postea de pace, qua necdum composita, *Wenceslaum Regem* vis morbi, quo ante jam adfligebatur, improviso oppressit. u)

A. C. 1305.

Wencesl. III. Bohem. Rex, Moraviæ Marcb. VIII.

XXIII. Quapropter summa rerum potitus est filius ejus unicus *Wenceslaus III. Rex*, qui pace cum *Alberto Cæsare* duris legibus facta, *Ottoni* Bavaro Hungariæ coronam cessit; altero autem anno & Bohemiæ regnum cum vita perdidit. Quum enim scripto ex Bohemis XII. ex Moravis IV. millium exercitu contra Ducem *Wladislaum Loktiekium*, qui Poloniæ regnum vi occupavit, proficisceretur, Olomucii in suburbana decanali domo divertit, ubi exutis, præter tunicam lineam vestibus pomeridiano tempore in conclavi solus ambulans, a perfidioso servo *Conrado*, natione Thuringo, tribus lethalibus vulneribus confoditur. Sicarius quidem cruento cum pugione ex fuga retractus, simul vero ab aulicis discerptus fuit ante, quam criminis auctores, aut conscios edere posset. Ita miserum in modum extincto *Wenceslao Rege* anno XVIII. ætatis, regni ejus altero, extincta etiam fuit stirps

1306.

Prz'e-

t) Dubrav. L. XVIII. Siffridus Epit. L. II. Franc. & Benessius apud Pessinam p. 391.

u) Pulkava ad hunc ann. Pelzel l. c. p. 162.

Pra'emislea virilis, quæ sex fere sæculis summos Bohemiæ, & satis diu Moraviæ Principes dedit. x) *) Nulla igitur prole regia sexus virilis superstite, Procerum alii *Henricum* Carinthiæ Ducem, cui *Wenceslaus III.* Annam sororem in matrimonium dedit; alii vero pactorum cum Austriacis memores, *Rudolphum Alberti Cæs.* filium, Regem poscebant. Horum sententia vicit, præsertim *Alberto* ex Misnia, *Rudolpho* ex Moravia, ubi Znoymam, & Iglaviam armis jam occupaverat, Pragam cum exercitu moventibus. *Rudolphus* ergo Rex Bohemiæ renunciatur, Cæsar vero effecit, ut hereditaria successio Austriæ Ducum in Bohemiam, & vicissim Bohemiæ Regum in Austriam (si alterutra pars sine herede masculo decederet) a Bohemiæ, & Moraviæ Ordinibus firmaretur. y) Ea de caussa fides quidem Cæsari data Brunæ fuit; attamen, quum paullo post diarrhœa *Rudolphum* e vivis abstulit, in novis Pragæ comitiis *Friderico*, alteri Cæsaris filio, *Henricus* ille *Carinthius* præfertur, concordibus animis Rex Bohemiæ delectus. z)

A. C. 1307.

XXIV. Id quod ulcisci, & persequi adeo statuit apud animum Cæsar, ut ipse altera, altera *Fridericus* parte copiis in Bohemiam inductis Kuttenbergam, & Colinium obsidione cinge-

Henricus Carinthius Bohem. Rex, Moraviæ Marchio IX.

x) Pulkava, Dubrav. & alij passim.

*) Stengelius Comm. rer. Austr. ad an. 1303. multa refert de *Georgio Marchione Moraviæ*, occiso Wenceslao III. e stirpe Pra'emislea superstite. Id quod passim rejicitur a scriptoribus patriis. *Vid. Balbin. Epit. p.* 307. & quod fabulose addit *Gregorius Lib. Mortialis ad* 14. *Martii anno* 1457.

y) Pessina Mart. Mor. p. 394. Schmid. l. c. pag. 435. Pelzel l. c. p. 170.

z) Iidem l. c.

gerent. Verum utriusque copias sustinuerunt tres fortissimi Bohemorum nobiles, ingruens postea tempestas perfrigida plane repulit. Itaque Cæsar in Moraviam movet, compertoque *Promarchionem Tobiam, Vokonem de Kravarz*, atque alios Marchionatus Ordines nequaquam esse a partibus suis alienos, cohortes aliquot per hiberna distribuit, reliquo milite in Austriam abducto. Hiemem deinde totam in apparatu belli eo transegit, ut primo vere Bohemis signa inferret. At enim quum omnia ad bellum apta, & parata haberet, a *Joanne*, suo ex *Rudolpho* fratre, & *Agnete Ottocari* Regis filia nepote, interficitur. *a*) Cædes hæc stabilivit Henrico Carinthio solium, cujus tamen possessio minime diuturna esse potuit. Offensi namque avaro, atque impotenti ejus dominatu Ordines Bohemi, ac Moravi, in conventu Nimburgæ habito imperium ei abrogant, missaque ad Cæsarem *Henricum VII.* legatione, *Joanni* ejus filio regnum Bohemiæ offerunt, si *Elisabetham Wenceslai II. Regis* filiam natu e tribus minimam, uxorem ducat. Lætus nuncio Cæsar, legatos benigne accipit, atque in comitiis Francofurti ad Mœnum gerendis adesse jubet, ubi compotes voti fiant. Adfuere illi stato tempore, quorum precibus auditis, Imperii Principes communi calculo decreverunt: *Henricum Carinthium Bohemiæ regno esse privandum, utpote quod sua auctoritate absque consensu Cæsaris, & Romani Imperii adierit.* Cæsar edicto Imperii nixus, non modo votis Bohemorum annuit, sed paucos etiam post menses sponsa Elisabetha Spiram adducta, coram Imperii Principibus filio suo *Joanni*, & re-

A. C. 1308.

1310. 15. *Julii.*

a) Dalemil c. 200. & Chron. Bohem. c. 89. Pessina Prodr. c. 3. & Mart. Mor. p. 395.

regnum Bohemiæ feudi nomine, & nuptiarum solenniis Elisabetham in matrimonium dedit. *b*) Quum vero Duces Austriæ *Fridericus*, & *Leopoldus* jus in Bohemiam ex pactis hereditariis urgerent; Bohemi contra feudali jure poscerent Austriam, quam Cæsar *Richardus Ottocaro II.* Regi Boh. in feudum contulit: res ad pactionem venit. Nempe Duces Austriæ promiserunt Cæsari mutuum XX. millium marcarum, simul suppetias in expugnanda Bohemia, & Friderico Misniæ Marchione: Cæsar vicissim præter mutuum illud eisdem XXX. millia marcarum argenti obtulit, & Marchionatum Moraviæ, dum hæ quinquagies mille marcæ solvantur, oppignoravit. *c*) *) His pactis Austriæ Du-

b) Schmid l. c. pag. 455. Pelzel l. c. p. 176.

c) Schmid l. c. pag. 456. Pelzel Leben Karl des IV. p. 49. & Diplomatische Nachrichten, wie das Königreich Böhmen an das Luxenburgische Haus gekommen. T. III. inter Born. p. 74.

*) Quo jure oppignoratio hæc facta, & quando soluta sit, ex historicis non constat. Verosimilius aut altero anno desiit, aut effectu suo caruit. Nam diplomate III. Kal. Apr. año 1311. Pataviæ, seu Passaviæ dato (*apud Sommersberg T. III. rer. Siles. p. 63. & Ludewig T. V. p. 517.*) Austriæ Dux Fridericus Regi Boh. *Joanni* promittit, seque obligat, *quod Marchionatum Moraviæ, sibi per Sereniss. Dominum Henricum Rom. Regem illustrem, obligatum libere, & absolute reddit, ac litteras assignationis dicti Domini Regis Rom. sibi super eo traditas repræsentabit Regi Boh. memorato.* Id quod eodem año reipsa factum videtur, quum Rex *Joannes* anno 1311. ab Ordinibus Moraviæ in comitiis Brunensibus homagium susceperit, & absoluto Marchionis jure usus fuerit, quod patet ex historia. — Quodsi *Henricus Cæsar* litteras illas assignationis Friderico Austrio restituendas voluit (*ut ex diplom. in* *Würdt-*

Duces terras suas clientelari jure obtinuerunt; Cæsar vero filium *Joannem* cum exercitu Germanorum in Bohemiam misit. *Henricus Carinthius* aliquamdiu quidem restitit; portis tamen Pragensibus per cives *Joanni* apertis ille capessere fugam cogitur, hic summo omnium gaudio Rex Bohemiæ acclamatur, paullo post regia corona redimitus. *d*)

A. C. 1311. 7 *Februarii.*

Joannes Lucemburgicus Bohem. Rex, Moraviæ Marchio I.

XXV. Ad regni gubernacula admotus *Joannes Lucemburgicus*, etsi XVI. ætatis annum ageret, Procerum tamen consilio in id omnem curam, cogitationemque contulit, ut pax, & tranquillitas in ditiones illius postliminio rediret. Rebus igitur in Bohemia constitutis in Moraviam profectus, regio cum apparatu Olomu-

---

Wurdtwein T. I. p. 412. asserit *D. Pelzel diss.* Diplomatische Nachrichten, wie das Königreich Böhmen an das Luxenburgische Haus gekommen. I. l. B. 83. S.) tamen Marchionatus ipse pignoris onere fuit liber, nec nisi quasdam in Moravia civitates: *Znoymam*, *Gemnitium*, *Cz'ernsteinam*, & *Bitoviam* Duces Austrii retinuerunt, easque solum año 1324. fuisse redditas testantur scriptores coævi: *Benessius de Vaitmile T. IV. mon. ined. Dobneri p.* 26. *Pulkava T. III. ibid. p.* 279. Quamquam Dubrav. hist. Bohem. L. XXI. Schetzius de Ducibus Stiriæ pag. 176. adfirmant, redditas esse dictas civitates, quas Austriaci *jure dotalitio* possidebant. Quod jus videtur fuisse in Agnete Bohemica *Rudolphi* Austriaci conjuge, quorum filius erat Joannes ille Dux Austriæ, occisor Alberti Cæsaris. Nam parricidio hoc patrato bona, & prædia omnia, quæ Joannes iste in Moravia habuit, in jus imperii cesserunt, eaque *Henricus VII. Imper.* donavit *Friderico Pulchro* Austriæ Duci dicti Alberti Cæsaris filio, ut probat *Goldastus Coll. de regno Boh. L. III. c.* 16.

d) Iidem l. c.

mucium appulit, atque edictis ad XIIII. Kalend. Julias Brunæ comitiis, prædatorias quorumdam Nobilium arces partim vi, partim fame ad deditionem compulit. E quibus expugnata arx *Ungersberg* ad Trebitium sita, quam *Joannes a Boskovitz* prædonum fecit domicilium, solo fuit æquata; dein captæ arces *Drahotausch*, & *Deblin*, earumque possessor *Fridericus* prædatoria manu insigniter improbus, cervice abscissa pœnas dedit. *e*) Tum Marchio noster Brunæ sacramentum ab Ordinibus Moraviæ exegit, postquam & ipse ad servanda, tuendaque eorum jura, leges, & consuetudines, fide data se se obstrinxit. *f*) Tandem receptis in fidem Moravis,

e) Hagec. ad añum 1312. Dubrav. L. XX. Pessina Mart. Mor. p. 396.

f) Diploma Joannis Regis Boh. datum Brunne XIII. Kal. Julii año 1311. ex MS. codice Tovacz'oviensi D. Czstiborii, seu Tiburtii a Cimburg. — Refertur etiam in *Juribus primævis Moraviæ* editis a Benedictinis Raykradensibus pag. 36. In hoc diplomate Joannes Rex 1) Moraviam appellat Marchionatum suum: *Universis regni Bohemie, & Marchionatus nostri Moravie fidelibus.* 2) Rata habet *omnia eorum jura, & consuetudines, quæ & quas* a prædecessoribus habuerunt, & habere consueverunt. 3) Nullam aliam *Bernam*, sive tributum a Moravis exigendum promittit, nisi quæ pendi solet in nuptiis Regum, aut regalium liberorum; item in coronatione Regis, scilicet unus ferto argenti (quarta pars marcæ) de laneo. 4) Pollicetur nunquam alicui alteri, quam Moravo, in Moravia aliquod officium majoris momenti commissum iri. 5) Concedit, ut jus hereditatis ad posteros infra quartam generationem superstites extendatur, neque eo casu bona tanquam vacantia ærario regio applicentur. 6) Bohemi, & Moravi intra metas, seu limites *regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ contra omnem hominem* Re-

vis, Promarchionem, qui rempublicam curaret, Marchionatui præfecit *Walterum de Hradek*, virum multo rerum uſu, prudentiaque inſignem; *g*) Ducatum vero Oppavienſem, quo *Nicolaus I.* exciderat, Ducibus Wratislavienſibus, *Boleslao*, *Henrico*, & *Wladislao* pignoris nomine pro VIII. millibus marcarum argenti (64. groſſos quælibet marca valuit) obligavit, iccirco Oppavienſes & Joanni Regi, & Ducibus illis ſacramentum dixere. *h*) Itaque negotiis feliciter confectis, Rex Pragam revertit, minime dubia tranquillitatis ſpe relicta. Hanc nihilominus brevi poſt & magna rerum viciſſitudo, & furor bellicus infregit. Prius illud evenit, quum *Ordo Equitum Templariorum* opibus, & potenten-

Regi aſſiſtere fideliter promiſerunt, hinc pro ſubjugatione alicujus terræ alienigenæ inviti nullatenus compellentur &c. Quæ jura, & privilegia Moravis conceſſa, aperte evincunt *oppignorationem marchionatus Moraviæ* aut hoc ipſo año ſolutam, aut effectu ſuo caruiſſe. Adde: eandem id temporis nec in vulgus notam fuiſſe, quum coævi ſcriptores Bohemi ne verbulo quidem de ea meminerint. Ea etiam fuit tunc Auſtriæ Ducum conditio, ut fervente tota fere in Auſtria rebellione, vix etiam obtenta cæſarea inveſtitura, de urgendis oppignorationis litteris vix cogitare potuerint. *Vid. Pulkava mon. ined. T. III. p. 271. ſeqq.*

g) Peſſina in Mart. Mor. p. 396. & Paprocius Sp. Mor. p. 265.

h) Inſtrumentum Homagii datum Oppaviæ XVII. Kal. Julii año 1311. ap. Henel. Sileſiogr. c. 9. §. 18. Hinc ruit opinio Peſſinæ, qui l. c. ait, hoc año Olomucii a Boleslao Duce Wratislavienſi ducatum Oppavienſem Joanni Regi Boh. fuiſſe reſtitutum. Nam reluitio ſummæ illius facta eſt demum año 1318., quum mortuo Nicolao I. filius ejus Nicolaus II. ducatum Oppavienſem a Joane Rege in feudum obtinuit. *Vid. littera homagii Nicolai II. apud Henel. l. c. §. 19.*

tentia celeber in concilio Viennensi a Clemente V. Pont. abolitus fuit. Nam Equites hi in Moravia non paucas possidebant arces: Spilbergam nimirum, Weverz'i, Orloviam ad Viskoviam, Strambergam non procul Hochvalda, Stambergam ad Telcz'ium, Helfensteinam, Lukoviam, Tepenicium, Lucam non longe ab Oleschnicio, Tempelsteinam, aliasque complures. Ut primum autem Templarii Moraviæ de fatis, quæ illorum Ordo præsertim in Gallia subiit, clam edocti sunt, partim veste alba posita, castellis sua sponte cesserunt, partim dedere nomina Ordini Equitum Rhodiorum, hodie Melitensium: quo facto, promtaque Regis defensione capitis periculum evaserunt. *i*)

XXVI. Ea rerum conversione non minus, quam latrocinandi cupiditate excitus *Matthias* Trencz'inii Comes, regnique Hungariæ Palatinus, cum duobus armatorum millibus in Moraviam, qua ab Hungariæ finibus ad Moravam protenditur, irruptionem fecit. Oppidum Broda fortiter quidem restitit hosti rapaci, qui suburbanis incensis, direptoque Kunovicio, Wesselium occupavit, ubi relicto præsidio, depopulationem agris, & vicis finitimis intulit. Qua de re certior factus Rex *Joannes*, etsi morte parentis Henrici Cæsaris ad Florentiam urbem veneno sublati, haud parum adfligeretur; illi-

A. C. 1313.

i) Pessina *Prodr.* Moravogr. c. 5. §. 20. Quæ loca ad *Equites Melitenses*, & *Crucigeros*, *seu Teutonici Ordinis* cum rubea stella olim spectaverint in Moravia, hodieque spectent, referunt; Pulkava ad an. 1207. Pessina Mart. Mor. p. 66. & Prodr. c. 5. §. 18. Ziegelbauer Olom. Sacri P. II. item Kürzgefaßte Geschichte über den Ursprung der heutigen Ordensklöster.

illico tamen *Henricum a Lipa* cum Bohemorum agmine in Moraviam misit, quem ipse cum copiis equestribus magna celeritate sequebatur. At Hungari prædis onusti in fugam se dederunt, nec nisi cohortem unam *Cunstadaus Borz'ek a Smilheim*, seu *Visovitz*, arcis Brunoviensis Præfectus, ex insidiis ad internecionem pene oppressit. Rex igitur capto Wesselii præsidio, copiisque Moravicis ad Brodam collectis Trencz'inium versus iter festinat. Occurrit Matthias pluribus Hungarorum turmis instructus, tantoque clamore cornua Regis circumfundit, tamque acriter premit, ut titubare cœperint. Sed advolat *Henricus a Lippa*, qui confirmata rursum acie, hostem in fugam vertit, atque omnem sub Trencz'inio agrum hostiliter populatur. *k*) Impar tantis viribus *Matthias*, opem *Caroli Hung. Regis* imploravit, a quo id unum obtinuit, ut ejus legatis deprecatoribus auditis, *Joannes Rex* unius anni inducias pacisceretur, quæ tamen adnitente *Carolo Rege* in perpetuam coaluere pacem. *l*) Qua composita, *Joannes Rex* victor Pragam rediit, ubi datis ad cives Olomucenses litteris publicis, adfirmat *Olomucium inter alias civitates, & oppida Moraviæ principatum obtinere. m*) Subinde Francofurtum ad Mœnum profectus ad eligendum novum Rom. Regem. Discordibus Electorum suffragiis electus est *Fridericus Austriacus*; altera autem die potior Electo-

A. C. 1314.

19. Octobris.

k) Franc. c. 28. Chron. Benessii ad añum 1312. Dubrav. L. XX. Pessina Mart. Mor. p. 397.

l) Chron. Benessii. Pessina Mart. Mor. p. 398.

m) Diploma Joañis Regis in Apographis Stz'edovskianis Vol. VI. p. 1. quod Pragæ datum II. Kal. Octobris, seu 30. Septembris anno 1314 in tabulario reg. incliti civitatis Olomucensis reperitur.

ctorum pars *Ludovico Bavaro* favit. Huic etiam Rex noster suffragatus est, quod ille polliceretur, se totis viribus acturum, ut Austriæ Dux omni prorsus in Bohemiam, & Moraviam jure cederet. *n*)

XXVII. Interea Moraviæ Promarchionem *Walterum de Hradek* mors eripuit; *) in ejus proinde locum Rex suffecit *Janum*, sive *Joannem a Wartenberg*, in Bohemia summam potestatem *Henrico de Lippa* commisit. Sed hi duo Præfecti suæ potius, quam publicæ rei consulendo, tum Cutnensium fodinarum reditibus, tum gravibus tributis populo impositis, adeo se locupletarunt, ut opibus, & potentia vel ipsi Regi forent metuendi. Quare summo eos magistratu movere statuit, qui hanc ob rem ad arma descenderunt. *Henricus* quidem paullo post captus, arci Tirow inclusus fuit; *Joannes* vero Dominus in Dürnholtz cum quibusdam Moravis rerum novarum cupidis diutius Regem fatigavit. Nam inductas in Bohemiam copias suas eidem objecit, & Costeleczium regio munitum præsidio circumsedit. Sed quum audaci nimium impetu oppugnationem adoritur, emisso propugnatoris telo ictus occubuit. *o*) Morte *Jani*

A. C. 1315.

1316.

n) Franc. c. 29 Schmidl. c. p. 474.

*) Hunc Joañes Rex diplomate Catharinæ de Lomnitz viduæ dato año 1318. vocat *Strenuum virum quondam Valterum de castello Marchionatus sui* (Moraviæ) *Capitaneum*. Vid. Paproc. Spec. Mor. p. 265. Hinc diversus ab illo est *Marquardus de Castelko*, qui ab año 1284. circiter ad añ. 1289. Moraviæ fuit Capitaneus. *Paproc. l. c. pag.* 99. *Pessina Prodr. Moravogr. ad ann.* 1284.

o) Franc. & Dubrav. Pelzel Geschichte der Böhmen. p. 189.

Jani turbæ in Bohemia, Moraviaque ſopitæ non ſunt, donec *Henrico* libertati reddito concordia Regem inter, & Bohemos Ordines coaluit, gaudioque triſtitiam temporum condivit. Ad communem vero lætitiam plurimum contulit nativitas Principis Wenceslai, cui poſtea impoſitum *Caroli* nomen fuit. *p*) At brevis admodum intervalli quietem rurſus domeſtici turbarunt motus. Etenim Rege Lucemburgum proficiſcente, *Petrus Moguntinus Archiepiſcopus*, tum *Regina Eliſabetha*, Bohemis olim cariſſima, regno præfuit. Nec mora, duæ Nobilium factiones in Bohemia, & Moravia enatæ: altera partes Reginæ ſequebatur, cui favit *Conradus Epiſcopus Olomucenſis*, *Wilhelmus de Waldek* dictus *Lepus*, multique præterea alii; altera contra eam ſtetit, cujus capita *Henricus de Lippa*, *Zdislaus de Sternberg* cum aliis pluribus erant. Utraque partium ſibi invicem adverſa tumultuoſas exercebat ſimultates, factumque propius nihil, quam ut bellis inteſtinis ambæ regiones conflagrarent. Itaque Rex triſtibus Reginæ precibus, & conſilio Epiſcopi Olomucenſis in Bohemiam rediit, ubi ita confuſa, ac perturbata reperit omnia, ut Pragæ Wiſchehradenſem, ceteraſque factioſorum arces vi in ſuam redigere poteſtatem cogeretur. Omnibus tamen, quotquot petierunt, veniam factionis tribuit, quo facilius quosdam ex Moravis rebelles ſubigeret. Ea mente in Moraviam contendit, ac Nobilium, qui refragabantur, arcibus ad deditionem ſubactis, Brunæ aliquamdiu manſit, quo etiam *Eliſabetha* nunciis, & litteris vocata, venit. *q*) Inter hæc nugigeruli quidam ſparſis rumoribus ex-

A. C. 1317.

1318.

p) Iidem & Chron. Beneſſii.

q) Chronicon Aulæ regiæ. P. II. c. 1.

exulcerant Bohemorum animos: alii ratum esse Regi adserunt, Bohemiæ regnum cum palatinatu Rheni commutare; adfirmant alii, statum esse, ac decretum, nobiles Bohemos privatum iri aut vita, aut patria. Hinc in Regem palam fit conjuratio, ejusque auctores *Henricus de Lippa*, & *Petrus de Rosenberg* tumultuarium in Moraviam adducunt exercitum, quo ad mœnia Brunæ admoto, conveniendi Regis potestatem petunt. Is comperto seditiosos & numero, & robore sibi anteire, ad colloquium eos admittit, offert pacem, & legem oblivionis injuriarum; *Fridericum Austrium* ut legitimum Regem Romanorum adserere dumtaxat abnuit. *r*) Dimissis eo modo Bohemis, Rex non ultra Brunæ commorandum tuto censuit, sed urbis tuendæ, regendæque Moraviæ cura *Conrado Episc. Olomuc.* & *Guillelmo de Lomnitz* commissa cum omni comitatu in Bohemiam festinat, & consilio Cæsaris *Ludovici Bavari*, qui Egræ aderat, voluntatem Procerum recuperat. *s*)

XXVIII. At enim civiles denuo fluctus movit *Henricus de Lippa* Procerum omnium id temporis præter modum turbulentus, ac seditiosus, qui malis artibus suis Regem iterum Brunæ commorantem eousque induxit, ut conflato ex Moravis exercitu Reginam conjugem, ejusque fautores cives Pragenses hostiliter adgrederetur. *t*) His vero non ita multo post in gratiam restitutis, Rex & Marchio noster *Joannes* fidelem civium Brunensium, apud quos sæpe morabatur, operam remuneratus est, quum illo-

---

r) Idem. l. c.
s) Pessina Mart. Mor. pag. 400. Pelzel l. c. p. 192.
t) Chron. Aulæ regiæ l. c. c. 7. Pelzel l. c. p. 194.

A. C. 1319. 13. Decembr. illorum agros, villas, atque alias possessiones jure hereditatis proprias, a tributis regiis absolvit; judicibus autem dictæ civitatis caussas omnes cognoscendi, definiendi, actusque judiciarios exercendi liberam perpetuo potestatem publico edicto concessit. *u*) Gratum eapropter animum Bruna testabatur, Moravia tranquillo fruebatur otio, donec *Ludovicus Cæsar*, qui diuturnum dubio Marte cum æmulo suo *Friderico Austrio* bellum gesserat, plenam victoriæ spem in *Joanne* reponens, eundem suas in partes traxisset. Annuit hic magnis allectus pollicitis, tantoque suorum consensu auxiliarios comparat milites, ut frequentes Bohemorum, ac Moravorum Nobiles gratuito stipendio signa Regis sequerentur. 1322. 18. Septembr. Duos interim Cæsares de Imperio contendentes fortuna contraxit in ditione Salisburgensi ad oppidum Mühldorfium, ubi a prima luce ad vesperam pugna pugnatum acerrima fuit. Tandem Austriacis, Hungarisque fœderatis ad internecionem cæsis, *Ludovicus* æmulum suum *Fridericum*, hujus vero fratrem *Henricum Joannes Rex* captivos duxere. *x*) Quo in prælio, si patriis scriptoribus credimus, præter Bohemos illustres, Moravi etiam rei militaris periti strenuam navarunt operam: *Henricus Lev-tovetz de Boskovitz, Ulricus de Ludanitz, Mauritius de Kunstatt, Joannes Trnka de Boskovitz, Henricus Pinuvek de Sovinetz, Stephanus de Tempelstein, Prz'emislaus de Hradek, Georgius de Schvabenitz, Nicolaus*

u) Diploma Joannis Regis in Apographis Strz'edovskianis Vol. VI. p. 15. ubi ille *Marchionem Moraviæ* aperte se appellat: *Nos Joannes Dei gratia Bohemiæ, & Poloniæ Rex, Lucemburgicus Comes, Marchioque Moraviæ, Budissinensis Dominus* &c.

x) Chron. Aulæ regiæ c. 11. Pulkava ad an. 1319. Dubrav. L. XX.

laus de Witzkov, Bohuſs Hrabice de Waitmile, Zdiſlaus de Kunovitz, Jaroſſek de Konnitz. Quos omnes ſive natione Moravos, ſive bonis in Moravia locupletes, *Ludovicus Cæſar* tam inſignis victoriæ adminiſtros, equeſtri ornavit dignitate. *y*) Rex autem *Joannes* captivum *Henricum* in cuſtodiam Pürglicii, ſeu Krz'ivokladii Bohemorum dedit. E qua tum demum fuit liber emiſſus, quum Hungariæ, & Bohemiæ Reges *Carolus*, & *Joannes* Hranitzii, ſeu Veiskirchii in Moravia convenere, ubi Duces Auſtriæ *Albertus*, & *Otto* fratri ſuo libertatem impetrarunt his inter alias legibus: Duces Auſtriæ omni prorſus juri, quod in Bohemiam, & Moraviam prætendere poterant, renunciarunt; Znoymam, aliasque civitates Moraviæ, quas tenebant præſidio, reddiderunt. Atque hac ratione Moravia omni prorſus nexu cum Auſtriacis ſoluta eſt. *z*)

A. C. 1323. 24. Auguſti.

XXVIIII. Felici adeo rerum exitu, lætus *Rex Joannes*, Regni, & Moraviæ adminiſtrationem *Henrico de Lippa* commiſit, moreque ſuo Lucemburgum abiens, una pariter *Wenceslaum* ſeptennem regni heredem abduxit, quem additis morum Præfectis Bohemis, Pariſios miſit in aula Galliarum Regis *Caroli Pulchri* a Regina Maria amita ſua educandum. Ibi *Wenceslaus* Sacramento Confirmationis initiatus, *Caroli* nomen accepit, quod illi deinceps adhæſit in Bohemiam reduci. *a*) Hoc interim ſpatio *Lippa* rempublicam ex libidine ſua moderabatur, ſuoque

y) Paprocius, Pfeiferus, Hagek ad añ. 1319.

z) Chron. Aulæ regiæ c. 12. Pulkava Chron. Beneſſii apud Peſſinam p. 405.

a) Carolus IV. in vita ſua apud Frecherum.

que arbitrio subditos insolitis pressit tributis, ut Regi longe, lateque peregrinanti pecunias suppeditaret. Acerbum id quidem accidit *Elisabetha* Reginæ; sed illud multo acerbius, quod *Lippa* eandem alteri *Elisabetha* viduæ (hæc primum altera Wenceslai II. Boh. Regis conjux, dein Rudolpho I. Regi nupsit) identidem odiosam redderet. Quarum lites Rex dissitis locorum intervallis sopiendi cupidus, oblatis & pecunia, & amplis ad Brunam possessionibus, viduam *Elisabetham* ex Bohemia in Moraviam exA. C. 1325. civit. Delegit hæc Brunam incolendam, locumque in suburbanis obtinuit ad exstruendum cœnobium, in quo cum Virginibus Ordinis Cisterciensis vitam ageret. Cœnobio huic Elisabetha amplissimos suos adsignavit reditus, quibus *Lippa* Krumloviæ in Moravia post Kravaræos Dominus, oppida quædam addidit, sibique eo loci sepulturam elegit. *b*) Donationes istas Rex litteris suis confirmavit; ut vero ærarium suum augeret, impetrato a Joanne XXII. Pont. consensu, Bohemiæ Clerum ad decimam proventuum partem triennio pendendam adegit, eiA. C. 1327. que exactioni Conradus Ep. Olom. rescripto Pontificis præfuit. *c*) At vero nec eo modo Rex fuit alieno æri dissolvendo; proinde vocatis ex Italia monetæ cusoribus, cupreos jussit numos cudendos, quibus facultates subditorum exhausit. *d*) Accessit ad ea mala bellum, cui tum privatæ *Henrici de Lippa* cum Barone Austriaco *de Ruenstein* simultates, tum desponsatio Principis *Joannis* filii quinquennis cum

Mar-

b) Chron. Aulæ regiæ, & Dubrav. l. c. Cœnobium illud Königkloster dictum, ætate nostra abolitum fuit. *Vid.* Geschichte der heutigen Ordensklöster. p. 210.

c) Chron. Aulæ regiæ c. 17.

d) Pelzel Geschichte der Böhmen. p. 200.

Margaretha Henrici Carinthiæ Ducis filia occaſionem dederant. Utraque enim hac de cauſſa *Fridericus* Auſtriæ Dux vehementer commotus, armis invaſit Moravos, qui fortiter quidem, at non ſine damno regionis, vim hoſtis ſuſtinuerunt. Verum Rex paullo poſt opem tulit, ac vaſtata cis Danubium Auſtria, circiter quadraginta munitiones in ditionem redegit; quum interea Hungariæ Rex, ab *Ottone Friderici* fratre accitus, trans Danubium paria faceret. Fridericus neceſſitate compulſus, pacem petiit, ac impetravit. *e*) *A. C.* 1318.

XXX. Altero dein anno *Henricus de Lippa* Moraviæ Promarchio opulentia, & potentia clarus, e vita Brunæ ceſſit, quem *Eliſabetha* vidua in parthenone ſuo honorifice ſepelivit. Rex autem illi eadem cum poteſtate ſuggeſſit *Joannem de Boskovitz* non divitiis quidem, ſed rerum præclare geſtarum fama parem. *f*) Nec diu poſt altera quoque *Eliſabetha Regina* naturæ debitum reddidit, de quo Rex certior factus, quum in Tiroli nuptias paciſceretur octennis filii ſui *Joannis* cum Margaretha Carinthiæ, & Tirolis herede, quæ repandi oris cauſſa *Maultaſchia* dicebatur. Alios vero, eosque lætiores Tridenti accepit nuncios, quibus quædam Italiæ urbes fortunas ſuas illius fidei permiſerunt. His celeriter in poteſtatem receptis, magnaque Lombardiæ parte expugnata, graviter in ſe in- 1319. 1330.

N

e) Chron. Aulæ regiæ c. 20. Hujus auctor Petrus Abbas, qui expeditioni huic aderat, ibidem addit: *Die B. Dominici Brunæ exiſtens, hora prima diei magnum terræ motum ſenſi, & hoc fuit tempore pluviali. Anteceſſerat hanc pluviam, & motum calor & ſiccitas nimia.*

f) Idem c. 22. Peſſina Mart. Mor. p 407. ſeqq.

incendit *Ludovicum Cæsarem*, qui Regis Bohem. incrementa adeo limis aspexit oculis, ut contra eundem non cum Austriæ Ducibus modo, sed cum Regibus etiam Hungariæ, & Poloniæ fœdus iceret. *g*) Formidolosa hæc societas acerrimum Bohemiæ, & Moraviæ bellum intentabat, cujus avertendi ergo *Joannes Rex Wenceslaum*, seu *Carolum* regni heredem, Italiæ præfecit, habitoque Ratisbonæ cum Cæsare colloquio, opinione citius eum sibi conciliavit. Mox cum Rege Poloniæ *Loketecio* mensis unius inducias pactus, ad colloquendum cum *Carolo Hungariæ Rege* Podivinum Moraviæ venit. *h*) At quemadmodum *Otto* Austriæ Dux fœdere stetit, trajectoque Danubio, irruptionem in Moraviam minabatur: ita Rex Hungariæ de sententia deduci haud potuit, quin immo Austriacis suppetias ivit. Itaque Rex noster Podivini datis ad *Pragensem Episcopum Joannem* litteris mandat, ut cum peditatu, & equitatu Laam versus celeriter properet, quo etiam ipse cum Moravicis, & Oppaviensibus copiis, Duce *Joanne de Boskovitz*, movet. *i*) Collectum hic loci exercitum, qui XXII. millia explebat, L. millibus hostium objecit, incertus, ignarusque prælii. Sed hostes partim fortitudine *Benessii Wartembergii* (is quatuor suorum millibus validam Hungarorum manum in fugam dedit) partim rumore vano, subsidiarios adventare ex Bohemia, ita perculsi sunt, ac perterriti, ut fugam ex improviso caperent, in Austria, & Hungaria dispersi. Aliquot tamen suorum legiones citra Danubium in sta-

A. C. 1331.

g) Chron. Aulæ regiæ. c. 28. Steürer Coment. pro hist. Alberti II.

h) Epist. ad Petrum Abbat. in ejus Chron. Aulæ reg. c. 28. Brunæ a Regis Notario data.

i) Epist. Joañis Regis ibid.

ſtativis *Otto Dux* retinuit; iccirco Rex ad tuendos ab excurſionibus Bohemiæ, ac Moraviæ fines validas ſat copias utriusque regionis ducibus commiſit, ipſe Brunam primum, tum Pragam, inde Lucemburgum abiit. *k*) Nec mora rediere Auſtriacis animi, factoque ſæpius excurſu aggreſſi Bohemos, & Moravos, jam victi, jam victores fuere. Tandem & noſtri junctis in hoſticum viribus excurrerant; ſed minus cauti inciderunt in collocatas Auſtriacorum inſidias. Ab his utrobique circumſepti, ad internecionem cæſi fuiſſent omnes, niſi *Hinko de Rukſtein*, & *Henricus Boskovitius* cum Moravorum auxiliis tempori adfuiſſet; quorum ſubſidio hoſtes repreſſi, juniorem *Henricum de Lippa*, ejusque fratrem *Joannem* cum aliis primæ nobilitatis viris captivos abduxere. Jactura hac adacti Proceres Bohemi, ac Moravi, pacem compoſuerunt Viennæ cum *Ottone Duce*, quam paucis poſt menſibus *Rex Joannes* firmavit amicitiæ vinculo. *l*) Tum inclinatas in Italia res fulcire nitebatur; his autem nequaquam proſpere ſuccedentibus, filium ſuum *Carolum* Bohemiæ Gubernatorem, & *Marchionem Moraviæ* conſtituit, atque in patriam redire jubet. *m*)

A. C. 1332.

XXXI. Illuſtri *Marchionis Moraviæ* titulo ab eo jam tempore utebatur *Carolus*, uſque dum Cæſaris dignitate ornatus, *Joanni* fratri ſuo Moraviam beneficiario jure contulit. *n*) Qua- propter

Carolus Moraviæ Marchio XI. 1333. 30. Octobris

k) Chron. Aulæ regiæ l. c. Peſſina Mart. Mor. pag. 407.

l) Chron. Aulæ regiæ c. 30. Et Neplacho ad añ. 1333

m) Carolus IV. in vita ſua apud Frecherum.

n) Pelzels Abhandlung über die Zeit, in welcher Karl Markgraf in Mähren geworden. IV. B. inter Born.

propter Pragæ ſumma Bohemorum lætitia exceptus, poſteaquam judiciorum formulas per *Nicolaum Brunenſem* *) cancellarium ſuum conſtituit, remque publicam in tranquillum reduxit; ampliſſimo introitu in ſuum Moraviæ Marchionatum venit. *o*) Dici non poteſt, quanto exultarint gaudio Moravi, quod proprium denuo Principem ſuſpicerent, qui præclaris animi, corporisque dotibus in ſui amorem ſubditos rapuit, qui haud amplius XVIII. annos natus, jam *Patris Patriæ* munus explevit. Quum enim per aſſiduas Regis peregrinationes in transverſum agerentur plurima, Promarchionum aliqui contra jus, fasque ſubditis redderent jura, non pauci Nobilium quædam caſtra, & oppida aut vi occupata, aut quaſi pignus obligata a Rege, tenerent: *Marchio* noſter ordinem, juſtitiam, pacem reduxit. Quæ ad uſum Marchionis, ejusque miniſterium aulicum pertinebant, bona vel acciſa, vel diſtracta, ærario addixit. Propria Marchionatus caſtra, præſertim Olomucenſe, Brunenſe, ac Znoymenſe; oppida quoque: *Lukovium*, *Telcz'ium*, *Veverz'i* (Veveriam) *Brumoviam*, *Auſſoviam*, *Litoviam*, *Evancz'icium*, *Gem-*

A. C. 1334.

*) Hunc *Nicolaum* Moravum, patria *Brunenſem*, fuiſſe Cancellarium ſuum adſerit ipſe Carolus Marchio in vita ſua apud Frecherum p. 97. ubi dicitur idem *Nicolaus Epiſcopatum Tridentinum* año 1336. a Carolo obtinuiſſe. Eidem Epiſcopo, ejusque Capitulo Joañes Rex Boh año 1339. donavit clypeum Bohemicæ aquilæ nigræ, rubeis flammulis, ſive ſanguineis guttis ſparſæ; quo Epiſcopi Tridentini hodieque utuntur. *Vid.* Dobners Beobachtungen über die Abänderung des Böhm. Wappenſchildes. Inter Born. T. IV. p. 221. & 224.

o) Pelzel in vita Caroli IV. p. 49. —

Gemnicium &c. a Procerum potentioribus aut redemit, aut manu armata recepit, ipſeque ſingulatim omnia inviſit. *p*) Ita ſingulorum perinde, ac publicæ in Moravia ſaluti conſulens, mirifice ſibi devinxit Moravorum animos. Quos ab Auſtriacis incurſibus tutiores ut redderet, Znoymæ curavit nuptias minimæ natu ſororis Annæ, priori jam anno deſponſæ *Ottoni Auſtriæ Duci*. Quanto apparatu, quantaque Principum, Epiſcoporum, ac Nobilium frequentia fuerint acta nuptiarum ſolennia, vel inde patet, quod ſex mille equis avena præberetur. Aderat quoque *Caroli Marchionis* conjux *Blança* (hanc Principem regio ſanguine natam Pariſiis anno 1324. duxerat) quacum is ſponſos comitatus eſt Viennam, ubi *Albertus*, & *Otto* Auſtriæ Duces publicis teſtabantur litteris, ſe nomine dotis pro decem millibus marcarum argenti caſtrum, & civitatem Znoymenſem pignus accepiſſe. *q*) Hoc etiam anno Marchio noſter firmavit privilegium, quo *Wenceslaus II.* Boh. Rex Magiſtrum ſcholarum, & Eccleſiæ Olomucenſis S. Wenceslao ſacræ Vicarios, eorumque poſſeſſiones, prædia, & ſubditos a quibuscunque tributis abſolvit. Monaſterium Welehradenſe Ord. Ciſtercienſis liberum declarat ab onere denunciandi Cz'udæ, ſeu Judici provinciali ea homicidia, & vulnerationes, quæ in bonis illius perpetrantur. Civitati Trebicenſi, quam Rex muris, & vallis muniri conceſſerat, liberaliter permittit, ut eisdem, qui-

A. C. 1335. 26. *Februar.*

 bus

p) Carolus IV. in vita ſua. Peſſina Mart. Mor. p. 413.

q) Sommersberg. ſcr. rer. Sileſ. T. III. p. 61. ubi reperitur quidem ſignum XM.; ſed paullo infra integris vocabulis dicitur: Zehn Tauſend Mark Silbers.

bus civitas Znoyma, commodis, beneficiis, & ſtatutis municipalibus utatur. r)

XXXII. At enim, quod mirum! gubernatio Bohemiæ, & ipſe etiam Marchionatus Moraviæ *Carolo* adimitur. Siquidem grave dum curat negotium, ut Ducatum Carinthiæ, & Comitatum Tirolis *Joanni* fratri ſuo adverſus *Ludovicum Cæſarem*, Auſtriæque Duces vindicaret; quidam ex Bohemis Nobilibus, queis *Carolus* arces violenter occupatas eripuit, patrem inter, & filium diſcordiam ſerere non dubitant. " *Cautius*, inquiunt, *ſaluti tuæ Rex provideas, oportet. Filius enim tuus & caſtris occupatis, & amore populi, & affectis in Bohemia plurimum valet; cui nervos niſi incidis, vimque minuis, facili negotio fiet, ut pro libitu ſuo te regno ejiciat.* " Ira percitus Rex, credulum ſe præbuit invidis, & obtrectatoribus, ac filio ſuo diffidens, omnem ei poteſtatem ademit, relicto ſolum *Marchionis Moraviæ* titulo. *Carolus*, ut filium decebat, iracundo patri obſequutus, excuſationem injuriæ adeo non dedit, ut potius in arcem Pürglitz illico ſe conferret. Non tamen diu in offenſa patris fuit; ſed nobiliſſimi quique Procerum ſummam *Caroli* integritatem, & innocentiam Regi tam luculenter probarunt, ut eum in gratiam receptum, Marchionatui reſtitueret. s) Quin immo collectis in Bohemia, & Moravia copiis eundem præfecit, ut *Bolkonem* Ducem Münſterbergenſem in Sileſia ad officium reduceret. *Carolus*, more illius ævi, terras Ducis miſere vaſtavit, eoque Ducem adegit, ut in mu-

r) Diplomata apud Pelzel in vita Caroli IV. n. 12. 14. 16.

s) Carolus IV. in vita ſua l. c. Pelzel in vita illius p. 58. —

munitum Frankensteinæ oppidum se reciperet. At obsessus rem strenue gessit, factaque subinde eruptione plures Bohemiæ, ac Moraviæ Barones (inter Moravos erant *Jaroslaus*, & *Albertus a Sternberg* fratres) captivos abduxit. Id quod ægre tulit *Marchio*, & quoniam aliis negotiis avocabatur, acutum cepit consilium captivos liberandi. Vocatis nimirum in castra captivorum Baronum conjugibus, lautum instruit convivium, ad quod etiam Ducem *Bolkonem* invitat. Comparet is, maxima cum demissione a dominabus exceptus. Quum vero lætum, atque hilarem induisset vultum, sublatis mensis, eundem verbis, quam poterant blandissimis, ita emolliunt, ut vocatos ex oppido maritos eis liberos redderet. Tandem mutuo conjugum gaudio moti *Bolko*, & *Carolus*, positis armis, amicitiam inierunt; Dux vero spopondit, se Regi Bohemiæ subjectum fore. *t*) His actis *Carolus*, & *Joannes Rex* pepigere fœdus cum Poloniæ, & Hungariæ Regibus, quorum auxilio factum est, ut Duces Austriæ bello inferiores, ad pacis consilia animum applicarent, & obtenta Carinthia, jure in Tirolim cederent, immo etiam Znoymam, & castrum dotalitio nomine sibi obligata, restituerent. *u*) *A. C.* 1336.

XXXIII. Longo dein tempore ab Austriis tuti erant Moravi, ad quos *Carolus*, quoad per negotia licuit, sæpius invisit, variaque privilegia monasteriis, præcipue Welehradensi, Saarensi, & Lucensi vel contulit, vel firma de-

 cla-

t) Carolus IV. in vita sua. Pelzel in vita illius pag. 62. —

u) Iidem l. c. Sommersberg T. III. p. 62. Steüerer p. 129.

claravit. x) Liberam interim Moraviam ab hostibus, hostis insolens depopulatus est. Immensa nimirum locustarum agmina primum 1338. Hungariam, & Austriam, dein Moraviam, & Bohemiam afflixere. Septem milliarium spatio in longitudinem extensae, grandem volatu strepitum, tetrumque odorem edebant, obscurabant solem, immane quantum in dies auctae non prata solum, & segetes, sed arborum etiam frondes depascebantur. y) Quidam, ut malum averterent, fossas moliri, eoque impulsas terra obruere conabantur; alii plaustris stramine onustis, easdem in foveis conglomeratas urere adnisi; neutrum tamen consilium profuit. Tandem felici casu contigit, ut maxima ciconiarum copia advolaret, quae largiter se se ingurgitando, partim eas absumsit, partim Franciam versus propulit. z) Sed nova rursum plaga afflixit Moravos. Rex enim *Joannes* pecuniae prodigus Brunam venit cum *Carolo*, ut quemadmodum ille Bohemos, ita hic Moravos Ordines ad insuetum vectigal pendendum adigeret. *Junii.* Paruere quidem Moravi: Marchio autem promisit datis litteris, neque se, neque successores suos insoliti quidpiam exacturos, nisi aut ipse olim regia Bohemiae corona insigniretur, aut filiam suam nuptui collocaret. Promissa haec Marchio, & Rex jurejurando confirmarunt. a) 1339. Altero dein anno Rex Nicolaum Silesium Oppaviae, & Ratiborii Ducem, Marchio Baronem Bo-

x) Diplomata apud Pelzel in vita Caroli n. 15. 21. 108. 110.

y) Car. IV. in vita sua p. 99. Neplacho mon. ined. Dobner T. IV. ad annum 1339. Pessina Mart. Mor. p. 415.

z) Car. IV. l. c. Benessi. Dobner l. c. ad an. 1338.

a) Pelzel in vita Car. p. 81. Diplom. exstat in collect. Ritter.

Bohemum, *Nicolaum Ziambachium* redigere in ordinem decreverunt. Ille subditis suis nobilibus æque, ac plebejis nimium gravis fuit; iste ex arcibus Chotzna, Cztislava, & Pottenstein in Bohemia, & Moravia late grassabatur. Rex quidem facile Ducem ad officium reduxit, quum is eidem Olomucii supplex, meliora sponderet prius, quam armis frangeretur. *b*) *Ziambachius* autem Marchioni facessivit negotium. Etenim arcem Pottenstein, in quam rebellis se receperat, novem hebdomadis circumsedit *Carolus*, dum tandem Barones Moravi *Bertholdus*, & *Joannes de Lippa*, novas adduxissent copias, a quibus æque, ac Bohemis undique impressione facta, obsessi audacius resistentes cum *Ziambachio* occubuerunt, arx autem solo æquata fuit. *c*) Prædonibus domitis, Promarchionem Moraviæ *Zdenkonem a Lippa* constituit *Carolus*, atque in Franciam profectus est, ut *Philippo Regi* adversus Regem Angliæ suppetias cum patre suo ferret. In ea expeditione, etsi prælio decertatum non est, *Joannes Rex* oculorum lumen amisit, ideoque Parisiis aliquamdiu morabatur. *d*) Marchio noster cum fratre suo *Joanne*, Tirolis Comite, in Bohemiam rediit, inde in Moraviam Olomucium venit, atque exstruendum jussit castrum in monte Tepenez, quem ea de caussa pridem jam emerat a *Joanne* Ep. Olom. consanguineo suo. Quia vero mons hic prædiis epi-

A. C. 1340.

b) De Ludewig rel. MS. T. V. p 564 apud Pelzel l. c. p. 86.

c) Car. IV. in vita p. 102. Balbin. lit. pub. p. 148. — Hinc fallitur Pessina Mart. Mor. p. 417. ubi ait, Ziambachium in Poloniam profugisse, ibique mansisse, dum amici, & cognati gratiam, & reditum ejus, impetrarunt a Carolo.

d) Pelzel in vita Car. p. 90. & hist. Boh. p. 214.

episcopalibus cingebatur, litteris datis Olomucii promisit, a præsidiariis castri illius, *Twingenberg* appellandi, nihil unquam damni illatum iri. *e*)

XXXIV. Inter hæc Tridentinus Episcop. *Nicolaus Brunensis* Comitatum Tirolis gubernabat, a quo edocti *Carolus*, & *Joannes*, *Margaretham Maultaschiam* arcana cum *Ludovico Cæsare* consilia coquere, ejusque filio Marchioni Brandeburgico nuptias consensu Ordinum Tirolensium polliceri; illico in Tirolim uterque properat. Comperto ita rem habere, *Carolus* quasdem arces Bohemis munivit præsidiis, *Maultaschiam* a proposito ut deflecteret, in castro Tirol inclusit. *f*) Pacata aliquantum videbatur Tirolis, proinde *Rex Joannes* bono animo Pragam pervectus, convocatis omnibus Bohemiæ, & Moraviæ Ordinibus; *Carolum* in Regno Bohemiæ successorem constituit. *g*) Sed paucos post menses Tirolis jacturam fecit. Namque *Maultaschia* inexhaustæ libidinis, projectæque audaciæ femina, in libertatem se vindicavit, & conjugem suum *Joannem* misit in carcerem. Hic e custodia elapsus, Pragam profugit; illa eodem ob impotentiam (id nomen culpæ prætexuit suæ) repudiato, nupsit *Ludovico* Brandeburgico Marchioni, cui Cæsar *Ludovicus* Tirolim, Carinthiam, & Carniolam clientelari jure concessit. *h*) Verum hoc facinore animos Principum Imperii graviter offendit Cæsar, de quo *Joannes Rex*, quum injuriam armis ulcisci nequiret,

A. C. 1341.

1342.

e) Pelzel in vita Car. p. 92. & ibid. diplom. n. 24.

f) Car. in vita sua p. 103.

g) Neplacho ad an. 1342. apud Dobner mon. ined. T. IV.

h) Pelzel in vita Caroli p. 101. seqq.

ret, ubivis fere gentium querebatur. *i*) *Carolus* interim Bohemiæ curam ita egit, ut Moraviam non parvi penderet. Olomucii a *Joanne Episc.* & Capitulo rogatus, ut eorum jura firmaret, non precibus modo annuit, sed Præposito etiam Ecclesiæ Olomucensis dignitatem *Cancellarii* in Marchionatu Moraviæ perpetuam esse voluit. Ut ne monasterium Lucense prope Znoymam a Cz'uda, sive judice provinciæ in jus vocaretur, Brunæ sanxit. Hermanno olim medico suo, ad S. Petrum Brunæ Præposito, ejusque successoribus multas immunitates concessit. *k*) Pragæ in Ecclesia metropolitana instituit XXIV. *Mansionarios* (Chorherrn) nempe duodecim Presbyteros, sex Diaconos, ac totidem Subdiaconos, qui in collegio sub disciplina Præcentoris, sive Præsidis communiter viverent, statisque horis de B. V. Maria officium, & in aurora Missam decantarent. *l*) His decenter sustentandis *Carolus* Marchio assignavit bona Cz'ernilov, & Jasseny in Moravia, ac triennio post Clementis VI. Pont. consensu, eidem collegio addidit capellam S. Laurentii Preroviæ *) in Moravia cum omnibus villis, & reditibus. *m*)

2. *Aprilis.*

6. *Decembr.*

A. C. 1343. 7. *Octobris.*

XXXV.

---

i) Chron. Leob. anon. ad hunc an.

k) Diplomata ap. Pelzel in vita Caroli n. 26. 111. 29.

l) Instrum. Fund. in Archivo Capit Prag.

*) *Prerovia* erat tum Moraviæ *urbs regia*, & adhuc *Joannis* Moraviæ Marchionis dominatu florentissima. Splendore ejus ille motus, censuit dignissimam, cui suarum gratiarum adderet decora. Inter alia hujus civitatis ornamenta & illud fuit insigne, quod *Archidiaconatum* suæ Ecclesiæ proprium haberet. *Vid. Strz'edovsky Sac. Mor. hist. L. I. c.* 4. *p.* 26. *seqq.*

m) Dobner. mon. ined. T. III. p. 291. 296. 334.

Un-

XXXV. Sub idem tempus *Rex Joannes* Pragam advectus est, quocum *Marchio* noster adversus Boguslaum Ducem Lithuaniæ movit; unde redux paratas Kalissiæ ab Rege Poloniæ *Casimiro* insidias evasit consilio felicissimo. *n*) Mox cum patre Avenionem ad Pontificem *Clementem VI.* (hic *Petrus Rogerius* dictus, olim Parisiis *Caroli* moderator erat) profectus est, qui *Ludovicum* Cæsarem exosus, *Carolo Marchioni* non modo regnum Germaniæ obtulit, sed ejus quoque precibus dedit, ut Episcopus Pragensis *Arnestus* archiepiscopali dignitate, ac prærogativa, alias Præsulibus Moguntinis propria, Reges Bohemiæ coronandi ornaretur. *o*) Ea voluntate Pontificis, ut nihil *Regi*, & *Marchioni* optabilius fuit, ita non parum suffulserunt eandem in comitiis Rentii (Renſee) habitis, ubi *Rex Joannes* coram *Ludovico Cæs.* injurias sibi, suoque filio illatas adeo graviter querebatur, ut Electores his, aliisque caussis vehementer commoti, alium Romanorum Regem eligendum, eoque honore *Carolum Marchionem* præter ceteros dignum palam adsererent. *p*) Solutis eapropter comitiis, *Marchio* noster ad suos revertit, ac Teschinii duobus Moraviæ Proceribus *Jaroslao*, & *Alberto a Sternberg* fratribus, ob egregiam eorum virtutem domi, militiæque cognitam, atque in compensationem damnorum, & *Ca-*

A. C. 1344.

Unde patet Mansionariorum officium, & nomen tempestate Hussitica extinctum esse in Bohemia. De Mansionariis Brunæ fundatis dicetur infra ad an. 1356.

n) Carolus IV. in vita sua. p. 104.

o) Pelzel in vita Caroli p. 121. Odoric. Raynald. Annal. Eccles. T. XVI. p. 191.

p) De Olenschlager Geschichte der ersten Hälfte des XIV. Jahrhundertes. p. 340.

captivitatis, quam subiverunt, oppida Moraviæ Ussoviam, & Neostadium cum tredecim pagis duntaxat 2300. marcis argenti emta, feudi jure concessit ea solum lege, ut equis, & viris, quemadmodum decet vasallos, auxilio sibi forent belli tempore. q) Ac reipsa bellicosus illuxit annus consequens, quo *Rex Joannes*, ejus filii *Carolus*, & *Joannes* cum *Arnesto* Archiepisc. Pragensi arma intulerunt *Casimiro* Poloniæ Regi, qui & insidias nuper struxit *Carolo Marchioni*, & *Bolkoni* Duci Suidnicensi junctus fœdere, hostiliter in Silesia, Bohemis propria, faciebat. At quum in regione Bolkonis decem hebdomadum spatio pervastant omnia, urbemque Suidnicium obsident; certiores facti, vicinis ab hostibus longe gravius imminere bellum, celeriter in Bohemiam redeunt. r) Nempe *Ludovicus Cæsar* adversus *Joannem Regem*, & *Marchionem Carolum* pellexit in fœdus *Ludovicum* Brandeburgicum, *Ludovicum* Hungariæ, & *Casimirum* Poloniæ Reges; *Albertum* Austriæ, & *Bolkonem* Suidnicii Duces. Primus in aciem exiit *Casimirus* Rex, factaque in Ducatum Oppaviensem cum Polonis, & Hungaris irruptione, urbem Saaram obsedit. Quapropter *Joannes Rex* cum 500. galeis Oppaviam diurnis, nocturnisque itineribus contendit. Patri comitem se præbuit filius *Joannes*; *Carolus* ad observandos hostes ceteros mansit in Bohemia. Sed prævenit Regem, & Bohemos *Zdenko a Lippa* Moraviæ Promarchio, qui cognito Ducis Oppaviensis periculo, summa celeritate non parvas collegit copias, in hostes

28. *Decembr.*

A. C. 1345.

q) Diploma apud Pelzel in vita Caroli n. 37. Captivitatem Sternbergii subiverunt Frankensteinæ in Silesia año 1335.

r) Carol. in vita sua p. 105. Benessius apud Pessina Mart. Moc. p. 419.

ſtes Saaræ obſeſſores irruit, primo impetu in fugam eos vertit, & Cracoviam uſque fugientes inſecutus 300. Hungaros cecidit, præter Polonos, captosque 60. nobiles. Haut vero diu obtenta lætabatur victoria. Quum enim fugientibus inſiſtendo avidius, cum audaciſſimis quibusdam (erant 76. numero) ſe ſe proripuiſſet in urbem Cracoviam, cancelli ferrei (Schoßgatter des Thores) prius, quam poſt veniſſent reliqui, a civibus dejecti ſunt, ille autem præcluſo omni aditu, captus. Altera mox die *Joannes Rex* copiis ſuis Cracoviam circumdedit, combuſtisque ſuburbiis, viciniam longe, & late vaſtavit. *Caſimirus* Rex malo medelam laturus, miſſis legatis primum inducias, dein captivis redditis pacem impetravit, ad quam ceteri etiam fœderati, præter Cæſarem, acceſſerunt. s) Verum & iſte deſertus a fœderatis, per legatos pacem petiit, eamque Treviris a Rege quidem obtinuit, ſed ejus conditiones *Carolus*, & *Joannes* reſciderunt. t)

XXXVI. Hunc in modum tempeſtate, quæ Bohemis, & Moravis interitum minabatur, feliciter diſſipata, Marchio noſter *Albertum de Sternberg* Moraviæ Promarchionem u) conſtituit, & cum Rege ad Papam iter ſuſcepit Avenionem. Iſtic de Ludovico, a regno Germaniæ amovendo, habita deliberatio; tum *Carolus* conditiones a Papa propoſitas ſubſcripſit, Papa viciſſim admovit manum operi, quo *Carolus* Rex Romanorum eligeretur. Id quod facili negotio per-

A. C. 1346. 15. Februar.

s) Carolus IV. in vita ſua p. 105. — Pelzel in vita illius p. 136.

t) Carl. l. c. p. 106.

u) Liber caſuum forenſ. Morav. p. 64.

perfectum Rentii ad Rhenum, ubi Electores Imperii *Ludovico Bavaro* a cæsarea dignitate amoto, Moraviæ *Marchionem Carolum* communibus suffragiis elegerunt *Romanorum Regem, & Imperatorem.* x) Coronatione interim dilata, novus *Rom. Rex,* & *Joannes Philippo* Galliæ Regi adversus Anglos subsidio iverunt cum Bohemis, & Moravis, quos in comitatu habuerant, adlecto Lucemburgi exercitu. Verum inito ad Carisiacum (Cressi) in Picardia prælio acerrimo, Galli immanem perpessi cladem; *Rex Joannes,* quum etsi captus oculis, ex acie nollet excedere, fortissime dimicans occubuit; *Carolus Rom. Rex* multis vulneribus acceptis, per vim suorum ereptus morti; plurimi ex Bohemis, & Moravis clarissimi viri tum ferro, tum castrensibus machinis (usus pyrii pulveris hoc in bello primum patuit) occisi fuerunt. y) Sanatis vulneribus, Bonnæ in frequentia Imperii Principum coronatus est *Romanorum Rex Carolus,* qui in serie Imperatorum *Quartus, Primus* in historia Bohemiæ audit. z) Pragam deinde attigit, effusumque suorum gaudium eo magis auxit, quod publicis testaretur litteris, antiqua Bohemorum, & Moravorum jura semper firma, & rata fore; nullum vectigal commune, nisi necessitas premat, ab eisdem exigendum; in Bohemia duntaxat Bohemos, Moravos in Moravia ad honores, & dignitates provectum, & ultra limites ad castra sequenda coactum iri neminem. a) Tam liberaliter in omnes beneficus,

A. C. 1347. 13. *Januarii.*

x) Raynald. añal. Eccles. T. XVI. p. 234. Pelzel in vita Car. p. 140.

y) Procop. Lupac. in vita Car. IV. Chron. Leob. pag. 968. Pessina Mart. Mor. p. 423.

z) Albert. Argentin. Pelz. hist. Boh. p. 235.

a) Dipl. ap. Pelzel in vita Carol. n. 192.

cus, omnium animos denuo sibi devinxit. Fratrem quoque suum *Joannem* haud mediocri affecit lætitia, quum comitatus Tirolis loco Marchionatum Moraviæ eidem se traditurum polliceretur. *b*) Quin immo perpetuum, plenumque Bohemis ut afferret gaudium, precibus Episcoporum adductus, regiam Bohemiæ coronam sibi, ac Reginæ *Blancæ* imponi permisit: quæ solennia *Arnestus* Archiep. Prag., ejusque Suffraganei *Joannes Olomucensis*, & *Joannes Litomislinsis* apparatu splendidissimo peregerunt. *c*) Bina insignis corona *Carolus* in procinctu fuit, ut bello persequeretur æmulum suum *Ludovicum Bavarum*; audita vero morte illius, parvo cum comitatu, in quo *Joannes Episc. Olom.* erat, ad præcipuas Germaniæ urbes invisit, pacatisque omnibus, in Bohemiam revertit; ubi nova civitate ornandæ Pragæ, erigendæ celeberrimæ Academiæ, rebus ad communem subditorum salutem constituendis plurimum temporis, & laboris impendit. *d*) Hæc inter negotia *Rex Carolus* etiam Moravorum tranquillitati, communique bono consuluit. Nam diplomate regio statuit, ut *Episcopatus Olomucensis*, *Marchionatus Moraviæ*, & *Ducatus Oppaviensis* tanquam feuda magnifica ad coronam Bohemiæ, sicut antiquitus, ita deinceps, immediate pertinerent; proinde *Episcopus Olomucensis*, *Marchio Moraviæ*, & *Oppaviæ Dux*, præstito fidelitatis juramento, ditiones, ac possessiones suas feudi nomine acciperent

2. Septembris.

A. C. 1348.

b) Beness. Dobneri p. 31. Hist. Cartus. p. 923.

c) Pelzel in vita Carol. p. 177., & hist. Boh. pag. 236., ubi coronationis solennia refert.

d) Pelzel in vita Caroli p. 182 — 208., & hist. Boh. 240.

rent a Bohemiæ Regibus. *e*) *) Ne res furto ablatæ oppignorarentur judæis perfidiosis, auctoritate regia sanxit, ne quis judæorum in civitate Brunensi moram trahens, quodcunque pignus a quibusvis personis notis, vel ignotis post occasum solis recipiat; diurno autem tempore non nisi cum testimonio duorum *juratorum* ejusdem civitatis. *f*) Regia quoque munificentia ratas habuit Ecclesiæ Olomucensis ad S Wenceslaum libertates, & immunitates, quas eidem ut Marchio Moraviæ olim concesserat. *g*)

23. *Martii.*

12. *Aprilis.*

XXXVII. Hæc Pragæ *Rex Carolus*. Paullo post cum Regina *Blanca*, *Catharina* filia, pluribusque Principibus, & Episcopis Brunam venit, ubi præsente *Alberto* Austriæ Duce cum filiis, diplomate firmavit jura omnia, quæ olim Austriæ

23. *Maji.*

O

e) Dipl. ap. Goldast. in append. de jur. & privil. Reg. Boh. p. 291.

*) In hoc diplomate *Carolus IV*. Rom. & Bohem. Rex 1) affirmat jam dudum ab *Ottocaro II*. Bohemiæ Rege Moraviam esse divisam in *tres insignes, & magnificos principatus*, nimirum in *Episcopatum Olomucensem*, *Marchionatum ipsum*, & *Ducatum Oppaviæ*. — Sed Episcopatus Olomuc. pridem cum Marchionatu Moraviæ rursus coaluit; Ducatus Oppaviensi post initam cum *Friderico Borussiæ Rege* año 1742. die 11. Junii Wratislaviæ pacem, est pars Silesiæ Austriacæ. 2) Hos Principatus, adeoque Moraviam integram non a Bohemis Ordinibus, sed a *corona, seu Rege Bohemiæ* immediate dependere, eique feudi jure subjectos esse declarat. 3) Fratrem suum *Joannem* appellat *Marchionem Moraviæ*. Unde liquet priore jam año eundem *Joannem a Carolo Rege* Marchionem Moraviæ esse *nominatum*, licet reapse primum año 1350. exeunte, Marchionatum hunc obtinuerit.

f) Dipl. Car. IV. in Apograph. Strzedovsky Vol. VI. p. 16.

g) Dipl. ap. Pelzel in vita Caroli.

Austriæ Duces a Romanorum Imperatoribus obtinuerant. Dein isto cum comitatu nobilissimo in Austriam profectus, Sevildæ filiam *Catharinam Rudolpho, Alberti Ducis* filio, desponđit. *h*) Inde Pragam cum rediret, Znoymam in Moravia invisens, duo Abbatis monasterii Lucensis privilegia confirmavit, quorum altero in civitatem Znoymam jurisdictio, altero quorumdam prædiorum donatio concedebatur. *i*) Ad hæc eodem anno *Rex Carolus* multo rerum usu clarum Pragæ Burggravium *Willhelmum a Landstein*, Promarchionem Moravis dedit, qui in diplomate Carolino inter alios testes *Capitaneus Moraviæ* appellatur. *k*) Denique Barones, aliique Moraviæ Ordines, consensu regio provincialem Olomucii egerunt conventum, in quo *Tabulæ publicæ* (Landtafel) originem habuerunt, quas *Vitkoni* Ecclesiæ Olomucensis Archidiacono tradideruut: *Stephanus de Sternberg, Joannes de Kravarz', Erhardus de Kunstad*, summi Olomucenses, & Brunenses Camerarii. *l*) Erant hæc initia status felicissimi, qui Rege Romanorum *Carolo* Moraviæ obtigit, præcipue quum biennio post denuo proprium in *Joanne* Marchionem suspexit. Nam *Carolus Rex*, toto demum imperio pacato, Marchionatum Moraviæ cum omnibus bonis, & juribus, queis ipse olim fruebatur, *Joanni* fratri suo liberaliter cessit. Is contra jam tum se obligavit, *Regi Carolo* ad feren-

6. Junii.

26. Julii.

A. C. 1350. 4. *Januarii.*

Joannes II. Moraviæ Marchio XII.

h) Dumont Corps diplom. T. I. P. II. pag. 246. Benesl. Dobneri p. 34.

i) Añal. Ord. Præmonstr. T. I. Probat. p. 48. Et dipl. ap. Pelzel n. 115.

k) Diplom. hujus añi apud Hammerschmid in hist. monasterii S. Spiritus Pragæ. p. 133. — Item cas. forens. fol. 96. Et Lib. D. de Kravarz'. fol. 2.

l) Apograph. Strz'edovsky Vol. VI. p. 6.

rendum auxilium non modo adverſus hoſtes exteros, ſed etiam contra Bohemiæ Proceres, aliosque regni Vaſallos, ſi forte donationem hanc improbare, aut rebellionem cœptare vellent. Promiſit etiam, daturum ſe operam totis viribus, ut abreptæ regno Bohemiæ poſſeſſiones, quarum nonnullæ adhuc in manibus erant nobilium Bohemorum, quoad fieri poterit, reſtituantur. *m*) At enim *Joannes* dictus adhuc, ſcriptusque fuit *Marchio Moraviæ*. Nihilominus magnis ſumtibus fundavit monaſterium Eremitarum S. Auguſtini, quod cum Eccleſia *B. V. Mariæ, & S. Thomæ Apoſtolo* ſacra, ſexennio poſt exædificavit. *n*) Hoc autem anno exeunte, *Rex Carolus* Pragæ præſentibus multis Imperii Principibus, Epiſcopis, & Baronibus, reipſa Marchionatum Moraviæ *Joanni* tradidit. Id quod Rex prolixis teſtatum fecit litteris, quibus *Joanni* fratri ſuo, ejusque poſteris maſculis eundem Marchionatum, ut feudum coronæ Bohemiæ, concedit; excipit tamen *Epiſcopatum Olomucenſem*, & *Ducatum Oppavienſem*, quem utrumque Regibus Bohemiæ duntaxat obnoxium declarat. *) Tum & certam reddit Marchioni, ac

1. Februarii

26. Decembr.

O 2 filiis

m) Beneſſ. Dobneri p. 35. Litteræ publ. ap. Balbin. Dec. I. L. VIII. Vol. I. p. 167.

n) Inſtrum. Fund. in kurzgefaßter Geſchichte über den Urſprung der heutigen Ordensklöſter.

*) Quum *Carolus Rex* his litteris, uti & alii ante Bohemiæ Reges, quoties fratribus, aut filiis, ſuisve cognatis Principibus Moraviam conferebant, diſerte ſemper *Epiſcopatum Moraviæ*, & *Ducatum Oppavienſem* exceperint; hi *Epiſcopi*, ac *Duces* ab omni ſubjectione, & reſpectu ad Marchionem Moraviæ abſoluti, immediate *ſoli Regi* Bohemiæ ſubjecti fuerunt. Ex quo clare patet, *Oppavienſem provinciam* olim ad Marchionatum Moraviæ

filiis illius hereditariam in regno Bohemiæ successionem, si posteritas sua mascula extinguatur. Quæ omnia testimonio suo firmarunt, ac subscripserunt: *Arnestus Archiep. Pragensis*, Episcopi *Joannes Olomucensis*, & *Nicolaus Neümburgensis*, *Rudolphus* Dux Saxoniæ, & *Rupertus* Palatinus; tandem post Bohemos etiam Barones Moravi: *Stephanus*, & *Jaroslaus a Sternberg*, *Bernardus a Cimburg*, *Joannes a Boskovitz*, *Henricus a Lichtenburg*, *Jenczo*, & *Proczo a Lomnitz*. o)

6. Decembr. Eodem pariter die *Joannes Marchio* datis litteris fatebatur: sibi, suisque heredibus virilis sexus, Marchionatum Moraviæ, qua nobile feudum regni Bohemiæ, a fratre suo Carolo ut Rege Bohemiæ esse traditum; eundem Marchionatum nulla prole mascula superstite, denuo Regibus Bohemiæ, ceu Dominis directis restituendum; jure in regnum Bohemiæ, & comitatum Lucemburgicum, donec supererunt Caroli heredes masculi, se ultro cedere; demum se, suosque heredes Marchiones Moraviæ obligari ad petendam a Regibus Bohemiæ investituram, quam præsentibus Moravis Dominis intra limites Bohemiæ suscipere teneantur. Has litteras iidem, qui priores *Caroli Regis*, subscripserunt. p)

XXXVIII.

---

viæ pertinuisse; secus enim illam excipere opus non fuisset. *Ita Pessina Mart. Mor. p.* 424.

o) Dipl. ap. Balbin. Dec. I. L. VIII. Vol. I. p. 167. & Dobner mon. ined. T. IV, p. 335. qui datum legit *VI. Kalendas Jan.* seu 27. Decembris. Sed D. Pelzel in vita Caroli pag. 327. monet copiar. Nostitz habere *VII. Kalendas Januarii*, sive 26. Decembris.

p) Sommersberg T. I. pag. 976. & Dobner l. c. p. 325.

XXXVIII. Atque ita rursum Moravi proprium obtinuere Marchionem, cujus perinde, ac *Regis Caroli* regimine sapientissimo, aurea in Bohemiam, & Moraviam secula rediisse videbantur. Amota enim procul bella, pax revocata, instauratæ urbes, novæ exstructæ arces, emendatæ leges, restituta judiciis auctoritas, sacrorum cultui pietas, & quod præcipuum, ubique locorum effloruit securitas. q) In commerciis quoque ad subditorum utilitatem magis, magisque provehendis elaborarunt nostri Principes adeo, ut Bohemi, Moravique non in vicinis modo regionibus, sed in Russia etiam, & Prussia negotiarentur. Quod impedire, ac nostros devehendis has in terras mercibus prohibere quum niterentur Poloni, præsertim Cracovienses mercatores; *Rex Carolus* anni hujus mense Julio sanxit, ut civitates: *Praga*, *Olomucium*, *Bruna*, & *Neostadium* negotiatoribus Polonis transitum, ac mercium depositionem eousque negarent, dum ipse hanc legem tolleret r). Hanc vero, haut dubie consensu *Regis Caroli*, postea sustulit *Joannes Marchio*, datis Brunæ in Moravia litteris publicis, quarum notatu digniora adferimus: " Nos Joannes Dei gratia " Marchio Moraviæ — cupientes, ut fideles " nostri Vasalli — per varia subsidia, & emo- " lumenta e tenuitate, & indigentia ad majo- " ra fortunarum suarum incrementa provehan- " tur — Quoniam *in principali urbe nostra Olo- " mucensi* a nonnullis lapsis temporibus publica, " & libera variarum mercium depositio com- " muniter facta fuit; iccirco statuimus, ut hæc " mercium depositio, eadem prorsus lege, qua

A. C. 1351 1. *Januarii.*

 " huc-

q) Pessina Mart. Mor. p. 425.

r) Dipl. ap. Pelzel in vita Caroli n. 76.

" huc usque facta est, posthac in perpetuum
" futuris temporibus observetur, praesertim
" autem, ut mercatores Cracovienses merces
" suas, quas Olomucium advecturi sunt, isthic
" deponere, ac vendere teneantur, dein
" praecipimus, ut communes illae viae ad Mar-
" chionatum Moraviae, & ex illo ad nomina-
" tam civitatem Olomucensem ab omnibus, &
" singulis sub poena jacturae earundem mer-
" cium, si deviare praesumserint, observentur.
" Quapropter mandamus Consuli Olomucensi,
" & Judici provinciali sub comminatione in-
" dignationis nostrae, ut ab Olomucens. civibus
" requisiti, iis omnibus viribus assistant, &
" adversus eos, qui contrarium praesumserint,
" omnia media juris impendant. „ s) Gratas,
si quidquam, Moravis fuisse has litteras, eo
minus est dubium, quo magis eorum felicitatis
studiosum perspexerunt Marchionem. Longe
tamen majore affecti sunt gaudio, quum *Marchio noster*, obtenta a Clemente VI. Pont. facultate, perpetuum cum *Margaretha Maultaschia* fecit divortium, atque in matrimonium duxit *Margaretham*, *Nicolai* Ducis Oppaviae filiam, e qua primis mox annis liberos suscepit, nempe: *Jodocum*, *Joannem*, seu *Sobieslaum*, & *Procopium* filios; filias vero *Elisabetham*, & *Catharinam*, adeoque praetextam a Maultaschia calumniam refutavit. t)

XXXIX. Nec minus erga *Joannem* affectus fuit *Rex Carolus*, qui ut multis saepius documentis amorem testabatur suum, ita litteris

Wra-

s) Dobner mon. ined. T. IV. p. 336.

t) Benesf. Balbini MS. ap. Pelzel in vita Caroli p. 328.

Wratislaviæ exaratis, castrum Hluboky in Moravia, quod post obitum *Joannis Wolkonis* Episc. Olomuc. ad Regem Bohemiæ rediit, Marchioni nostro donavit cum omni jure, & dominio, Dominis arcium proprio. u) Marchio contra iterum regno Bohemiæ renunciavit, quod *Carolus* primogenito filio suo *Wenceslao*, quem ex secundis nuptiis *Annæ* Bavaricæ genuit, illud destinaret. x) At heres iste eodem anno e vivis fuit ereptus, ac biennio post & *Anna* Regina obiit. Quare *Carolus Rex* novam sibi sponsam delegit, ac prius Viennam cum *Joanne Marchione* profectus est, ubi hos inter, & *Albertum*, ac *Rudolphum* ejus filium, adversus quemlibet hostem fœdus initum, Bohemisque, & Moravis mercatoribus promissa in terris Austriacis tutela, ac præsidium. y) Tum Episcopatus Olomucensis jura, ac libertates, sive a Regibus Bohemiæ, sive a Marchionibus Moraviæ concessa, Rex Roman. confirmavit. z) Extremo nuptiis Budæ cum *Anna* Henrici Ducis Jaurensis, & Suidnicensis filia, & Ludovici Hungariæ Regis nepte celebratis, in Moraviam venit, Saarensis monasterii immunitates ratas habuit, illudque protegendum commendavit itineris sui comitibus, Dominis Moravis: *Henrico a Vetau, Benessio a Meseritz, Boczkoni a Cunstad*, & hujus fratribus. a) Exinde Rex negotiis imperii expediendis se dedit; Marchio communi Moraviæ

17. *Octobris*

A. C. 1353
14. *Martii.*

5. *Maji.*

23. *Junii.*

O 4

u) Dipl. ap. Pelzel l. c. n. 63. Unde patet castrum Hluboky inter privata Joañis Episc. Olom. bona censum esse.

x) Litteræ renunciat. apud Dobner mon. ined. T. IV. p. 337.

y) Ibidem p. 342.

z) Dipl. apud Pelzel l. c. n. 118.

a) Archiv. Saarense apud Pelzel in vita Caroli pag. 363.

1354. raviæ bono consulturus, publicum Olomucii emporium instituit, datisque Brunæ litteris, merces omnes ex Imperio, Bohemia, Polonia, aliisque terris finitimis advectas ibidem deponendas jussit prius, quam alio transferantur. *b*) Id quod statuit consensu *Regis Caroli*, quocum Augusti. dein Sulzbachii adfuit celebri concordiæ, qua *Ludovicus* Bavariæ Dux, & Comes Tirolis firmam, ac stabilem amicitiam cum Principibus nostris iniit. *c*) Sulzbachio *Joannes Marchio* in Moraviam verisimilius revertit. Quum enim 1355. *Carolus* Mediolani coronatus Rex Italiæ fuit; Januarii. *Joannes a Neümark* Episcopus Litomisliensis Marchionem nostrum litteris edocuit de felici rerum in Italia successu fratris illius. *d*) Postea Aprilis. vero, quam *Imperatoris Romanorum* corona Romæ imposita *Carolo* fuerat, præter plurimos Imperii Principes, Bohemiæque Nobiles, aderant solum ex Moravis: *Joannes Oczko* Episc. Olomuc. & *Nicolaus* Dux Oppaviensis, tum Domini cohortibus suis instructi: *Zdenko de Lomnitz*, *Smilo de Daubravitz*, *Benessius de Namiestio*, *Bohuslaus de Viczkova*, *Wenceslaus de Svabenitz*, *Villhelmus de Gemnitz*. Quorum perinde, ac Bohemorum virtus in defendendo *Imperatore Carolo*, Pisis per insidias rebellium tantum non oppresso, tam præclare enituit, ut militari balteo, & torque aureo singuli donarentur. *e*) De suo hoc periculo, quod ope suorum evasit, Ca-

b) Litteræ apud Dobner mon. ined. T. IV. p. 345. Ex quibus patet, Olomucio *jus stapulæ* concessum.

c) Pelzel in vita Caroli p. 402.

d) Idem ibid. p. 439. & Urkundb. n. 126.

e) Beness. apud Pessinam Mart. Mor. pag. 426. Hagek ad hunc annum. Dubravius hist. Bohem. L. XXII.

Carolus certiorem fecit *Joannem Marchionem*; *f*) 26. *Septembr.* Pragam autem redux eidem Marchionatum Moraviæ, ut *Imperator Roman.* denuo contulit ſimili exemplo litterarum, quas uti *Bohemiæ Rex*, nuper jam dederat. Illud ſolum erat præcipuum, ac ſingulare, quod nondum genito ex *Anna* Sileſia *Wenceslao*, conſenſu Ordinum Bohemiæ declaraverit, *Joannem Marchionem*, & ejus filios regno Bohemiæ, ceterisque ditionibus potituros, ſine prole maſcula ipſe ſi decederet. *g*)

XL. Non multo poſt *Joannis Marchionis* *A. C.* 1356. munificentia, & monaſterium Eremitarum S. Auguſtini, & eccleſiam illi adſitam Brunæ conſtruxit. Quapropter *Imper. Carolus* expugnata arce Ziampach, e qua graſſator quidam *Panczirz'* in Moraviam uſque latrocinandi cauſſa excurrebat, *h*) ad celebrandam illius eccleſiæ dedicationem Brunam venit. Tum autem *Joanni Marchioni* donaſſe fertur imaginem *B. V. Mariæ* manu S. Lucæ Evangeliſtæ depictam, quam olim Rex Bohemiæ *Wladislaus II.* anno 1162. per milites ſuos, militiæque Duces, Mediolano Pragam attuliſſe, dicitur. *i*) *) Imagi-

f) Pelzel in vita Caroli Urkundb. n. 305.

g) Goldaſt. in Supplem. p. 301. Et Litteræ urbium Morav. Znoyma, Iglau, Brünn, ap. Dobner mon. ined. T. IV. p. 350.

h) Pelzel in vita Caroli p. 520.

i) Peſſina in Prodr. ad h. añ. Dobner Añal. P. VI. p. 424.

*) Liber, cui titulus: *Gemma Moraviæ*, editus Brunæ anno 1736. quatuor hæc potiſſimum adſerit: 1) Hanc B. V. Mariæ imaginem a S. Luca Ev. eſſe pictam (P. I. c. 2.) 2) Inventam eſſe, allatamque ab *Helena* Imper. Conſtantinopolin ad Eccleſiam S. Sophiæ. 3) Translatam eſſe Mediolanum per S. Euſtorgium I. Epiſc. Mediolanenſem.

ginem hanc postmodum *Joannes Marchio* in sacello penes ecclesiam S. Thomae exstructo publi-

4.) Per Wladislaum II. Boh. Regem Mediolano Pragam, deinde per Carolum IV. Imp. Brunam in Moraviam fuisse delatam. — Postremum hoc, videlicet *imaginem hanc Mediolano Pragam, Praga Brunam fuisse delatam*, negari vix potest, quum id perpetua traditione ad tempora nostra pertigerit, & auctor *Gemmae Moraviae* P. I. c. 3. referat diploma tredecim Episcoporum año. 1357, item Joañis Ep. Olom. anno 1373., aliorumque seculis sequentibus, quae diplomata supponunt, imaginem B. V. Mariae a S. Luca depictam jam seculo XIV. Brunae ad S. Thomam exstitisse. Cujus proinde cultui nihil prorsus detractum volumus. — At vero apud coaevos scriptores Bohemiae haud reperitur, imaginem hanc a Friderico I. Imper. año 1162. destructo Mediolano, donatam esse Wladislao II. Bohemiae Regi. Nam Vincentius (apud Dobnerum. mon. ined. T. I. p. 72.) narrata destructione urbis Mediolanensis, de hac donatione tacet. Pulkava (ibid. T. III. p. 185.) refert quidem ad annum 1163. Bohemorum Principibus donatum *pedem candelabri*, quondam per Salomonem in templo Jerusalem fusorio opere fabricati; sed de imagine altum silet. Similiter tacent coaevi historiographi donationem illam Joanni Marchioni a *Carolo Imp.* esse factam, etsi multa de reliquiis Ecclesiae Prag. memoriae prodiderunt. — Quod *Gemma Moraviae* c. 5. seqq. refert de imagine per *Helenam Imp.* inventa, & Constantinopolim allata, merae sunt hariolationes, quippe sine tabulis veterum. — Eam imaginem Constantinopoli Mediolanum delatam, quum SS. trium Regum corpora illuc translata sunt: pariter sine veterum testimonio adseritur. Immo, ut ait Doctissim. Fleury hist. Eccles. T. XVII. p. 416. *quo pacto haec corpora Mediolanum pervenerint, quis perspiciat?* — Denique Doctissimi viri: Henricus Valesius in suis ad Euseb. L. III. c. 4. adnotationibus, Elias du Pin in Bibliotheca, Tillemontius in vita S. Lucae, Calmet in

blicæ venerationi exponendam curavit, & quemadmodum *Carolus* anno 1343. Pragæ, ita is Bru-

in præf. ad Evang. S. Lucæ, & in biblico Dictionario, Hyacinth. Serry T. III. exercit. 48. Lamy in actis litterar. T. XI. &c. S. Lucam Ev. artis pictoriæ ignarum fuisse, solidis probant argumentis. E quibus hæc præcipua: S. Paulus ad Colossens. c. ult. S. Lucam duntaxat *medicum* vocat: *Salutat vos Lucas medicus cariſſimus*; & SS. PP. de eo, quod S. Lucas profitebatur, officio loquentes, eum non nisi *medicum* dixerunt. Dein fide penitus indigna sunt testimonia (his Gemma Moraviæ nititur) Theodori Lectoris seculi VI. Simeonis Metaphrastis sec. IX., & Nicephori Callixti sec. XIV. Scriptorum, qui innumeras venditarunt fabulas. Tandem Nicæni II. concilii Patres, quum S. Scripturæ, traditionis, & peculiarium monumentorum auctoritate, sacrarum imaginum cultum contra Iconoclastas defenderent; profecto non omisissent in ejus rei argumentum *picturas S. Lucæ Evangelistæ* adducere, siquidem exstitissent — Frustra igitur sunt; Sandinus hist. Apost. pag. 289. Prosper de Aquila Diction. mon. Biblic. Et Gretscherus T. XV. de imagin. qui picturas S. Lucæ Ev. tribuunt, quarum auctorem *pium quemdam*, ac *religiosum* pictorem nomine *Lucam* (apud Lamy l. c. Epitome dissert. de sacris imagin. *Florentinus pictor Lucas, sanctus vulgo dictus*, sec. XI. vixit.) eruditi non diffitentur. Quid multa? oleaginei imaginum colores, & inscriptio ΜΡ. ΘΥ. Μητηρ θεου ætatem S. Lucæ Evangelist. prorsus non ferunt. Licet itaque uti verbis Cl. Muratorii L. I. de ingen. moderat. c. 16. "Nemo olim dubitabat de iconculis B. Lucæ adscriptis, de Veronica, aliisque id genus innumeris; at ista nunc falsi coarguuntur a doctissimis viris, aut saltem non ea esse exploratum est, quibus tam facile sit fides adjungenda: cum historici præstantiores, & veneranda antiquitas, & temporum series iisdem sive aperte, sive tacite adversentur."

Brunæ conſtituit *Manſionarios*, qui Miſſam in-dies legerent, & laudes Deiparæ concinerent *k*) Interea *Marchio* noſter comes individuus fuit *Carolo Imp.*, quum diverſas regni ſui ditiones luſtraret. Pragæ autem publicam dedit fidem, nihil ſe penitus a regno Bohemiæ alienaturum, ſi hereditaria ſucceſſione illud conſequeretur. Quam ſucceſſionem *Joanni*, ejusque heredibus, tum antiqua Pragæ civitas, tum Olomucium, Bruna, Iglavia, Znoyma, aliæque Moraviæ urbes (numero tres, & quadraginta) teſtimoniis firmarunt ſuis, ac fide interpoſita, quæcunque *Joannis Marchionis* pacta, & promiſſa roborarunt. *l*) Atque hinc factum, ut Moravorum plurimi cupide, ac libenter arma ſumſerint adverſus *Albertum* Auſtriæ Ducem, qui Bohemis cum Baronibus Roſenbergiis conjurationem fecit. Sed Roſenbergios *Carolus Imp.* facile compreſſit; *Joannes* autem *Marchio* copiis ſuis Auſtriam vaſtavit adeo, ut Auſtrii pacem a *Carolo* peterent. *m*) Auſtria pacata, Marchio prædatorias arces in Moravia *Rabenſteinam* intra Geſſenikæorum montium anfractus, *Jaworkam*, & *Daleczinam* ad confinia Bohemiæ, partim iſto, partim ſequente anno expugnatas diruit, ac Moravis rurſum tranquillitatis otia peperit. *n*) Neque aliud quid memoratu dignum Moraviæ his annis accidit, niſi pactum *Caroli Imp.*, *Joannis Marchionis*, & *Bolkonis* Ducis Suidnicenſis, quo ſtatuitur, ut, ſi *Carolus* maſculi heredis expers moreretur, unus e Marchionis noſtri filiis *Eli-*

A. C. 1357.

1359. 14. *Februar.*

k) Beneſſ. B. Ibini ap. Pelzel in vita Caroli p. 117. in notis.

l) Goldaſt in Supplem. p. 314. Pelzel in vita Caroli p. 528.

m) Beneſſ. Dobneri l. c. p. 39. ad hanc an.

n) Peſſina Mart. Mor. p. 327.

Elisabetham Caroli, & *Annæ* filiam matrimonio ſibi jungeret, eorumque poſteri Bohemiam, & Ducatum Suidnicenſem hereditate obtinerent. Ut vero matrimonium hoc Romani Pontificis conſenſu iniretur, jam tum eidem centum millia florenorum monetæ Florentinæ deſtinata fuerant. *o*) Sed varias ſucceſſionis hereditariæ viciſſitudines tandem ſuſtulit Norimbergæ natus *Carolo Imper.* filius, innumeris expetitus votis, qui ſacris undis ablutus, ſortitur nomen *Wenceslaus*, poſtea *Wenceslai pigri* nomine ſatis notus. *p*) Novus hic regni heres incredibili *Carolum*, Bohemosque affecit gaudio. Neque mœſtitiam intulit *Marchioni* noſtro, qui pacis ſtudioſiſſimus, paullo poſt cum *Rudolpho* Auſtriæ Duce ſanctiſſimum amicitiæ ictt fœdus, idque etiam a Cæſare ſtabilitum jurejurando fuit. *q*) At enim *Rudolphus* altero mox anno fœdus rupit, & partes *Ludovici* Hungariæ Regis amplexus cum Poloniæ Rege *Caſimiro*, & *Mainhardo* Bavariæ Duce, pactionem conflat adverſus Cæſarem, & Marchionem. Cauſſa diſſidii hujus præcipua fuit Domus Lucemburgicæ potentia, quam peroſi Principes illi fœderati, contra jus, fasque arma ſumſerunt. *r*) Principes noſtri nequidquam terrriti, pariter conſilia omnia in bellum converterant. Nihilominus præter opinionem *Rex Ludovicus* conflato exercitu, caſtra figit ad Trentſchinium, & *Ladislaum* militiæ Ducem expedito cum equitatu in Moraviam mittit. Hic tanta cum celeritate vicos, & caſtella minus munita, ferro, flammaque populosque

A. C. 1361. 26. *Februar.*

1362.

---

o) Dipl. ap. Pelzel in vita Caroli n. 285.

p) Beneſſius de Veitmile ap. Dobner mon. ined. T. IV. ad hunc añ.

q) Steüerer in addit. pag. 323. & Lunig. C. G. D. T. I. p. 1263.

r) Scriptores cit. ap. Pelzel In vita Caroli p 713.

populatur, abactis autem pecoribus, agrisque vastatis, præda onustus fugam arripit, ut subitæ crudelitati obsistere non licuerit. s) Quo audito Cæsar Kolinio, ubi copiæ ejus se collegerant, Moraviam versus movet. Prius tamen, quam belli aleam subeat, more suo *Bolkonem* Suidnicii Ducem Trentschinium mittit, cum Rege *Ludovico* de pace acturum. *Ludovicus* cognito, Austriæ Ducem nullas ex fœdere suppetias sibi ferre; *Caroli* votis annuit, pactusque inducias, pacificatores ad eum mittit: qui tamen, Hungaris interim dispersis, re infecta redierunt. Sedata igitur aliquamdiu solum tempestas. t)

XLI. Sub idem tempus *Anna Imperatrix* perinde ac *Innocentius VI. Pontifex* naturæ debitum solverunt. Occasus Imperatricis graviter afflixit *Imp. Carolum*, ut vero dignus eligeretur Pontifex, Avenionem misit legatum suum *Nicolaum Gremsiriensem* Moravum, Boleslaviæ Archidiaconum, qui *Arnestum* Pragensem Antistitem inprimis commendabat purpuratis Ecclesiæ Patribus. Reipsa quædam suffragia tulit *Arnestus*, plura omnino laturus, modo Italia, vel Gallia fuisset oriundus. u) Hinc pontificiam dignitatem obtinuit *Urbanus V.* natione Gallus, qui postea plurimum operæ impendit, ut confœderati hostes Cæsaris, & Marchionis (pristinum denuo fœdus & Trentschinii, & Posonii instauraverant) animum ad pacem verterent. Hanc tandem conatu suo confecit Pontifex;

30. *Octobris.*

s) Bonfin. rer. Hung. Dec. II. L. X.

t) Thwroczius Chron. Hung. & Bonfin. l. c.

u) Balbin. in Arnesto p. 309. & Pelzel in vita Caroli p. 719.

sex; Cæsar vero firmavit celebratis Cracoviæ nuptiis cum *Elisabetha* filia Ducis Stetinensis, quæ neptis Poloniæ Regis, & consobrina Regis Hungariæ fuit. x) Pragam redux Cæsar tum filio trienni *Wenceslao*, tum conjugi *Elisabethæ* coronam Bohemiæ imponendam curavit, ac biduo post firmavit hereditariam in Marchionatu Moraviæ successionem, a *Joanne March.* dispositam. Summa illius hæc fuit: patri primogenitus ejus filius *Jodocus*, seu *Josephus*, huic mortuo secundus natu *Joannes*, seu *Sobieslaus* succedat; litteræ publicæ, *Carolum* inter, & *Joannem* mutuæ, vigorem obtineant, quibus & *Wenceslaus Rex* teneatur. Marchioni *Joanni* plena sit potestas, castra, munitiones, prædia, terras, reditus aliquos Moraviæ ceteris filiis arbitrio suo erogandi, modo hi eadem beneficiario nomine fratris senioris teneant. Denique idem *Marchio Joannes* omnia, & singula castra, oppida, & dominia, quæ ipse regiminis sui tempore exstruxit, emit, vel quovis modo acquisivit, pro libitu suo cuivis possit vendere, obligare, donare, legare. y) Ita Cæsar nimis, quam providus a turbis in reliquum tempus Moraviæ præcavit. Quo autem diuturnior Moravorum tranquillitas foret, auctore *Catharina* Austriæ Ducis conjuge, arbitros *Casimirum* Poloniæ Regem, & *Bolkonem* Suidnicii Ducem delegit, qui stabilem, ac firmam cum Austriæ Ducibus pacem componerent. Horum arbitrio dies conventui Brunæ in Moravia habendo indicitur, quo *Carolus* cum fratre *Joanne*, magno-

A. C. 1363.

18. *Junii.*

x) Raynald. Anal. eccles. T. XVI. p. 426. Pelzel l.c. p. 721. 726.

y) Dipl. ap. Pelzel l. c. n. 289. Jodocus autem idem notat, quod *Josephus* ex Moravico Jošt, nunc Joseph. *Vid. Cont. Pulkavæ* apud Dobner mon. ined. T. IV. p. 140.

gnoque Principum, Episcoporum, & Bohemiæ, ac Moraviæ Dominorum comitatu venit. Aderant etiam Hungariæ, & Poloniæ Reges, Austriæque Duces, quos inter & sincerum amicitiæ fœdus, & mutua domus Lucemburgicæ, atque Austriacæ successio constituta fuit hac lege, ut ea domus alteri omnibus in ditionibus succederet, cujus heredes masculi, aut feminæ superstites fuerint. z) Quæ omnia stabilita sunt testimonio *Cæsaris*, *Wenceslai* ejus filii, *Joannis Marchionis*, Austriæ Ducum, Bohemiæ, ac Moraviæ Ordinum, & Civitatum. a) Accessit & aliud amicitiæ hujus vinculum, solennes nempe nuptiæ, quas Marchio noster (priore anno orbatus conjuge fuit) cum *Margaretha Rudolphi* Austriæ Ducis sorore vidua, paullo post Viennæ celebravit. b) Quin immo, posteaquam *Rudolphus IV.* Austriæ Dux vivere desiit, fratres illius *Albertus*, & *Leopoldus*, pacta hereditaria Brunæ facta, denuo innovari petierunt. Quapropter cum Cæsare, & Marchione Znoymæ in Moravia convenere, ubi *Carolus* ut *Romanorum Imperator* non solum pacta illa Brunensia rata habuit, verum etiam in solo hoc Moravico Austriæ Ducibus Bohemiæ ditiones, *Wenceslao* filio, & *Joanni Marchioni* Austriæ terras possidendi jus tradidit, si casus hereditariæ successionis incideret. c) Tandem dato Znoymæ diplomate Cæsar testatur, eandem successionem ab omnibus Imperii Electoribus firmatum iri;

A. C. 1364. 8. *Februarii.*

1366. 1?. *Maji.*

z) Dipl. ap. Steüerer l. c. in addit. p. 379. — 383.

a) Diplomata ap. Pelzel in vita Caroli n. 301. 345.

b) Hergott orig. Habsb. T. III. p. 717. Hæc tamen conjux, genita non nisi filia, biennio post obiit, Brunæ in monasterio Augustinensi tumulata. *Vid. anonym. apud Pezium T. II. p.* 379.

c) Lunig. C. G. D. T. I. p. 1299.

iri; neque tamen ideo Marchionatum Moraviæ aliquo nexu cum Imperio teneri, ſed a Bohemiæ Regibus duntaxat pendere. *d*) E quibus omnibus liquet, Brunæ, & Znoymæ in Moravia poſitum eſſe fundamentum ſucceſſionis, ac potentiæ Auſtriacæ, ideoque Moravi ſemper fideli in Auſtriacos Principes fuere animo.

XLII. Tot, tamque firmis Auſtriacos inter, & Lucemburgicos Principes fœderibus initis, Moravi pluribus porro annis optata fruebantur quiete, quæ adeo curæ, cordique fuit *Joanni Marchioni*, ut gravem animi dolorem præſeferret, quum ſigillum majus authenticum ſeu culpa, ſeu dolo cubicularii ſui amiſſum comperit. Pertimuit enim vehementer, ut ne ſigilli hujus præſidio, ſi hominum perverſitate litteras quaspiam ſignari contingeret, ſibi, ſuisque heredibus, ac Marchionatui ipſi diſpendia quævis, & incommoda orirentur. Iccirco triſtes miſit nuncios ad Cæſarem Lucæ in Italia commorantem, qui malo huic remedium adferret. Attulit ille facili negotio, ac per Cancellarium ſuum *Joannem Episc. Olom.* perbenigne reſcripſit, e ſeptenis litteris, quæ ſolum ſignatæ eo ſigillo dicuntur, unas tantum ſe accepiſſe, easque ſigillo novo ſignatum iri, pollicebatur. *e*) Summo id levamento fuit Marchioni, qui deinceps ſubditorum ſaluti, ac pietatis operibus totum ſe dedit. Hinc monaſterio Auguſtinenſi Brunæ donavit pagum Schharditz cum aliis fundis, & prædiis ruſticis; *f*) adſenſu etiam ſuo propenſam excitavit voluntatem *Alberti*

A. C. 1369.

1. Junii.

1370.

P

d) Dipl. apud Pelzel l. c. n. 287.

e) Dipl ibid. n. 288.

f) Kurzgefaßte Geschichte der heutigen Ordensklöster. p. 101.

berti a Sternberg Archiepiscopi Magdeburgensis, ut Sternbergæ in Moravia fundaret Præpositum, & XIV. Canonicos regulares Lateranenses, quibus certos reditus ex pagis, & prædiis Wisovitz, & Stadlcz'e assignavit. g) *) Altero dein anno *Joannes Marchio* mortem sibi impendere præsagiens animo, testamentum scripsit, & maximum natu filium *Jodocum* in regenda Moravia successorem designavit. Quod *Carolus* Cæsar firmavit Wratislaviæ; heres autem *Jodocus* publicis professus est litteris, se a morte Patris sui Marchionatum Moraviæ beneficiario jure Bohemiæ Regis aditurum. h) Promisit etiam servaturum se pacta omnia Bohemiam inter, & Moraviam stabilita; *Cæsari Carolo*, ejus filio *Wenceslao*, eorumque heredibus se auxilio fore; *Marchionis Moraviæ* titulo, quo uti jam cœperat, haut perversum iri jus, quod Bohemiæ Regi in Episcopatum Olomucensem, & Ducatum Oppaviæ competit. i) Neque inanis fuit omnis ea cautio. *Joannes* enim Marchio lentis, ac tabificis febribus, & nervorum dolore diu conflictatus, defectis sensim viribus, lecto affigitur; medicorum tamen opera ad finem prope anni 1375. vitæ suspiria protraxit. Eo va-

A. C. 1371. 4. Martii.

1372.

---

g) Ibid. p. 90.

*) *Albertus a Sternberg*, Dominus castri, & ditionis *Sternberg in Moravia*, matrimonio junctus, plures genuit filios. & filias, sed a morte conjugis suæ ad vota sacerdotii transivit, ac primum Sverinensis, tum Litomislicnsis Episcopus, dein Archiepiscopus Magdeburgensis creatus fuit. *Dobner mon. ined. T. IV. p.* 370. Sed ante mortem suam denuo ad Episcopatum Litomislienſem rediit, ut año 1379. dicetur.

h) Schannat apud Pelzel in vita Caroli p. 844.

i) Lunig. l. c. p. 1351. Dobner mon. ined. T. IV. p. 368.

valetudinis statu erigendum jussit Königsfeldæ prope Brunam Carthusianorum monasterium, idque variis prædiis, ac reditibus donavit. *k*) Quum vero omnem deinde curam vis morbi vinceret, solitoque acerbiores nervorum dolores augerentur, expiatis, more christiani, ac pii Principis, mortalis vitæ nævis, pridie idus Nov. Brunæ obiit diem supremum, annos natus LIII. Mortuum, publico omnium aspectui diebus aliquot expositum, omnes non *uti Dominum*, sed *Parentem optimum* justis luxerunt lacrymis, ac demum singulari exequiarum pompa in templo cœnobii Augustinensis sepelierunt. *l*) Et sane lugendus erat Princeps mitissimus *Joannes*, qui placido, & tranquillo regimine Moravis felicitatem, religioni splendorem, sibi amorem omnium comparavit. Filii ejus, ut dictum supra, erant: *Jodocus*, *Joannes Sobieslaus*, sive *Sobieslavek*, & *Protopius*: filiæ vero: *Elisabetha*, *Catharina*, & *Anna*. Prima fuit matrimonio juncta Silesiæ Duci *Henrico a Falkenberg*; altera cuidam Marchioni Misniæ; natu minima *Petro a Sternberg*. *m*) *Joannes Sobieslaus* sacerdotio se di-

A. C. 1[...] 13. Aug.

12. Nov.

P 2

k) Kurzgefaßte Geschichte der heutigen Ordensklöster p. 81. quod monasterium año 1782. abolitum fuit.

l) Pessina Mart. Mor. L. IV. c. 2. pag. 428. ubi addit morienti adstitisse inter ceteros filios etiam *Jodocum*, & conjugem *Margaretham* Austriacam. — At Jodocus (teste Pelzel in vita Caroli p. 891.) erat tum in comitatu Cæsaris Caroli; Margaretha vero Austriaca jam año 1366. mortua est. Ultima autem Marchionis conjux erat *Elisabetha* Comes de Oettingen. *Vid. Dobner mon. ined. T. IV. p.* 366.

m) Beneff. Balbin. MS. ap. Pelzel in vita Car. pag. 328. Et Pessina Mart. Mor. p. 428. Sed ibid. p. 48. male ponit *Joannem Sobieslaum* tertio loco natum. Nam Dobner mon.

dicavit, & anno 1381. Episcopus Litomisslienfis in Bohemia, dein anno 1387. Patriarcha Aquilejæ creatus est. *n*)

Jodocus, & Procopius Moraviæ Marchiones XIII.

XLIII. Gubernacula Marchionatus Moraviæ a morte patris suscepit *Jodocus*; *Procopius* obtinuit Znoymam, & Iglaviam, castrum Tepenecz, Neostadium (Unczow), & titulum *Marchionis Moraviæ*, *o*) Discrimen tamen seipsum inter, & *Procopium* istud esse voluit *Jodocus*, ut ille quidem *Marchionem Moraviæ* duntaxat, ipse vero *Marchionem*, & *Dominum Moraviæ* se palam appellaret, a quo etiam *Procopius* clientelari jure possessiones suas obtinuit. *p*) Id quod consensu *Caroli Imper.* omnino factum, cui fidem fecit *Jodocus*, ex sua agendi ratione nihil incommodi nasciturum Bohemiæ Regi *Wenceslao*. *q*) Quare constituto Moraviæ Promarchione *Joanne seniore de Mezeritz* *r*) in comitatu Cæsaris adfuit tum Francofurti, ubi *Wenceslaus* Rex Romanorum est electus, tum Aquis-

A. C. 1376. 10. Junii.

mon. ined. T. IV. ad calcem Tab. V. profert sigillum *Procopii* hac epigraphe: *Sigillum Procopii Dei gratia tertiogeniti Marchionis Moraviæ.*

n) Bulla Pontif. apud de Rubeis in monum. Eccl. Aquilej. ad añ. 1387.

o) MS. Balbini Epit. rer. Boh. L. IV. c. 9. p. 458. ubi *Znoymæ Princeps* dicitur Procopius. Et litteræ Procopii Marchionis apud Pezium T. VI. Cod. diplom. P. III. p. 125.

p) Dipl. utriusque apud Sommersberg rer. Silef. T. I. p. 964. Et dipl. Caroli Imp. apud Pelzel in vita Caroli n. 289. item testamentum Joañis Marchionis Morav. ibid.

q) Dobner mon. ined. T. IV. p. 369. — ubi familiarum nobilium, jam dudum in Moravia florentium, refert nomina.

r) In libro Painatkarum Morav. ubi Capitaneus Moraviæ legitur, & quidem familiæ Berkianæ.

Aquisgrani, ubi eidem, ac Reginæ *Joannæ* corona Imperii fuit imposita. *s*) Auctus dein *Jodocus* est novis a Cæsare ditionibus. *Joannes* enim Marchio mutuos dederat sexagies quater mille aureos ungaricos, sive bohemicos fratri suo *Carolo*, qui censuum loco oppignoravit *Jodoco* Silesiæ urbes Glacium, Frankſteinam, Habelschverdam, & Neopaczkaviam eousque retinendas, dum summa hæc illi, aut successoribus numeretur Brunæ. *t*) At heus! natura deficiens admonuit *Carolum Cæsarem* proximum vitæ finem adesse. Hinc ditiones suas inter filios ita partitus est, ut Romanorum Rex *Wenceslaus* Bohemiam, & Silesiam, *Sigismundus* Marchiam Brandeburgicam, *Joannes* Suidnicium, Ducatum Görlicensem, & Lusatiam obtinuerit. Quibus constitutis *Carolus Imperator*, si quisquam, sapiens, prudens, & eruditus vitam reddidit Pragæ, ingenti Bohemiæ, ac Moraviæ jactura, immortali nominis sui gloria. *u*) A morte patris *Wenceslaus IV.* regnum Germaniæ, & Bohemiæ administravit, atque in comitiis Francofurti habitis *Marchionem Jodocum* Imperii Romano-Germanici *Vicarium* constituit, qui *Urbano VI.* pontificiam dignitatem contra *Clementem VII.* Antipapam vindicavit. *x*) Pace Ecclesiæ reddita, *Jodocus* Brunam redux non modo ratam habuit, sed tabulis etiam Marchionatus inseri præcepit donationem *Alberti a Sternberg*, Episc.

A. C. 1 7. *Maji.*

29. *Nov.*

1379.

P 3 Li-

s) Pelzel in vita Caroli p. 903. seqq.

t) Sommersberg. l. c. T. I. p. 961. sed perperam ad an. 1368.

u) Pelzel in vita Car. IV. p. 942. seqq. ubi & funeris apparatum, & præclaras Caroli virtutes præclaro describit calamo.

x) Raynald. Anal. Eccles. ad hunc an. Baluzius collect. act. vet. p. 590. Schmid Geschichte der Deutschen. IV. T. p. 9.

28. Septembr.

Litomiſslienſis. Emerat nempe *Sternbergius* a Baronibus Willemburgicis Moraviæ bona Dolan, Thowerz, Moraviczan, & Polonin, eaque Carthuſiæ *Rubi B. V. Mariæ*, in Bohemia haut procul Litomiſslio ad arcem Trz'ek a ſe fundatæ liberaliter ceſſit. *y*) *) Quam ceſſionem ſuis poſtea litteris firmavit *Alberti Sternbergii* in cathedra Litomiſslienſi ſucceſſor *Joannes Sobieslaus*, *Jodoci*, & *Procopii* Marchionum frater, inſuper & jus patronatus in Moraviczan ad eandem Carthuſiam transtulit. *z*)

A. C. 1381. 8. Januarii.

XLIV. Hæc inter munere Promarchionis Moraviæ jam inde ab anno 1380. fungebatur *Beneſſius de Wartenberg*; *a*) ſegnitia vero Regis *Wenceslai* in Bohemia non minus, quam Imperio, omnia in pejus ruere videbantur. *b*) Quapropter Hungari, nihil opis a Wenceslao Moravis accedere poſſe rati, neque adhuc experti vir-

y) Dipl. ap. Pezium T. VI. cod. diplom. P. III. pag. 65. — 67. Et Kurzgefaßte Geschichte der heutigen Ordensklöster. p. 85.

*) *Sternbergius* hic idem eſt, qui año 1371. fundavit Sternbergæ Canonicos regular. Lateran. Nempe varias ob cauſſas, deſerto Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, ad Litomiſslienſem Epiſcopatum rediit. *Vid. Zedleri Lexicon univ. voc. Albertus.* Mortuus eſt año 1379. ut patet ex Jodoci diplomate hujus aňi, ubi eum appellat *quondam Litomiſslienſem Epiſcopum*, ſepultusque Sternbergæ in cœnobio. quod condidit. *Vid. Balbin. in vita Arneſti. L. III. p.* 279.

z) Pezius l. c. p. 68. ubi refert litteras Joañis Sobieslai in epiſcopali caſtro *Trcz'ka* (hodie Trzek) datas.

a) In libro D. de Sternberg reg. Tabb. Morav.

b) Struvius l. c. Period. IX. pag. 649. — Adauctus Voigt Beschreibung der B. M. T. II. p. 180.

virtutem Marchionum Moraviæ; *Stephano Kontio* Duce in Moraviæ fines irruunt, totamque regionem, Hunnobrodæ, & Hradiſtio proximam, hoſtilem in modum & igne, & rapinis vaſtant. At male eis cecidit prædatoria hæc incurſio. Marchiones enim ad vindicandam injuriam ultricia arma capiunt, parique feſtinatione Proceres armatos ita diſtribuunt, ut hoſtis reditu intercludi queat. Cremſirii conveniunt alii, ſeque copiis *Petri Epiſc. Olomucenſis* conjungunt; alii ad vicum Malenovitz occulto itinere convolant; Marchiones ipſi oppidum Koricz'an inſident, omnesque pariter hoſtilia agmina circumcludunt. Hungari ſpe omni reditus inciſa, acerrime quidem incurrunt in Moravos; ſed a condenſis eorum aciebus fortiſſime reprimitur impetus, ortoque cruento utrimque prælio, amplius quatuor millia hoſtium cæſa, ac totidem fere capta fuerunt. Cæſorum prædam, ac manubias *Jodocus Marchio* diſpertivit militi, ſpolia, & rapinas expilatis reſtituit, captivos donavit nobilibus Moravis. E quibus militari fortitudine eminuerunt: *Bohuslaus de Boskovitz, Gvillelmus de Cz'ernahora, Haſsko de Kravihora, Georgius de Kunovitz, Petrus Zierotinsky de Roſitz, Milota de Cymburg, Joannes de Straz'ek, Prz'emislaus de Wickow, Joannes Kraliczky de Krſovitz, Bohuslaus de Pruſſinovitz, Kunata de Sternberg, Zbynko, & Hrozek fratres Dubravicii, Matthias de Svabenitz.* c)

A. C. 1382

 Pla-

c) Hagek ad hunc annum. Dubrav. hiſt. Bohem. L. XXIII. init. — Peſſina Mart. Mor. p. 438. — Dubravius quidem Epiſcopum Olomucenſ. tum ponit *Joannem Novoſorenſem*; ſed hic jam año 1380. obiit. Itaque *Petro Epiſc. Olom.* bellum hoc geſtum eſt, etſi ſcriptores Hungarici apud Schvandnerum, uti & Bonfinius, de illo tanquam odioſo ſilent.

Plagam hanc culpa Hungarorum contractam (neque enim incursio facta conscio Rege fuit) dissimulatione texit *Ludovicus Rex* Hungariæ, qui & anno eodem mortem occubuit. *d*) Sequentibus tamen annis, regnante *Maria* Ludovici filia, cœperunt denuo hostiles utrimque incursiones, bellicique tumultus. Gliscebant enim hisce annis graves in regia Bohemiæ familia dissensiones, ac *Sigismundus* Brandeburgi Marchio cum Marchionibus nostris altercabatur plures ob caussas, quarum præcipuæ erant: libera, & propria possessio bonorum in finibus Austriæ, & Moraviæ sitorum; nec non solvendum æs alienum, quo *Sigismundus* Willhelmo Sternbergio Zlinii Domino, & Marchionibus Moraviæ se obstrinxit, ut Hungariæ regnum jure conjugis suæ *Mariæ* contra æmulos retineret. *e*) His dissidiis nondum compositis, Jodocus Marchio oppidum Napagedl cum munitione, aliisque prædiis possidendi jus *Erharda de Kunstad* concessit, quod deinde consensu utriusque Marchionis nostri etiam ad jus vendendi, oppignorandi, & commutandi extensum. *f*) Tandem vero dissidentium Principum compromisso arbiter Rom. & Boh. Rex *Wenceslaus* litigio finem imposuit; *Sigismundus* obtinuit Hungariæ coronam, gens Morava, & Hungara, extinctis veteribus odiis, comiter pacem coluit. *g*) Hanc dein stabilivit *Sigismundus* Hung. Rex, quum *Jodoco* Marchioni, ut alienum æs dissolveret, Marchiam Brandeburgicam consensu *Regis Wenceslai*

1385. 1386. ... bruarii. ... Maji. 1388.

d) Hagek & Dubrav. l. c.

e) Dobner mon. ined. T. IV. p. 377. & in notis littera *b*. Item Balbin. Dec. I, L. VIII, p. 177.

f) Sommersberg. rer. Silef. T. I. p. 964.

g) Litteræ Comprom. ap. Balbinum l. c. Pessina Mart. Mor. p. 429.

ceslai oppignoravit. *h*) Inde Marchio noſter a Brandeburgenſibus ſacramentum exegit, eorum Epiſcopi, & capituli privilegia omnia firmavit Berolini, atque hoc deinceps titulo utebatur: *Jodocus Dei gratia Marchio Brandeburgicus, Marchio, & Dominus Moraviæ, S. R. I. Archicamerarius. i*) In Moravia poteſtatem fecit Religioſis Carthuſiæ ad Litomiſlium a Sternbergio Epiſcopo fundatæ, ut relicto in Bohemia monaſterio nondum perfecto, aliud *Vallis Joſaphat* dictum, Dolainæ ad Olomucium ædificarent, ejusque templi fundamento primum ipſe injecit lapidem. *k*) Permiſit etiam, ut *Beneſſius de Kravarz*, Dominus Chrumpnawii, & Fulnecæ, Canonicos regulares Lateranenſes S. Auguſtini Fulnecam induceret, eisque ſuſtentandis congruos aſſignaret reditus. *l*)

A. C. 1389.

XLV. Graviori dein negotio explicando neceſſaria fuiſſet *Jodoci Marchionis* opera. Mortuo enim *Urbano VI.* Papæ ſuffectus Romæ eſt Bo-

2. *Novembr.*

h) Dobner l. c. pag. 378. Leugens Brandenburg. Urkunden *P. I.* p. 221. Gerkens Entwurf der Geschichte Jodocus als Markgrafens von Brandenburg. T. I. L. X. ad añ. 1382. Quæ autem ſumma æris alieni fuerit, non conſtat. Plerique ſcriptores aſſignant viginti millia aureorum Boh. id quod exiguum videtur, ut tota Marchia Brandeburgica pignus foret. Vid. Adauctus Voigt. l. c. p. 205.

i) Dobner l. c. Vignierius ex Archivo D. Virginis. Et Struvius l. c. p. 632.

k) Pezius T. V. cod. dipl. P. II. p. 77. & ibid. P. III. p. 93. Plura de hoc monaſterio tandem Olomucium translato, & noſtra ætate abolito Kurzgefaßte Geschichte der heutigen Ordensklöſter. p. 87.

l) Kurzgefaßte Geschichte der heutigen Ordensklöſter. p. 97. —

Bonifacius IX. ac superstite etiamnum in Gallia *Clemente VII.* Antipapa, recruduit schisma Ecclesiæ. Promiserat ergo *Wenceslaus Rom. Rex*, legatis suis Romam missis, tum ad capienda Imperii insignia, tum ad schisma penitus abolendum in Italiam se venturum; interea vero *Jodocum Marchionem*, Vicarium suum, eodem missum iri. Sed quemadmodum Rex ipse per inertiam promissis non stetit, ita *Jodocum* in Italiam non misit. *m*) Quin potius otio & saginæ deditus, bello, ac cædibus Romanum Imperium ardere sivit, Bohemiam multa crudelitate afflixit, cujus inter alia *S. Joannis Nepomuceni* in fluvio Moldava submersio luce clarius est documentum. *n*) Communem hanc Imperii, & Bohemiæ calamitatem, pro eo ac debuerant, graviter, molesteque tulerunt *Jodocus*, & *Sigismundus*, habitaque deliberatione cum Baronibus Bohemis, *Wenceslaum* Berounæ convivam capiunt, atque in castro Pragensi, ut *pacem*, *& justitiam redderet*, honestæ tradunt custodiæ. *o*) Mox regni Ordines, ac præcipui Nobiles captivo Regi sunt Auctores, ut Moraviæ Marchionem *Jodocum* Bohemiæ Starostam, seu Præfectum constituat. Quibus Rex non modo annuit, datisque litteris, *Jodoco* id muneris

1390.

1393. *Martii.*

1394. *Maii.*

m) Raynald. l. c. ad hunc an. n. 3. & sqq. Struvius l. c. p. 648. Balbin. Epit. p. 396.

n) Balbin. Epit. pag. 399. Struvius l. c. p. 650. — Adauctus Voigt Beschreibung der B. M. II. Th. p. 131.

o) Benedi. Doberi mon. ined. T. IV. p. 64. Bartossek ibid. T. I. Anonym. ibid. T. III. & alii passim. Sed duplex tantum Wenceslai *Regis* fuit captivitas, ut demonstrat D. Pelzel Dissert. Born. T. IV. Diplomatische Beweis von der Gefangennehmung des K. Wenzels. p. 18.

neris imposuit, sed etiam Alsatiæ eundem præfecit. p) Neque adversa communi bono fuissent hæc consilia, nisi eadem præpedivissent *Wenceslai* frater *Joannes Dux*, & *Procopius Marchio*, qui collectis undique copiis, Pragam moverunt, ut Regem in libertatem adsérerent. Tum enim Barones Bohemi, obsidionem veriti, clam tradiderunt Regem Rosenbergiis Dominis, a quibus in Austriam usque deportatus, ac tandem pactis inter *Joannem, Procopium, Sigismundum*, & *Jodocum* initis, redditus libertati fuit. q) At vel ideo, quod *Procopius Wenceslao* Regi studeret, acerba inter Marchiones Moraviæ exarserunt odia. Quorum metu Anna illorum soror, cum *Petro*, & *Joanne Sternbergiis* ita demerita *Procopium* fuit, ut litteris præter alia promitteret, ad mortem usque Annæ bona illius suo præsidio tegenda. r) In gratiam dein rediit *Rex Wenceslaus* cum *Sigismundo*, & *Jodoco*, ex quibus illum postea Imperii Vicarium nominavit. s) Quum vero ob sævitiam, ignaviamque suam omnibus Ordinibus se invisum sentiret, eundem *Sigismundum* Regem, nostrosque Marchiones delegit arbitros, quorum consilio factum, ut Ordines regni se placabiles *Wenceslao* præberent. t) Inde judicia Bohemiæ maxima auctoritate fiebant, quibus Marchiones *Jodocus*, & *Procopius* cum Bohemis Baronibus præfuerunt.

3. Augusti.

A. C. 1395. 20. *Januarii.*

1396.

1397.

---

p) Pelzel l. c. p. 32. Et Urkunde n. 7.

q) Pelzel l. c. pag. 32. Beneff. & Bartoffek ap. Dobner l. c.

r) Litteræ Cojetinii datæ apud Dobner mon. ined. T. IV. p. 383.

s) Dobner l. c. Gottlob Böhms Comment. de Sigismundo S. *R. I.* Vicario generali. Adauctus Voigt l. c. p. 206.

t) Compromissum Wenceslai in hos arbitros ap. Lunig C. G. D. T. I. p. 1407.

runt. *u*) Nec turbulenti quid actum eo tempore in Moravia, ubi *Kravarz'ios*, ac *Sternbergios* tum longe amplissimas tenuisse possessiones; *Petrum de Sternberg* Annæ conjugem obiisse, ejusque heredes *Marquardum*, & *Joannem de Sternberg* ex fratre nepotes ad solvenda illius debita obstagio (Einlager) se obligasse; Annam viduam de bonis dotalibus libere disponendi a Marchionibus nostris impetrasse litteras; denique *Jodocum*, & *Procopium* a morte A. C. 1398. Joannis Görlicensis, Marchiæ Brandeburgicæ, Ducatui Görlicensi, & inferiori Lusatiæ (permissu *Wenceslai*, & *Sigismundi* Regum) jura dedisse: ex veterum monumentis discimus. *x*)

XLVI. At enim misera, & luctuosa accessere tempora, quibus Bohemia primum, dein & Moravia fuit afflicta, & conquassata. Nempe Electores ignavum *Wenceslai* regimen per- 1400. tæsi, a summa dignitate Imperii eum submovent, ac *Rupertum Palatinum* Romanorum Regem eligunt. *y*) Quod quidem acerbo tulerunt animo *Sigismundus* Hung. Rex, & *Jodocus Marchio*, operamque suam *Wenceslao* offerebant, sed quum ipse de vindicando Germaniæ regno 1401. parum esset sollicitus: ille copias suas reduxit in Hungariam, iste *Wenceslai* hostibus facilem se præbuit. *z*) Altero dein anno uterque rursum

u) Balbin. Epit. pag. 400. ex vetustis regni tabulis.

x) Dobner mon. ined. T. IV. pag. 376. — 390. Hofmann script. rer. Lusat. T. II. p. 20. Lexicon universale Zedleri voc. Lausitz, & Brandenburg. de *obstagio* vid. Joh. Hübners Staats- Zeitungs-Lexicon voc. Einlager.

y) Schmid Geschichte der Deutschen. P. IV. p. 37.

z) Struvius l. c. p. 657. — 665. Bartossek Dobneri T. I. p. 214.

ſum decrevit in Germaniam, & Italiam cum exercitu movere *Wenceslai* cauſſa, modo is certas ad conditiones accederet. Quibus rejectis, *Sigismundus* Regem inglorium capi, ac paullo poſt Viennam abduci jubet, ab Alberto Auſtriæ Duce cuſtodiendum. *a*) Secundam hanc *Wenceslai* captivitatem, conſcio *Jodoco* factam, *Procopius* Marchio ægre admodum concoxit; opem tamen eidem ferre haut potuit, quod diſſidiis Iglavienſes inter, ac gentem Leskovetiam in Moravia ſedandis occuparetur. Quippe *Hermannum de Bukova*, affinem *Sigismundi de Rottenſtein* (Roſſtein ad Telczium) ob facinus quoddam Iglaviæ patratum, cives miſerunt in carcerem. Procopius captivum eduxit quidem e cuſtodia; nihilominus *Rottenſteinius*, & Agnati *Leskovetii*, injuriam ulturi, Iglaviam ex improviſo adoriuntur, *b*) nec niſi carcere, & pecunia multati, reſipiſcunt. Interea *Jodocus* Marchio familiæ *Tettau de Tettowe* (hodie Illuſtriſſimæ ſtirpis Kinskiorum) Brunæ teſtimonium dedit avitæ nobilitatis, quam illa productis quoque Regum Bohemiæ *Joannis*, & *Caroli IV.* diplomatis, rite probaverat. *c*) Quum vero *Sigismundi*

A. C. 1402. 29. *Aprilis.*

20. *Decembr.*

a) Pelzel cit. Diſſert. p. 44. & Hiſt. Boh. p. 288.

b) Paprocius Spec. Mor. f. 388. & Peſſina Mart. Mor. p. 441. Unde liquet inter alia *Procopii* bona & Iglaviam fuiſſe.

c) Dobner mon. ined. T. IV. p. 397. Item Lexicon univ. Zedleri voc. *Tettau*, & *Kinsky*. Enituerunt autem noſtra, patrumque memoria ex hac familia, atque imortalem nominis famam adepti ſunt duo Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini *Franciſcus Udalricus*, & *Norbertus Octavianus Kinsky* S. R. I. Comites de Wichinitz, & Tettau, Domini in Chlumetz, aurei Velleris Equites, S C. R. M. actuales intimi Conſiliarii &c. Hu-

mundi partibus assiduo faveret *Jodocus*, mobilem nimis cum *Procopio*, *Wenceslai* studioso, gessit pacem. Quin potius inveteratum sorbens odium, jam tum de bello cogitabat; ideoque a civitatibus Marchiæ Brandeburgicæ 750. marcas exegit, ac binis pensionibus obtinuit. *d*) Accessit tandem discordiæ seminarium, posteaquam Austriæ Ducum favore, *Wenceslaus* Bohemiæ regno fuit redditus. Hic enim, ut testatum faceret, quo esset animo in *Sigismundum*, & *Jodocum*, successorem suum nominavit *Procopium*, idque ocyus palam fieri voluit. Sed adversantibus regni Proceribus, nominatio illa effectu suo caruit; *Jodoci* vero tantopere incendit iram, ut compressa adhuc, & tacita odia in atrox eruperint bellum, Moraviæ triste imprimis, & exitiosum. *e*)

A. C. 1403.

11. Novemb.

XLVII. *Jodocus* enim fratrem suum paterna hereditate, quam in Moravia tenebat, exuere statuit apud animum. Hinc sancitum cum *Sigismundo* Hung. Rege fœdus renovat, ejus-

---

Horum prior tot legationibus, præcipue Neomagensi, magna in Cæsarem fide, magnoque reipublicæ bono peracta, inclytus, non sine gravi *Leopoldi M. Imp.* mœrore obiit año 1699. die 27. Febr. Posterior vero unam trium Imperatorum *Leopoldi M.*, *Josephi*, & *Caroli VI.* gratiam colligens, inter fulgentissimos aurei velleris Equites adscitus, primum post Duces aureo vellere insignes locum occupavit munificentia Caroli VI. Imp. Tandem vero die 6. Jan. 1719. defunctus incredibile sui apud omnes reliquit desiderium. *Vid. Lexicon Zedleri v. Kinsky*, & *Sommersberg T. II. rer. Siles. præf. p. 6.*

d) Dobner mon. ined. l. c. p. 397.

e) *Pelzel* cit. dissert. *Pessina* l. c. *Provin. fid.* Morav. p. 145.

ejusque caussa etiam Austriæ Dux *Albertus IV.* ad societatem armorum se applicuit. *f)* Tanti auxilii certus bellum civile orditur, *Znoyma Procopii* sede, per ejus absentiam occupata. *Procopius* ut erat vir strenuus, & bellicosus, vim vi repellere coactus, copias, quam potuit maximas, in Bohemia, & Lusatia collegit, & acceptis a *Wladislao* Poloniæ Rege auxiliis, in Moraviam festinat. *g)* Mox præcipuis militiæ Ducibus *Henrico Dürnteüfel* (vulgo Suchy Čert) & *Joanne Sokol* Znoymam aggreditur, factoque in muros impetu, præsidiarios e stationibus depellit, atque in arce perfugium cogit quærere, ubi aliquamdiu resistentes, se se arbitrio victoris tradiderunt. Urbe, & arce occupatis, *Procopius* non Austriacos modo, sed Moravos etiam sibi adversarios, hostiliter persequebatur, ac missis quaquaversum expeditis equitibus, prædas omnibus in rebus apertissime fecit. Quæ prædandi licentia quum exiguo operæ pretio cohiberetur ab Austriis, & Moravis; *Jodocus* Austriaco milite adjutus, Znoymam obsidione cinxit, atque oppugnare instituit. *h)* Primo statim die milites acerrimo impetu involant in muros; sed defensores incursionem lapidibus, ac telis fortiter propulsant. Restauratur iterum iterumque impetus; pari nihilosecius Marte pugnatur, utrinque multis occisis, multis vulneratis. Advehitur Bruna ingens quædam arietis moles, quæ muris aptata faberrime, obsessorum perculit animos; at paullo post auda-

A. C. 1404.

---

f) Roo hist. Austr. L. IV. p. 137. Schezius hist. Duc. Stiriæ P. II. p. 64.

g) Cuspinianus de Cæsarib. in Jodoco. Dlugossus hist. Polon. L. XI. pag. 211.

h) Schezius l. c. Pessina Mart. Mor. p. 444.

audaciores quidam, *Joanne Sokolio* duce, silenti agmine portis egressi, custodiis, vigiliisque diffugientibus, arietes, ac machinas obsidionales securibus, & dolabris dissecant, cum manipulis e proxima statione accurrentibus velitationem faciunt, dum *Sokolius* accepto vulnere, jussit receptui canere. Quapropter efferati ira Jodociani, ex aggeribus missilia tela, tubosque pice, & sulfure plenos in urbem adeo crebris jactant vicibus, ut circumsessi colluctari cum hostibus, & ignibus ad noctis usque medium cogerentur. Immo etiam novo cum exercitu advenere Dux Austriæ *Albertus*, & Hung. Rex *Sigismundus*, Znoymam arctiore obsidione pressuri. *i*) At nequaquam concidit animo *Procopius*, qui ad omnem fortunam paratus, omnia ferendæ obsidionis necessaria tanto curabat studio, ut *Sigismundus* Rex difficiliorem opinione sua oppugnationem experiretur. Iterum ac tertium omni arte periclitatus in urbem aditum fuit, majore accepta, quam illata clade. Postremum & ipse, & Austriæ Dux pocula hausserunt (ignotum est, quo miscente) veneno infecta. Malo huic medicinam reperit *Sigismundus*; Albertus autem Claustro-Neoburgum delatus, eidem succubuit. *k*) *) Insidiis territi *Si-*

25. *Augusti.*

---

i) Roo hist. l. c. p. 138. Cuspin. & Schezius ll. cc. Pessina l. c. p. 445.

k) Cuspinian. Roo, Schezius, & alii passim.

*) Gerard. de Roo Serenissimi Archiducis Ferdinandi olim Bibliothecarius hist. Austr. L. IV. p. 139. testatur, de morte Alberti hujus anno 1404. consecuta scriptores convenire. At Hagekus hist. Boh. Welleslavinus Calendar. ad III. Idus Julii, Beczkovsky in Chron. Boh. Pessina Mart. Mor. p. 446. seqq. mortem ejusdem Alberti IV. Austriæ Ducis anno 1406. statuunt. Nempe

Sigismundus, & *Jodocus* ſolutâ urbis obſidione inducias paciſcuntur; vindictam vero meditantur in Marchionem *Procopium*, quem potionis venenatæ auctorem crediderunt. Et *Sigismundus* quidem cum copiis ſuis in Bohemiam irrupit, ubi adverſarum partium bona devaſtavit. *l*)

XLVIII. *Procopius* interim, commiſſa Ducibus ſuis Znoyma, in Luſatiam conceſſit, atque expeditis ibidem negotiis a Rege *Wenceslao* impoſitis, ad arcem munitiſſimam Bezdiez in Bohemia divertit. Quo per exploratores cognito, Rex *Sigismundus* magnis itineribus eam ad arcem contendit, caſtrisque ibi poſitis, *Procopium* familiare ad colloquium evocat. Is de incolumi reditu accepta fide, haut gravatim ad prætorium Regis intrepide accedit; ſed vixdum cœpto colloquio, prætoriani milites ſub ſpecie tumultus, irruunt in prætorium, *Procopium* vinciunt catenis, atque e conſpectu Regis abducunt, etſi fidem ſibi datam imploraret. Avectus deinde fuit, jubente *Sigismundo* Brunam in carcerem, ubi Carthuſiæ Dolanenſi bona ad caſtrum Tepenez ſpectantia litteris publicis contulit, *m*) ac tandem ſeu fame, ſeu veneno exſtinctus, in monaſterio Carthuſienſi prope Brunam ſepultus eſt. Tantam vindictæ cupidinem concepta peperit ſuſpicio, ut Principem e medio tolleret tum forma, & proceritate cor-

A. C. 1405. 15. Junii.

Q po-

pe confuderunt Albertum cum Willhelmo Stiriæ Duce, qui pro Alberto V. ſeu poſtea Alberto II. Imperatore, tunc non niſi decenni, ut tutor adminiſtrabat Auſtriam. Is enim Willhelmus anno 1406. mortuus eſt, ut teſtatur idem Roo l. c. & Schezius l. c. p. 66. item Zedlerus Lexic. voc. Steyermark.

l) Beneſſius Dobneri mon. ined. T. IV. p. 68.

m) Pezius l. c. p. 125.

poris, tum magna ſcientiarum cognitione, ſolerti ingenio, & facundia præditum, tum denique arte militari inſtructiſſimum. *n*) *) Enimvero tam atrocis facinoris, fidei nimirum per nefas violatæ, rumor ubique locorum vulgatus, Bohemorum, & Moravorum animos non parum a *Sigismundo* Rege avertit, ut adeo haut mirum, ſubinde Moravos *Wenceslao* Boh. Regi potius, quam *Sigismundo* res ſuas ſubmiſiſſe. Hinc etiam factum, ſi Hageko credimus, ut redeuntes per Moraviam onuſti præda Hungari, partim a Mezericenſibus inſidiis, partim a Dominis Taſſovii, Mitroviæ, & Kravihoræ ingenti clade haut procul Taſſovio afficerentur. *o*) Quis inter hæc Marchioni *Jodoco* fuerit animus, ex eo facile conjici poteſt, quod a morte Procopii fratris pleraque ejus bona occupaverit. Quum vero ſub id tempus jam in Marchia Brandeburgica, jam in Luſatia gravibus diſtineretur curis, *Ladislaum de Kravarz'* Promarchionem Moravis dedit, Znoyma in hoſtium manibus aliquamdiu permiſſa. *p*) Hanc nempe urbem Duces olim *Procopii Marchionis* non ſolum in poſſeſſione retinuerunt, ſed facta etiam incurſione in Auſtriam omnem inter Recium, & Laam

n) Cuſpin. & Schezius l. c. Balbin Epit. pag. 458. Peſſina Mart. Mor. pag. 447.

*) Balbinus quidem Epit. p. 458. ait mortuum eſſe Procopium anno 1412. Adauctus Voigt Beſchreibung Böhmiſch. Münz. T. II. p. 213. año 1413. At præplacet ſententia Peſſinæ l. c. quum ab año 1405. nullæ amplius legantur Procopii litteræ, nullaque in hiſtoriis de eodem mentio deinceps occurrat.

o) Hagek hiſt. Boh. ad añ. 1401.

p) Weleslavinus Calendar. hiſt. ad IV. Calend. Jun. Et Kniha Towačowſká fol. 22.

Laam regionem late populati ſunt. q) Immo *Hynko*, ſeu *Henricus Dürnteüſel* Auſtriacis plura eripuit caſtra, quæ tamen *Willhelmus* Stiriæ Dux, Alberti V. pupilli tutor, armata manu denuo recuperavit. Mortuo dein *Willhelmo*, *Joannes Sokol* oppidum Auſtriæ Laam aſtu occupat, & ſelecto ſuorum agmine tuendum ſuſcepit. Inde variis excurſionibus vaſtitatem in agris vicinis reddidit, quam robuſto etiam exercitu prohibere *Leopoldus*, alter Alberti tutor quum non poſſet, ſæpius cæſis ac fugatis Stiriis, & Auſtriacis; pacem, atque oppidi Laæ reſtitutionem 30. aureorum millibus (50. numerant alii) mercari a *Sokolio* cogitur. Pretio hoc pacatus *Sokol* fuit, ac poſtea Leopoldum in ſopienda Auſtriacorum ſeditione plurimum adjuvit. r) Tanto autem licentius quaquaverſum in Moravia ipſa *Henricus Dürnteüſel* prædas faciebat, quibus cohibendis adeo non erat *Ladislaus de Kravarz*, ut Znoyma prædonum ſedes evaderet. Tandem contubernales hos pertæſi Znoymæ cives, veriti etiam, ut ne ipſi de fortunis & vita periclitarentur, ſi quando urbs vi occuparetur; initis clam conſiliis, ſe ſuaque *Jodoco* Marchioni tradere conſtituunt. Itaque pacti prius tam vitæ, quam fortunarum ſuarum incolumitatem, abſente prædandi cauſſa *Henrico Dürnteüſelio*, *Jodocum* ſuum legitimum Dominum cum armatis Znoymam introducunt. Prædonibus, qui poterant capi, aut laqueo, aut gladio

A. C. 1406.

q) Peſſina l. c. pag. 447. apud quem *Hynko de Geláſtein* idem eſt, quem Hagek ad añ. 1400. & Weleslavinus l. c. ad III. Idus Julii *Henricum Dürnteüſel* appellant. — Vid. & Peſſinæ Prodr. ad añ. 1405.

r) Schezius l. c. p. 65. — 68. Roo l. c. p. 141.

dio sublatis, *Dürnteüfel* evanuit; *Sokolius* impunitatem a Marchione impetravit. *s*)

XLIX. Quietis postea diu licuisset esse 1408. Moravis, nisi pacis, atque otii turbo, & tempestas *Joannes Huss*, natione Bohemus, tumultus gravissimos conflasset. Hic enim jam anno 1400. in Pragensi Universitate magister, & ecclesiastes egregius, primum vitia populi, & cleri fervido dicendi genere insectabatur; incautius dein irritatus, propugnavit impia *Wickeffi* dogmata, quae calamo suo in Moravia etiam dissevit. Libros nimirum *Wickeffi* aliquot in linguam slavicam translatos, vel magni muneris loco donavit non Bohemis solum Proceribus, sed & quibusdam nobilibus Moravis; atque 1409. adeo ad Marchionem *Jodocum* misit quatuor libros *Trialogi* in vernaculum versos, eosque maxime venenatos. *t*) Munus hoc pessimum dubio procul *Jodocus* Marchio tradidit *Zbinconi* Archiep. Pragensi, qui anno sequente amplius ducenta Wicleffi volumina palam combussit; sed paria non fecerunt Moravorum alii, ut tristis postea eventus docuit. *u*) Hoc interim tempore graves inter *Wladislaum* Poloniae Regem, & Ordinem Teutonicum dissensiones in Prussia exortae, rursus exciverunt *Jodocum* Marchionem e Moravia in Marchiam Brandeburgicam, ne quod periculum eidem reipublicae crearetur. Hinc Tangermundae aliquantum moratus, civitatis Stendal immunitatem a telonio confirmavit. *x*) Quum vero Poloniae Rex litis

s) Pessina l. c.

t) Cochlaeus hist. Hussit. L. I. p. 15.

u) Aeneas Silvius, cap. 35.

x) Dlugossus hist. Polon. L. X. ad hunc an. Dobner mon. ined. T. IV. p.

litis componendæ arbitrum delegiſſet *Wenceslaum* Boh. Regem, is *Jodoci* potiſſimum opera, quamvis irrito conatu, utebatur. *y*) Bellum igitur Pruthenicum exarſit, in cujus ſocietatem a *Wladislao Rege* vocatus rerum geſtarum fama celeber *Joannes Sokol*, in Pruſſia cum Moravis ſuis rem ſub quarto vexillo adeo ſtrenue geſſit, ut eum Rex dignum judicaret, quem caſtro Radzim præficeret. Sed aliquanto poſt Thoruni a civibus in convivium exceptus, ac venenato paſtus lucio, Dux fortis, & animoſus occubuit. *z*) Ita Moravorum virtus *Sokolio* gloriam, gloria invidos peperit.

A. C. 1410.

L. Nec res ulla ad virtutem ea ætate defuit *Jodoco Marchioni*, cui iccirco Principes Imperii deſtinarunt faſtigium imperialis dignitatis, etſi potentem haberet æmulum Hungariæ Regem *Sigismundum*. Mortuo enim Romanor. Rege *Ruperto*, *Joannes* Elector Moguntinus comitia Francofurti habenda indixit. Convenerunt ſtato die Electores: Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, & Palatinus; *Wenceslaum* Boh. Regem, *Rudolphum* Saxoniæ Ducem, & Moraviæ Marchion. *Jodocum*, qui Brandeburgi-

18. *Maji.*

1. *Septembris.*

 cum

x) p. 402. Ibid. etiam p. 401. profert litteras Abbatis monaſterii S. Mariæ Virginis in *Trebicz*, & duorum Præpoſitorum S. Benedicti in *Myerſin*, & *Luba* Olomuc. Diœceſis hoc anno 1409. datas. Monaſterium Trebiczenſe turbis Huſſiticis peſſumdatum, eo loco ſteuiſſe paſſim dicitur, ubi hodie arcem videre eſt; *Lub* clauſtrum ad Brunam ſitum fuiſſe, ait Pulkava ad añum 1235. de *Myerſin* non conſtat.

y) Dlugoſſus l. c. L. XI. ad hunc añ.

z) Idem l. c. p. 240. & 287. ubi addit filios Sokolii Nicolaum, & Jaroslaum, Cracoviæ a Wladislao Rege fuiſſe educatos.

cum electoratum pignoris jure possidebat, adesse prohibuerunt turbæ Pruthenorum. *Sigismundus* vero Hung. Rex, ut verus heres Marchiæ Brandeburgicæ, ad ea comitia misit legatum suum *Fridericum*, Norimbergæ Burggravium, qui de jure suffragii Brandeburgici non modo litem *Jodoco* moveret, sed Electores etiam in partes suas traheret. At displicuit hic ambitus Moguntino, & Coloniensi, proinde jus suffragii *Jodoco* proprium agnoverunt ob investituram ejus cæsaream, *Sigismundi* legato ad Electorum senatum non admisso. Verum iste suos fecit Tvevirensem, & Palatinum, quibuscum in cœmeterio ædis S. Bartholomæo sacræ (hæc destinata electioni a Moguntino fuit occlusa) *Sigismundum* nominavit Regem Romanorum. Contra Moguntinus, & Coloniensis, accedentibus Bohemiæ, Saxoniæ, & *Jodoci* legatis, in choro ejusdem ædis sacræ *Marchionem Moravia Jodocum* quinque suffragiis eligunt Cæsarem, atque Ordines Imperii de hac electione certiores faciunt. Quam suo etiam consensu Bohemiæ Rex *Wenceslaus* probavit; Moguntinus vero, & Coloniensis, ut legitimam solenni epistola vindicarunt. a) *) *Jodocus* igitur pluribus suffragiis, loco legitimo, solennitatibus requisitis electus *Rex Romanorum*, auctoritate regia edidit diploma, quo Archiepiscopatus Moguntinum

10. *Septembr.*

1. *Octobris.*

16. *Decembr.*

a) Lunig. Contin. III. Spic. Eccles. pag. 511. Item auctores, & diplomata ap. Struv. corp. hist. Germ. Period. IX. p. 680. — 684.

*) Epistolam hanc anonymus quidam refutare conatus est. At Jo. David Kœlerus in vindiciis electionis dubiæ Jodoci contra Sigismundum, Altorfii año 1726. editis eandem certis argumentis asserit. *Struvius l. c. pag.* 684.

guntini privilegia confirmavit. *b*) *) At enim prius, quam regnum Germaniæ adiret, dum inter applausus Moravorum omnia itineri Francofurtum suscipiendo necessaria parat, subito correptus morbo, paullo post Brunæ moritur annos natus LX., atque in monasterio ad S. Thomam, funere amplissimo elatus, sub sceptro regali tumulatur. *c*) Mors Principis hujus eo gravior Moravis accidit, quod nulla relicta prole mascula, Marchionatus Moraviæ sub turbulentum *Wenceslai Regis* imperium ceciderit. *d*)

A. C. 1411 8. *Januarii*

LI. *Jodoco* rebus humanis exemto, *Sigismundus* novis Francofurti comitiis Rex Romanorum renunciatus, Marchiam Brandeburgicam recuperavit; Moraviæ autem Marchionatus in fidem, & clientelam *Wenceslai* Boh. Regis se contulit. Hinc Rex, & Marchio *Wenseslaus* Ordines Moraviæ in sua verba per jusjurandum adegit, & vicissim jura, & privilegia omnia

Wencesl. IV *Rex Boh.* & *Moraviæ March.* XIV 16. *Februar*

Q 4 Mar-

b) Guden. codic. diplom. T. IV. n. 29.

*) Unum hoc diploma *Jodoci Rom. Regis* hactenus innotuit. Profert quidem Goldastus Constit. Imp. T. *III.* p. 424. constitutionem aliam *Jodoci electi Rom. Regis*; at in Commentariis de regno Bohemiæ L. *I.* pag. 59. de ea ait: " Hanc constitutionem esse suppositiam, vel ipsum *Datū in Francofurt*, evidenter satis demonstrat, " quum *Jodocus* eo añō " Francofordiam non venerit; confictaque esse " videatur ex decretis Andreæ Regis Hungariæ añō 1222. publicatis. „

c) Struvius l. c. p. 682.

d) Pessina Mart. Mor. p. 452. ubi recte advertit, graviter eos errare, qui *Jodocum* ætatis añō 90. electum esse Rom. Regem scribunt, quum parens illius *Joannes Henricus* fuerit añō 1322. natus.

Marchionatus Moraviæ confirmavit. *e*) Ratas etiam habuit immunitates Carthusiæ Dolanensis, a Regibus, vel Marchionibus concessas; *f*) firmavit emporium, sive *jus stapulæ* a *Carolo IV.* & *Joanne* Marchione civitati Olomucensi datum, præcepitque omnibus Moraviæ proceribus, ut cives Olomucenses eapropter defenderent. *g*) Quæ quidem prænuncia fuere felicis regiminis; sed in Hussi, cujus nova doctrina etiam in Moravia jam radices agebat, coërcenda audacia vel mire negligens, vel parum felix erat *Wenceslaus*. Quocirca *Sigismundum Albicum* Neostadii urbe Moravorum regia natum, Archiatrum suum, Zbinconi Pragæ Antistiti mortuo successorem invitis Canonicis obtrusit. Quamquam *Albicus* frangendæ Hussi pertinaciæ se imparem cognoscens, Archiepiscopatum Pragensem cum Præpositi Wischehradensis dignitate commutavit, probante summo Pontifice, qui eidem propterea titulum Archiepiscopi Cæsareensis attribuit. *h*) Ingravescebant interim diversarum partium studia in eadem Hussi caussa, atque inter Moraviæ Proceres discordia gliscebat. Intestinum ut tolleret malum *Rex Wenceslaus* Brunæ sancivit *Moraviæ pacem* (Landsfried), eamque sigillis suis Nobilium præcipui firmarunt. Pacis articuli quinque erant potissimum. "1) Nemo alium privata auctoritate ar-" mis

17. *Martii.*

17. *Novembr.*

A. C. 1412. 2. *Februarii.*

e) Welcslavinus Calend. hist. p. 90.

f) Pezius l. c. p. 128.

g) Dobner mon. ined. T. *IV.* p. 403. — *Jus stapulæ* quibusdam urbibus, ut Lubecæ, Hamburgo, Lipsiæ, Viennæ, &c. hodieque proprium est, quo merces advectæ exponuntur venales prius, quam alio transferantur.

h) Adauctus Voigt Abbildung Böhm. und Mähr. Gelehrten *II.* Th. p. 82. Cl. de Monse infiul. docta Mor. p. 47.

" mis persequatur; sed quod suum est, jure
" provinciali apud regium tribunal quærat.
" Qui sententiæ minus acquieverit, tanquam
" patriæ eversor habeatur. 2) Qui prædones
" pertinaciter foverit, sive Dominus, sive Eques,
" ordine suo moveatur, sine spe restitutionis
" in integrum. 3) Si quod oppidum, vel ca-
" strum inique occupatum fuerit, illico Rex,
" & omnes Moraviæ Ordines armati adsint, ac
" stipendiis regiis castrum, vel oppidum ex-
" pugnent, reddantque legitimo domino. 4)
" Si quis e sua arce latrocinia fecerit, arx ex-
" pugnata cedat Regi. Quodsi arx feudalis
" fuerit, cedat Domino directo. 5) Hæc pax
" quinquennium duret. " *i*) At minimum
firmitatis, minimumque virium pax illa habuit
ad malum Moraviæ sanandum, natu jam gran-
dius.

LII. Inclinatas Bohemiæ, ac Moraviæ res animo adhuc ad neutram partem propendente spectabat *Rex Rom. Sigismundus*, ac subinde *Georgium de Lichtenstein*, *Georgii* Nicolsburgensis filium, Episcopum Tridentinum, in numerum S. R. I. Principum, ob præclaras ejus virtutes, & merita adscivit. *k*) Increscenti autem Hussi audaciæ præter alios restiterunt duo Moravi Znoymenses *Stanislaus*, & *Petrus*, Doctores Theologicæ facultatis Pragæ; vehementer quoque eum impugnavit *Stephanus* Carthusiæ *Vallis Josaphat* in Dolan Prior, *Caroli IV.* olim Cancel-la-

25. Junii.

i) Codex Towaczoviensis Domini Cztiborii, seu Tiburtii de Cymburg in Apographis Moraviæ Strz'edovskianis Vol. III. p. 18. seqq.

k) Dobner l. c. p. 404. ex Collectaneis Archivi statuum infer. Austriæ.

A. C. 1413. larius. *l*) Immo vero *Joannes XXIII. Pontifex Wenceslaum Regem* litteris vehementibus admonuit, ut pro divini Numinis gloria, & regia dignitate afferenda, pullulantem Wicleffi haeresim excindendam curaret. *m*) Ad ipsos quoque Bohemos, & Moravos e concilio Romano acriorem misit bullam, ut perniciosam Joannis Wicleffi doctrinam, quae Hussi temeritate in dies magis invalescebat, funditus eliminaret. *n*) At haec illis temporibus tanto adolevit incremento, ut ipse tandem *Rex Wenceslaus* edicta sua ab Hussitis contemni cerneret, ac sero medicinam pararet. Itaque adhibitis in consilium Baronibus, ut publicae paci, suoque honori consuleret, ejecit ex urbe Praga seditionis fontem *Joannem Hussum*. *o*.) Magis vero sollicitus Bo-
1414. hemiae, ac Moraviae *Caesar Sigismundus*, eundem
18. Octobris. *Hussum* publica fide (*salvum conductum* vocant) instructum misit Constantiam, ut oecumenico Ecclesiae concilio de doctrina sua rationem redderet. Ubi ille a Theologis tum Bohemis *Stephano Palecz*, & *Michaele Sudny*, tum Moravis *Stanislao de Znoyma*, & *Joanne de Hollesckovia* haeresis Wicleffianae accusatus, conjicitur in carcerem, ac tandem, quum errores suos ejurare
1415. nollet, consensu *Caesaris Sigismundi* ad rogum
6. Julii. damnatus, comburitur. *p*) *) Erat jam tum Con-

l) Cochlaeus hist. Hussit. L. I. p. 50. & 27. Et Adaucti Voigt acta litter. Boh. & Mor. p. 246.

m) Cochlaeus ibid. p. 22. — Raynald. annal. Eccl. T. XVII. p. 426.

n) Idem ibid. p. 20. Raynald l. c. p. 425.

o) Idem ibid. p. 44.

p) Pelzel hist. Boh. p. 297. — 307. tertiae edit. De *Stanislao*, & *Joanne* infra inter Doctos Mor.

*) Cl. Schmid Geschichte der Deutschen. *IV*. Th. p. 124. ait, neque a concilio, neque a Sigismundo ad rogum esse damna-

Conſtantiæ in cuſtodia *Hieronymus Pragenſis*, fidus Huſſi achates, eoque doctior, & audacior homo laicus, pene furioſus, *q*) qui jam inde ab anno 1402. variis in regionibus, atque adeo in ipſa etiam Moravia Wicleffi errores concionando ſparſerat. *r*) Audito igitur Huſſi ſupplicio, ac Hieronymi fato, celebrarunt Pragæ conventum ampliſſimum Barones, Proceres, Nobiles Bohemiæ, ac Moraviæ, datisque ad concilium Conſtantienſe litteris, graviter queſti ſunt de Huſſo combuſto, & Hieronymo in carcerem incluſo; eamque agendi rationem ex Germanorum in Bohemos odio proficiſci, atque infamiam Bohemiæ regno, & Moraviæ Marchionatui accerſere, paullo acrius affirmabant. Subſcripſere has litteras præter Bohemos Moravi: *Laczko*, ſeu *Ladislaus de Kravarz*, Promarchio Moraviæ, *Petrus de Kravarz*, *&* *Straznitz*, tabularum provincialium Olomucii ſupremus Camerarius, *Joannes de Lomnitz*, ſupremus Camerarius juris provincialis Brunæ, *Boczko ſenior de Cunſtad*, & *Podiebrad*, *Vanick de Boskovitz*, & *Czernahora*, aliique Domini, & Nobiles plurimi. *s*) *)

LIII.

---

natum Huſſum; quia jure communi ſententia in eum lata eſt, & ex Sueviæ ſpeculo conſtat, eos Principes, qui hæreticum igne non cremarent, eadem pœna plectendos eſſe.

q) Pelzel ibid. p. 302.

r) Cochlæus L. *III.* pag. 125. Raynald l. c. pag. 481.

s) Hagek hiſt. Boh. ad an. 1416. Lunig. Spicileg. Eccleſ. *P. I.* pag. 208. Raynald. l. c. p. 473.

*) Litteræ apud Hagekum & Lunig ll. cc. ejusdem ſunt argumenti, proinde unæ, & eædem; ſed Hagekus citavit teſtes ſubſcriptos duntaxat nobiliores, Lunig autem ceteros etiam, omiſſis nobiliſſimis, adeoque ſolum 99. Hinc bene Peſſina ex MMSS. aliis affirmat, con-

A. C. 1416. 20. Februarii.

LIII. Lectis in concilio Constantiensi Bohemorum, ac Moravorum litteris, quotquot eas subscripserant, Hussiticae pravitatis fautores audierunt, eorumque praecipui, affixo valvis Ecclesiarum Constantiensium edicto, nominatim vocati in judicium sunt, quos inter *Ladislaus de Kravarz*, Moraviae Promarchio, & *Boczko de Cunstad*, ac *Podiebrad* legebantur. *t*) Ad hos pariter, ac Bohemos, ut persuasum sibi habuit, sectae Hussiticae signiferos, *Caesar Sigismundus* epistolam dedit, qua eosdem magno regiae *Wenceslai* auctoritatis damno, coitiones moliri, querebatur; *Hussi* autem combusti culpam a se dimovit. *u*) Sed quis non videat non tam pacatos, quam accensos ira fuisse Bohemorum, ac Moravorum Nobilium animos? praesertim autem stomachum eis vehementer movit, quum de *Hieronymo Pragensi* idem, ac de *Husso*, sumtum

30. Maji.

Constantiae fuisset supplicium. *x*) Tum enimvero oleum, & operam perdidit Concilium Constantiense, praescriptis XXIV. articulis, quibus Bohemos, ac Moravos ab *Hussi* patrocinio reducere conabatur. *y*) Frustra etiam fuit ipse

1418.

Martinus V. Pont., qui litteris suis Bohemiae, ac Mo-

---

conventui illi adfuisse ultra 300. Barones, Nobiles, & civitatum legatos tam ex Bohemia, quam ex Moravia. Quorum sin omnes, certe plurimi tunc adhuc erant dediti catholicae religioni, quum postea año 1420. pro eadem pugnantes, ante castrum Wischehrad, multi ex iis morte pulcherrima occubuerint. Hinc *amore nationis* malam in partem acceperunt gesta Concilii. *Vid. Pessina l. c.*

t) Raynald. l. c. p. 479.

u) Epistola ap. Cochlaeum l. c. L. *IV*. p. 155. Et *Raynald.* l. c.

x) Pelzel l. c. p. 309. —

y) Cochlaeus L. *IV* p. 165. Schmid Geschichte der Deutschen. p. 128.

Moraviæ Proceres ad avitam fidem orthodoxam hortabatur. z) Namque *Petrus de Kravarz'*, qui anno priore munus Promarchionis in Moravia obtinuit, a) amore, & affectu nationali abreptus, a ceteris Nobilibus ſtetit; in Bohemia vero alii partes Romani Pontificis, & Concilii ſequebantur, alii *Huſſi* erroribus faverunt plurimum. Hi inſuper nova *Jacobelli Miſenſis Bohemi* doctrina illecti, Euchariſtiæ ſumtionem *ſub utraque ſpecie* omnibus neceſſariam ad ſalutem crediderunt, ac Pragæ calicem ritu ſupplicantium palam circumferebant. Accidit, ut iis quadam die curiam prætereuntibus, lapidem neſcio quis dejecerit, quo Huſſitarum ſacerdos læſus fuit. Mox in rabiem acti, duce *Ziſchka* curiam invadunt, XIII. Senatores e feneſtris præcipitant, quos populus furens lanceis exceptos, trucidavit. Quo audito *Rex Wenceslaus*, adeo ira percitus eſt, ut apoplexia ictus, octavo decimo poſt die animam exhalarit. b) Ita ſubito periit, qui diu in turbis Huſſitarum connixit. *)

A. C. 1419.

16. Auguſt.

VA-

z) Raynaldus Annal. T. *XVIII.* p. 6. —

a) Codex Towaczovienſis *D.* de Cymburg fol. 12.

b) Cochlæus l. c. p. 175. Schmid. l. c. p. 128.

*) Quum varia admodum ſeries *Promarchionum*, ſeu *Capitaneorum Moraviæ* apud ſcriptores patrios reperiatur; operæ pretium fuerit, eos ſecundum calculum criſi hiſtoricæ congruum referre, etſi annus omnino certus, quo quis Marchionatui Moraviæ præfuit, determinari nequit: circa an.

1241. Jaroslaus a Sternberg primus Promarchio.

1248. Ulricus Carinthiæ, & Breczlaviæ Dux, *ut quidam ex verbis Pulkava adſtruunt.*

1269. Milota de Diediz, Boh. familiæ Roſenſ.

1284. Marquardus de Caſtello, ſeu Hradek.

1289.

VARIÆ ADNOTATIONES

IN QUARTAM PERIODUM HISTORIÆ MORAVIÆ.

Status Moraviæ politicus.

I. Simul ac Moravia conſenſu Cæſarum, ac Bohemiæ Regum, conſtanter, & perpetuo *Marchionatus* audiit; publica res Moravorum ſolito felicius efflorescere, atque in veterem quodam modo vindicata dignitatem videbatur. Siquidem boni communis curam geſſere tum *Marchiones* ipſi, tum ſerius ab iis conſtituti *Promarchiones*. Primores autem Moravorum, qui aut ſubſellia tenuerunt politica, aut potentia, & generis nobilitate vulgus anteibant, *Status in Marchionatu Moraviæ* nuncupavit antiquitas. Horum jam id temporis quatuor numerantur ordines: *Status Dominorum*, ſeu *Baronum*, *Status Prælatorum*, *Status equeſtris*, & *civicus*; quos ſive ad deliberandum de communibus Moraviæ negotiis, ſive ad tuenda Marchionatus jura, & prærogativas, ſæpius in *comitiis provincialibus* conveniſſe, ex rerum geſtarum ſerie conſtat. Quin etiam per legatos ſuos univerſalibus regni Bohemiæ comitiis interfuerunt, quoties provincias

1289. Tobias a Cz'ernahora.
1308. Valterus de Caſtello, ſeu Hradek.
1315. Janus, ſive Joannes a Wartenberg.
1318. Guillelmus de Lomnitz cum Conrado Ep. Ol.
1324. Henricus ſenior de Lippa.
1329. Joannes de Boskovitz.
1339. Zdenko, aut Czenko de Lippa.
1345. Albertus de Sternberg, conjuge mortua Epiſc. Litomiſsl.
1348. Willhelmus de Landſtein.
1376. Joannes ſenior de Mezeritz.
1380. Beneſſius de Wartenberg.
1405. Lacz'ko, ſive Ladislaus de Kravarz'.
1417. Petrus de Kravarz'.

cias Regi Boh. quoquo modo obnoxias excire, gravia postularunt negotia. *a*)

Leges Marchionatus Moraviæ.

II. Ordinum ista distinctio leges quoque diversas tum peperit. Nam præter Conradinas leges, quas *Prz'emislaus Ottocarus I.* Boh. Rex diplomate suo firmavit (*de his priore periodo in adnott. egimus*) adsensu Marchionum suas sibi rogavit, fixitque leges nobilitas, suas regiæ, ut vocant, civitates. Jus scriptum nobilitati, *provinciale* (Práwa zemſká) quod civitatibus erat proprium, *municipale* (Práwa méſtſká) majores nostri dixerunt. *) Præcipuum, quod tempore isto occurrit, municipale jus *Brunense* fuit. Civibus enim Brunensibus Rex Boh. *Wenceslaus I.* anno 1243. jura singularia, gratias, & libertates tantas contulit, ut quum una membrana comprehendi non possent, in altera quoque describendas jusserit. *b*) Unde urbs Bruna & bonarum legum, & virorum sapientum copia ita floruit, *c*) ut præter plures Moraviæ civitates, & oppida, quædam etiam Silesiæ, Hungariæ, Austriæ, & Bohemiæ civitates, item Pra-

a) M. Paulus Stransky *Reipubl.* Boh. c. 12.

*) De utrisque his juribus erudite disserit in cæsareo-regio Lyceo Olomucii J. U. D. Jur. Eccles. & Patrii P. P. O. Josephus Wratislaus de Monse, ut patet ex ejus prælectionum synopsi año 1783. Olomucii edita: Leitfaden zu den Vorlesungen über die Landesgesetze des Markgrafthums Mähren. Nos igitur ea solum delibamus, quæ ad historiæ notitiam attinent. — *De jure provinciali*, & *municipali* ita disserit Stransky de Rep. B. c. 11. n. 5.

b) Strz'edovsky Apographor. Morav. Vol. *VI.* p. 7. ubi ea jura refert; referuntur etiam in libello: *Jura primæva Moraviæ* p. 42. — 58.

c) Privileg. Joannis Marchionis Mor. Brunensibus año 1350 datum

Praga ipsa iisdem legibus uterentur. *d*) Inde pariter ævo *Caroli IV. Imperat.* & *Joannis Marchionis* adornata est *casuum forensium* sylloge, continens diversos casus forenses certis titulis ordine alphabeti comprehensos, qui variis in oppidis Moraviæ, & quibusdam Bohemiæ, Hungariæ, & Silesiæ, per judices, & juratos olim decisi, atque ad supremum regionis tribunal Brunæ constitutum, provocando deducti, decretoria sententia judicati sunt. Ex ea sylloge, ad pernoscendas antiquitates patrias perutili, constat, quænam civitates, & oppida casus forenses dijudicandos Brunam mittere consueverint. Nempe *in Moravia*: Cremsirium, Holinium, Prostanna, Crumlovium, Gevitzium, Wischkovia, Eyvancz'icium, Magno-Biteschium, Zidlochovitzium, Caunitium, Hustopecium, Slavkovium, Mödrz'icium, Purlicium, Nicolsburgum, Podivinum, Wesselium, Drnholtzium, Gaja, Hradischtium, Hunnobroda, Boskovicium, Bzenecium, Saara, Znoyma, &c. *In Bohemia*: Praga, Landskrona, &c. *In Hungaria*: Sakolka, Posonium, &c. *In Silesia*: Oppavia, Lignitium, Carnovia, &c. *e*) Alterum *jus municipale* pluribus post annis adoptavit sibi urbs Olomucium. Hæc enim Marchionatus metropolis, etsi proprio careret jure; jura tamen Brunensia, forsan ex æmulatione quadam, adeo non accepit, ut potius caussas suas aliarum civitatum, præcipue Neostadii, & Freudenthalii, judicio permiserit, non sine dispendio civium, re-

d) Codex MS. Pragensis curiæ, cui titulus: Regestrum civilium sententiarum.

e) Adauctus Voigt in actis litterariis Boh. & Mor. Vol. *I. P. I.* p. 27. seqq. ubi librum casuum forensium erudite recenset.

rerumque,] ac perſonarum periculis plurimis. Donec tot malis, & incommodis fatigata urbs princeps Moraviæ, *jura Magdeburgenſia*, ſive *Saxonica* adſcivit ab exteris, eaque anno 1352. a *Joanne Marchione* Moraviæ comprobari petiit. Annuit vero *Joannes Marchio*, & jure hoc municipali & Olomucium, & civitates quasdam uti permiſit, nempe Luthoviam, Schönbergam, Neoſtadium (Unczov), Podenſtadium, &c. *f*)

Inſigne Marchionatus Moraviæ.

III. Quodnam *inſigne* Ducibus Moraviæ in uſu fuerit, ex veterum tabulis haut conſtat. Inſtituto Moraviæ Marchionatu, Nobilium quique deinceps varios adhibuerant clypeos, & inſignia, paulloque poſt ſigillorum uſus magis, magisque increbuit. *g*) *Marchionatus inſigne* brevi poſt tempore fuit *aquila*; cujus origo fruſtra in Marchionum noſtrorum numis, aut expeditionibus in Italiam, vel Palæſtinam quæritur; ſed ex ſigillis eorumdem duntaxat eruitur. *) Et quidem *Wladislaus* Moraviæ Marchio II. utebatur ſigillo equeſtri, quod anno 1214. caret aquila. *h*) *Wladislaus junior*, ſeu Marchio III. diplomati patris ſui *Prz'emislai Ottocari I.* anno 1224. tamquam teſtis appreſſit ſigillum non proprium, ſed paternum, cujus an-

R

f) Diploma Joannis Marchionis in tabulario civit. Olom. Et Caſus forenſes pag. *XXVI.* b.

g) Dobner Annal. Hagek *P. I.* p. 18. ſeqq. & 161. ſeqq. ad an. 722.

*) Marchiones enim potiſſimum exteris utebantur numis, ut infra dicetur; in expeditionibus vexilla & ſcuta ad arbitrium cujusque erant diverſæ formæ, & coloris. At Marchionum ſigilla diplomatis appenſa, plerumque *aquilam Moravicam*, primum Bohemicæ ſimilem, dein ab ea diſtinctam, exhibent.

h) Dobner mon. ined. T. IV. p. 254. & Tab. *I.* n. 50.

antica pars auream bullam, postica vero imaginem S. Wenceslai cum aquila Bohemica in clypeo refert. *i*) *Prz'emislai Ottocari I.* Mor. Marchionis IV. exstant diplomata anni 1238. in archivo monasterii Welehradensis, & curiæ Olomucensis, item Rayhradii anni 1234., quorum singulis appensa sunt sigilla ejusdem formæ. *k*) Posterius hoc typo editum est sigillum equestre, exhibens *Prz'emislaum* Marchionem equitem cum lancea, & clypeo, in cujus medio cernitur aquila Bohemicæ similis, quam, teste Dobnero, pater ejus Rex Boh. *Ottocarus I.* clypeo S. Wenceslai primus inseruit. *l*) Eodem sigillo usus haut dubie fuit Marchio V. *Wladislaus Henricus III.*, quum aliud proferri nequeat. At Marchio IV. *Prz'emislaus Ottocarus II.*, quem in rebellione contra patrem gessit, clypeum retinuit Moravia potitus, scilicet *leonem bicaudatum*, quem primus in clypeum Bohemicum invexit. *m*) Ut Rex Boh., & Marchio Moraviæ in majoribus sigillis gessit *leonem* simul & *aquilam*; immo in sigillis an. 1272 — 73. — & 77. duas aquilas, quarum una Marchionatum Moraviæ designabat. *n*) Hæ tamen aquilæ *Prz'emislai*, & *Ottocari Marchionum* necdum erant tessellatæ; seu scachatæ, neque coronatæ.

Wen-

i) Dobner differt. de *I.* Marchione Morav. edit. Olomuc. p. 94. in notis.

k) Cl Monse in notis cit. differt. p. 97. ubi typum edidit tertii hujus sigilli.

l) Dobner Abhandlung über die Abänderung des Böhm. Wappenschildes. T. IV. inter Born diss.

m) Idem ibid p. 231. Et mon. ined. T. IV. pag. 262. seqq.

n) Idem cit. differt. Born. p. 220.

Wenceslaus II. Rex Boh. & Moraviæ Marchio VII. diplomati ſuo, quod anno 1298. datum in archivo civitatis Egrenſis reperitur, appendit ſigillum exhibens tres aquilas. Prima ex his, nimirum Bohemica, eſt *nigra*; altera nempe Moravica in clypeo trigono, eſt *teſſellata*, ſeu *ſcachata rubeo, & albo*, ſive *argenteo colore*, geſtans *capite coronam*; tertia Polonica, ſeu Sileſitica *mediam lunam* refert ob Ducatum Cracoviæ, & Sandomiriæ. o) Atque hic primum conſpicitur *aquila Moravica*, quam idem Rex, & Marchio iccirco iis coloribus omnium primus ornaſſe videtur, ut, quum tres gereret aquilas, trium provinciarum indices, inſigne Marchionatus Moraviæ a ceteris diſtingueretur.*) At enim aquila formæ iſtius nequidem conſtanter uſu recepta a Marchionibus noſtris fuit. Nam *Joannes Lucemburgicus* Rex Bohem. & Moraviæ Marchio X. in ſigillis ſuis, quæ diplomatis ejus appenſa exſtant, ſæpius tres, immo quatuor geſſit aquilas, quarum aliqua ſine dubio Moraviam denotat, p) etſi teſſellata non ſit. Sigillum *Caroli* Moraviæ Marchionis XI. appenſum ejus diplomati anno 1342, & inſtrumento ſtipulationis anno 1343. exhibet leones Bohemicum, & Lucemburgicum, ſimul vero aquilam teſſellatam absque corona. q) Rurſus aliud ejusdem Marchionis ſigillum, quo diploma anno 1343. ſignavit, cum leonibus re-

 fert

o) Idem. mon. ined. T. IV. Tab. VI.

*) Non igitur Slavo Moravi *tabulam ſcacbatam* ſecum ex Croatia attulerunt, eique poſtea aquilam albam ſuperaddiderunt, ut opinantur Paprocius init. Spec. Moraviæ & Peſſina init. Prodr. item Mart. Mor. L. I. c. 5. p. 49.

p) Dobner cit. diſſert. Born. p. 220.

q) Idem mon. ined. T. IV. p. 311. ſeqq.

fert aquilam non ſcachatam. r) Sigilla *Joannis* Moraviæ Marchionis XII. nobis latent; quin autem pariter aquilam teſſellatam prætulerint, vix dubitari poteſt; ſiquidem ejus filii *Jodocus*, & *Procopius* Marchiones noſtri eandem perpetuo geſſerunt.

Sic *Jodoci* ſigillum, quod litteris *Smilonis de Sternberg* anno 1378. datis ineſt, præfert aquilam teſſellatam ſine corona in clypeo albo. s) Eandem aquilam cum leone Lucemburgico præſentat typus numi a *Jodoco Marchione* excuſi. t) Similiter litteris *Petri de Kravarz*, & *Marquardi de Sternberg* anno 1385. appoſitum eſt ſigillum *Procopii Marchionis*, quod in ſcuto polygono refert *albam aquilam coronatam, rubeis, & argenteis teſſeris* diſtinctam cum epigraphe: *S. Procopii Dei gratia tertiogeniti Marchionis Moravie.* u) Eodem ſigillo munitum eſt diploma, quod idem *Procopius* Cojetinii anno 1395. dedit Annæ ſorori ſuæ. Quin etiam cetera Marchionis hujus ſigilla minoris moduli eandem aquilam teſſellatam exhibent. x) Quum igitur Marchiones noſtri *Jodocus*, & *Procopius* tum in ſigillis, tum in numis ſuis conſtanter geſſerint aquilam teſſellatam, ſive ſcachatam rubeo, & albo colore, eaque non in Bohemia, & Moravia ſolum, ſed & in Luſatia, Marchia Brandeburgica, & Comitatu Lucemburgico longe, late-

r) Idem ibid. Tab. *IV*. n. 174. ubi horum ſigillorum typus.

s) Idem l. c. Tab. V. n. 293.

t) Apud Kœlerum Münzbeluſtigung *P. XVIII*. p. 217.

u) Dobner mon. ined. T. *IV*. pag. 376. ſeqq. & Tab. V. n. 308.

x) Idem l. c. p. 383. & 391. Tab. V. n. 333.

lateque innotuerit: factum est, ut id genus aquila invaluerit pro *armis*, & *insignibus Marchionatus Moraviæ*. Id quod anno 1462. testatur *Fridericus III.* Rom. Imperator, qui diplomate Marchionatui Moraviæ dato, aquilæ Moravicæ colorem album in glaucum, sive aureum transmutavit, atque hodiernum Marchionatus nostri insigne stabilivit. *y*)

Fodinæ, & Moneta Marchionatus Moraviæ.

IV. Quo tempore, & ubi locorum in Moravia cæperint fodinæ metallicæ, certis, clarisque documentis adstrui nequit. Scriptores patrii duntaxat ajunt, Slavos nostros montana Sarensia (Zdiarsky hory) ab antiquo jam coluisse, unde argenti materiam non tam pretiosam, quam copiosam effoderint. Ac primæ quidem fodinæ narrantur fuisse ad montem veterem (stará hora, sive Altenberg) quocirca toti illi tractui nomen *Veteromontani* (der Altenberger Zug) inditum, pagi vero *Dlanzena*, & *Berenavia* ex casis metallicorum exorti sunt. *a*) Circa medium seculi XIII. fossores germani montes hos excoluerunt, ut probat *Jus Iglaviense montanum*, germanicis vocibus refertum. *b*) E quo etiam constat, *Iglaviam* esse Bohemiæ, ac Moraviæ, immo totius Germaniæ antiquissimam *montanam civitatem*, quæ postea aliis norma fuit. Nam ubi *Wenceslaus I.* Rex Bohemiæ, ejusque filius *Przemislaus Ottocarus* Moraviæ Marchio

 jus

y) Diploma Friderici *III.* Imp. in Jurib. primævis Morav. p. 29. seqq — Vid infra añus 1462.

a) H. Peithners Versuch über die natürlich- und politische Geschichte der Böhmisch- und Mährischen Bergwerke. Item Adauctus Voigt Böhm. Münzbeschreibung *P. I.* p. 101. Hagek ad ann. 935.

b) Jus hoc vid. ap. Dobner mon. ined. T. *IV.* pag. 205. seqq.

jus illud circiter anno 1248. suis diplomatis firmarunt; Iglavienses hoc suum jus municipale, & montanum ita habuere occultum, ut aliæ civitates montanæ jura peterent ab Iglaviæ Magistratu, præclusa omni penitus, nisi ad Regem, aut Camerarium Regis, appellatione. Sane civitates montanæ *Freyberga* Saxoniæ, & *Kuttenberga* Bohemiæ, principium juris montani inde traxerunt. Tandem quo facilius metallici responsa acciperent, *Wenceslaus II.* Boh. Rex *Jus regale montanum* opera juris consulti Itali *Gotii Urbevetani* circa annum 1295. composuit, germanis metallicis omnibus profuturum. *c*) Nec tamen eviluit auctoritas Iglaviensis Magistratus, qui metallicis finitimis usque ad annum 1465. montanis de caussis dixerat sententiam. *d*) *)

Quum ita *jus montanum* Iglaviæ floreret, præter Sarenses, & Iglavienses fodinas, alia quoque Marchionatus Moraviæ loca, metallorum feracia, colebantur. Jam enim tunc memorantur fodinæ ad Jesovitzium, Teltschium, Zlabinkam, & Pernsteinam; in Olomuc. circulo: ad

c) Jus hoc regale vid. ap. D. de Peithner l. c.

d) Dobner l. c. in præfat.

*) Urbem *Iglaviam* Hagek in Annalibus suis anno 799. conditam statuit, nomenque ex slavica voce Gehlat (ericius, ein Igel) indeptam ait, quod frequentes ericii cum suis fœtibus intra cavernas occurrerint, quum nova Slavorum colonia aggerem attolleret. — Sed quemadmodum non liquet, num vero, an arbitrario calculo annus ille statuatur; ita certum est, ericium Jawikar a veteribus Slavis appellatum esse. Hinc verisimilius urbs hoc nomen suum a præterfluente fluvio Gihlawa (Igla) appellato duxit. Vid. Dobner l. c.

ad Hangensteinam, Römerstadium, Braunseisium, Goldensteinam, Boskovitzium, Sternbergam, & Wisternitzium; in Prerov. circulo: ad Bistrz'icium, & prope Fulnekam plumbi fodinæ illis temporibus erant celebres. *e*) *) Ampli id genus fodinarum reditus Bohemiæ Ducibus, ac Regibus, queis Moravia fuit obnoxia, regali jure potissimum erant proprii; hinc non Duces modo, sed Marchiones etiam Moraviæ Bohemicis plerumque, aut exteris utebantur numis, nec ullum jus monetas cudendi habuerunt. Nuper quidem ad Reginohradecium Bohemiæ sub novorum munimentorum prosecutionem reperti sunt Moravorum Ducum *Conradi Brunensis*, & *Ottonis Znoymensis* denarii cum pluribus numis *Wratislai Boh. Regis* antea *Ducis Olomucensis*. Sed numi hi ab illis procusi haud dubie fuerunt consensu patris eorum *Brz'etislai I.* Boh. Ducis, qui anno 1053. eisdem ita partitus Moraviam est. Nam præter eam monetam nulla usquam adhuc aliorum Moraviæ Ducum reperta fuit, & post obitum *Brz'etislai* Spitigneus maximus natu ejus filius, Dux Bohemiæ fratres suos hanc etiam ob caussam armis persecutus videtur, quod sibi jus monetam cudendi arrogassent. *f*)

 Immo

e) H. v. Peithner l. c. Item Rmi. Dni. Abbatis Ottonis Steinbach kurze Geschichte des Markgrafthums Mähren. p. 62. seqq.

*) Immo & civitati Brunensi anno 1291. Wenceslaus II. *Boh.* Rex, & Moraviæ Marchio concessit *jus montium*, si favente Domino, processu temporis ad *Brunam* sex milliarium spatio inveniatur metallum sive auri, sive argenti, sive plumbi, sive aliud quodcunque; quod ad ipsam civitatem *Brunensem* pertineat. — Vid. Apograph. Stz'edoysky Vol. *VI.* p. 20.

f) Dobner Annal. Hagek *P. VI.* p. 7. seqq.

Immo licet montana civitas Iglavia anno 1278. a Rege *Ottocaro* officinam, & domum monetariam obtinuerit; *g*) Marchiones tamen nostros jure monetæ cudendæ præditos fuisse, nullo, quod constet, documento probatum est. Quid? quod ipse *Ottocarus* Marchio anno 1249. mediam monetam Iglaviæ, sive dimidium ex reditibus fodinarum Iglaviensium, a patre suo *Wenceslao* Boh. Rege obtinuerit; attamen ejus qua *Marchionis* nullus hodieque numus in lucem prodiit. Demum anno 1392. prima fit mentio grossorum *moravici numeri*, & *pagamenti*; quos *Jodocus*, & *Procopius* Marchiones Moraviæ suo nomine, & insigni notatos excudere cœperunt. Horum Jodoci, & Procopii grossorum typos in annalibus suis se prolaturum pollicetur Dobner, Cæsareus Bohemiæ historiographus. *i*)

ltura, imensio rum.

V. Ut montes metallicos magna, ita industria maxima agros Moravi coluerunt præsertim his Marchionum temporibus. Quum enim auctis indies familiis, novi excitarentur vici, oppida, civitates; novitii quoque ad vitam sustentandam agri ubivis locorum excoli cœperunt. Nihilosecius tamen omnis hæc agrorum cultura prosperis, & adversis Moraviæ rebus consentanea fuit. Sæpius nimirum hostes exteri, præsertim Tatari, Cumani, Hungari, Poloni, Austriaci, &c. uberem coloni messem calamitate affecerunt; sæpe ab aratro ad arma con-

g) Otto Steinbachs kurze Geschichte des Markgrafthums Mähren p. 62. Adauctus Voigt Böhm. Münz T. *II.* p. 46.

i) Dobner mon. ined. T. *IV.* p. 381. ubi litteræ Alberti de Sternberg, quibus Stephano de Zabrz'ech castrum suum Svietlov cedit, ac primum de grossis *Moraviti numeri*, & *pagamenti* meminit.

concurrit agricola, nec nisi pace reddita, opus rusticum repetiit; interdum aëris tempestate accidit, ut aratorem spes locuples frustraretur. Sic anno 1225. nives solito diuturniores, & subsequentia sero gelua cum frugibus vites decoxerunt. Anno 1263. tanta rei frumentariae inopia Moraviam afflixit, ut regia siliginis mensura 122. numis (hodiernae monetae 10. fl. 10. cr.) tritici vero 150. numis (hodie 12. fl. 30. cr.) veniret, atque ideo fame plurimi enecarentur. *k*) Quae fames anno 1280. saevierit, aut quam calamitatem frugibus anno 1338. locustae attulerint, explicitum supra fuit. *l*)

Vetus dimetiendi agros ratio Moravo-Slavis usitata, non liquet. Verosimilius Dux Moraviae *Brz'etislaus* exemplum secutus est patris sui *Udalrici* Bohemiae Ducis, qui anno 1022. primus metatorum ope omnes Bohemorum agros certa, ac justa mensura dimetiendos curavit. *m*) Mensuram hanc postea anno 1268. *Prz'emislaus Ottocarus II.* Boh. Rex, & Moraviae Marchio accuratius definivit, ita, ut deinceps spatium, quod 4. grana hordei juxta se posita occupant, *digitum*; quatuor digiti *palmum*; decem digiti *spithamam*; tres spithamae *ulnam* Pragensem constituerent. Jussit praeterea *funiculum mensorium* (Land- oder Waldseil) 42. ulnarum esse, cui in dimetiendo addi debebant duae spithamae, benedictionis divinae caussa. Porro quinque funiculi erant *jugerum*; quinque autem jugera efficiebant *virgam*; tres virgae *quadrantem*; quatuor demum quadrantes *hubam* (Lan).

Agri

k) Kurze Geschichte des Markgrafthums Mähren p. 56.

l) Vid. hist. polit. ad ann. 1280. & 1338.

m) Hagek Annal. Bohem. ad hunc an.

Agri ipsi per *liras* (Záhony) & hæ per *sulcos* (Brazdy) dividebantur; liræ vero alternatim septenos, octenosve sulcos continebant, ita, ut in quolibet agro duæ liræ simul sumtæ 15. sulcorum essent. Porro ad hubam agri *regalis* numerabantur 12. sexagenæ lirarum; ad *parochialis* 11. sexagenæ; 10. ad *Dominorum*, seu Nobilium; 8. ad *rusticorum*. Pro conserenda nihilominus qualibet ex his hubis deputabantur 64. modii tritici. Solet enim in agris natura jejunis plus sementis spargi, quam in bonis, & fructuosis. Quum itaque agri regii omnium optimi, parochiales ab his secundi, dominorum paullo deteriores, rusticorum vero postremæ forent notæ: ad æqualitatem inter omnes inducendam, quæ a certa sementis mensura desumebatur, alii aliis majorem spatii intercapedinem continebant. Denique *versus* (ein Gewendt, bohem. Hon) quinque funiculos erat longus; rotæque aratri tantæ peripheriæ construi jubebantur, ut 60. circumvolutiones versum efficerent. Atque hæc mensurandi ratio ad tempora usque Caroli IV. perduravit, qui eandem ad meliorem ordinem reduxit. *n*) *)

VI.

---

n) Hagek ad ann. 1268. Et acta litteraria *Boh.* & Morav. Adaucti Voigt p. 355.

*) In libro auctoritate regia año 1754 edito: Neue Abschätzungsinstruktion, und Ordnung artic. *XVII.* de agris statuitur, ut 64. modii sementis (Geometrische Strich) *hubam* constituant; campus vero modii hujusmodi capax (ein geometrischer Strichfeld) tribus funiculis quadratis, quorum singuli 52. ulnis longi sint, constet. *Vid. Adauct. Voigt. l. c.* p. 359.

Mercatura Moravorum.

VI. Præter diverſi generis fruges, & metalla, etiam *lithanthraces*, *linum*, *butyrum*, *lana*, *panni*, *vinum*, *equi*, *variæque pecudes* negotiandi occaſionem Moravis præbuerunt. Quamvis enim antiquis Moraviæ temporibus mercatura omnis permutatione mercium indigenarum fieret; nihilominus deinde quibusdam veluti gradibus adolevit, & fructuoſa evaſit vel maxime, quum pecuniæ uſus apud Moravos invaluit. Hinc Marchiones noſtri non mercatus modo, nundinasque ſolennes in præcipuis Moraviæ urbibus inſtituerunt, ſed plura etiam dedere diplomata, promovendæ Moravorum mercaturæ utilia. *o)* Sane *Wenceslaus I.* Rex anno 1243. ſtatuit, ut Brunæ XXIV. cives jurati ad provehendam negotiationem acriter vigilarent, ac de fallaci menſura, ac pondere convictos, pœnis plecterent. *Ottocarus II.* anno 1269. conceſſit, ut varii panni, plumbum, haleces, aliæque id genus merces, quæ tum Teutobrodæ in Bohemia venumdari ſolebant, Iglaviæ Moravorum etiam venales proponerentur *p)* Poſtea vero hæc eadem civitas commercium ſalis, & ſolennes nundinas obtinuit a *Joanne Rege*, qui anno 1324. Non. April. dato Znoymæ diplomate, antiqua Brunenſium privilegia firmavit, ſtatuitque inter alia, ne vina Auſtriaca, poſtquam vino indigenæ ætas acceſſerit, ante feſtum Paſchæ promant œnopolæ, ſub pœna amittendi vini Auſtriaci, & quinque marcarum uſualium. *q)* At enim merces indigenas ex ſententia ut di-

---

o) Patrii hiſtorici paſſim, & annales civit.

p) Otto Steinbachs kurze Geſchichte des Markgr. Mähren p. 59. ſeqq.

q) Strz'edovsky apograph. Mor. Vol. VI. pag. 27. ſeqq.

divenderent Moravi, idem *Rex Joannes* anno 1336. permovit Hungariæ Regem *Carolum* I. ad concedendum mercatoribus noſtris privilegium, quo minus portorium rebus omnibus fuit impoſitum, ac liber mercium commeatus in Hungaria permiſſus. r) Jam igitur eo tempore mercatura Moravorum incrementa cepit, ad ſupremum vero faſtigium provecta dein fuit a *Carolo*, & *Joanne* Marchionibus noſtris, quum Moravi non ſolum in Auſtria, Hungaria, Polonia, aliisque regionibus finitimis, ſed & in Pruſſia, Ruſſiaque negotiarentur; quin immo etiam *jus ſtapulæ* (Stapelrecht) metropoli Olomucio eſſet proprium. s)

Artes, & Opificia.

VII. Similes fere progreſſus, ut res aliæ, in Moravia habuerunt artes, & opificia. Rudiore nimirum ævo rudes omnino erant opifices ad communem vitæ uſum neceſſarii, nec niſi primordia quædam artium pictoriæ, ſtatuariæ, architecturæ, ab exteris didicerunt Moravi. Quum dein prope aſſiduis ferveret bellis Moravia, fabriles potiſſimum officinæ, artesque mechanicæ notiores evaſerant; etiam vero antiqua hinc inde reperiuntur monumenta, quæ ſatis, ſuperque innuunt, jam Moravorum Ducum tempore politiores aliquantum exſtitiſſe artifices. t) Tandem felici Marchionum ævo, artes, & opificia nobiliorem attigerunt gradum. Ac præter architecturam gothicam, ut ajunt, varii generis effigies, & ſimulacra e lapide, metallis, ligno, &c. affabre facta egregios ævi illius

r) Idem ibid. p. 31. ſeqq.
s) Vid. hiſtor. polit. ſupra ad an. 1350 — 1355 — & 1411.

t) Kurze Geſchichte des Markgr. Mähren. p. 27.

illius artifices hodieque teſtantur. Neque jam ignari muſicæ fuerunt majores noſtri. Siquidem exeunte XII. & ineunte XIII. ſeculo celeber, magnique nominis in Moravia erat, *Joanne Bavaro*, & *Roberto Epiſcopis*, *Balduinus* Decanus Capituli Olomucenſis, patria Romanus, qui diurnum cantum in ordinem primus redegit, comparata ad id ſuis impenſis idonea, ac neceſſaria librorum multitudine. *u*) Dominicanorum vero cœtus ſec. XIII. habuit *Hieronymum de Moravia*, artis muſicæ peritiſſimum, cujus rei teſtimonium reliquit *tractatum de muſica* in bibliotheca ejus Ordinis recenſitum. *x*)

Quanta copia variorum opificum in Moravia tum fuerit, probant vetuſta mechanicorum ſtatuta, & uniones ſive tribus eorum inſtitutæ. Has quidem uniones, ſive czechas, *Wenceslaus II.* Moraviæ Marchio anno 1292. ſuſtulit Brunæ; *Carolus* pariter Marchio illas Olomucii, & Znoymæ abolevit; paullo autem poſt *Joannes* Marchio anno 1350. easdem univerſe inhibuit. *y*) Id quod non temere, ſed has ob cauſſas factum: 1) Mechanici in tribubus ſuis communiter promiſerant, neminem opificio eorum inſtituendum, niſi prius aliquot marcæ ſolvantur, quæ dein, tirone moriente, vel ab opificio deficiente, pro tribu ſerventur. 2) Si quis opificium in urbe exercuit nulli addictus tribui, impune occidi poterat, ſolumque pœnam pecuniariam occiſoris tribus perſolvit. 3)

u) Auguſtin. Cat. Ep. Olom. & Dubrav. in ſerie Epiſc. Olom.

x) Dubrav. ibid. Et Fauſt. Prochaska de ſec. L. A. in Boh. & Mor. fatis p. 95. & 123.

y) Strz'edovsky apograph. l. c. p. 19. & 37.

3) Piſtores dumtaxat ter in hebdomada panem pinſebant; laniones vero pecora non mactabant prius, quam carnes antiquæ venderentur. 4) Cerdones cum lanionibus ſpeciales habuere uniones, ſcilicet ne ullus ad opificium eorum admittatur, niſi pecunia jus ad tribum emat, vel eorum filiam ducat in uxorem; filii vero cerdonis, aut lanionis mortui ſolum tribulis tutelæ committantur. 5) Sutores a cerdonibus dumtaxat corium emere cogebantur; viciſſim alius, qui de tribu ſutoria non fuit, calceos in urbe vendere non poterat. 6) Sartores vetuerunt, ne famuli ad urbem venientes operam locarent ſartoribus, qui tribules non erant, &c. z) Sed adhibita dein correctione, memoratæ opificum tribus denuo invaluerunt.

Litterarum Studia.

VIII. Pulcherrima litterarum ſtudia, quæ adhuc fuerunt quaſi in cunabulis, ætate jam proceſſerant in Moravia, paulloque poſt feliciter adoleverunt. Quum enim Marchiones noſtri, præſertim *Ottocarus II.*, *Carolus*, & *Joannes II.* in cultura Moravorum elaborarent plurimum; variis in locis aperti ſunt ludi litterarii, in quibus ætas juvenis ad honeſtatem, & doctrinam fingebatur. Præcipua vero fuit Olomucenſis ſchola, Clericis Eccleſiæ ad omnem eruditionem inſtituendis deſtinata, quam *Wenceslaus II.*, & *Carolus* Marchiones tanto proſecuti ſunt favore, ut magiſtrum illius tributis omnibus eximerent. a) Secundum dignitatis locum obtinuit ſchola in loco *Laska* (ad Olomu-

z) Idem ibidem p. 35.

a) Vid. hiſtor. politic. ad ann. 1335. & Ziegelbauer Olom. sac. P. II. de officio *Canonici ſcholaſtici*, qui Præfectus ſcholæ illius fuit.

mucium haud procul Gradicio; pro juvenibus, & adolescentibus Grammatica, & Logica instituendis dudum erecta, quæ ad annum 1465. florentissima fuit, teste rescripto *Pauli II. Pont.* anno eodem pridie calend. Martii Consulibus Olomucensibus dato. *b*) Neque ignotæ fuerant scholæ Brunenses in Parochia collegiatæ Ecclesiæ S. Petri institutæ, in quibus Grammatica, & disciplinæ ecclesiasticæ docebantur usque ad annum 1466., ut idem *Paulus II. Pont.* alio rescripto suo testatur. *c*) Ex his perinde, atque exteris etiam scholis & academiis, quas non pauci Moravorum adiverant, egregii bonarum litterarum cultores evaserunt. En Moravos! eruditionis fama celebres.

Sæc. XIII. doctrina inclaruit *Martinus, Poloni* cognomento nobilis, ortu Oppaviensis, & vel ideo Moravus, quum regio Oppavena fuerit pars Moraviæ. Is primus Pragæ ad divi Clementis vel pontificius inquisitor, vel certe ejus collegii socius, dein V. Pontificum Romanor. major Pœnitentiarius, tandem Gnesnensis in Polonia Archiepiscopus fuit. Ejus historiæ liber, fama inclitus, ingenia, diligentiamque multorum exercuit. *d*)

Sæc. XIV. præter decus litterarum gloriosissimum, Moraviæ Marchionem *Carolum*, qui suam ipse vitam calamo latino scripsit, nostramque historiam id temporis insigniter illustravit,

b) Rescriptum hoc apographum est in bibliotheca Cl. de Monse.

c) Rescriptum apud Pezium cod. diplom. P. III. pag. 396.

d) Faustin. Prochaska l. c. Dobner annal. Hagec. P. III. ad an. 853. Cl. de Monse inf. doct. pag. 13. seqq.

vit, e) plures Moravorum eruditione claruerunt. *Dalimilus* Mezrz'icii natus, Veteroboleslaviae Canonicus, annales Bohemiae ab exordio gentis usque ad annum 1314. ordinatim, & jucundis linguae Bohemicae rhytmis condidit, venerandum linguae veteris monumentum. f) Ejusdem gentis & dignitatis paullo post erat *Nicolaus de Cremsirio*, scholae Boleslaviensis Magister, & ibidem Collegii Canonicorum Praepositus, denique *Carolo IV. Imp.* ab epistolis publicis. g) *Joannes Militius* pariter Cremsirii natus, ob insignem Theologiae, & Jurisprudentiae sacrae peritiam inter Canonicos Ecclesiae Pragensis adscitus, tum evectus ad Archidiaconi dignitatem, a morte *Nicolai* popularis sui *Carolo IV.* Imp. ab epistolis quoque fuit. At muneribus his anno 1362. sponte abdicatis, praedicationi verbi divini se totum dedit. Quum autem in corruptos aevi illius mores, nulla conditionis, status, & dignitatis ratione habita, severe inveheretur; neque Cleri adeo, & religiosorum vitiis parceret, magna invidia flagrare coepit. Bis Romam adiit purgandi sui caussa; bis judicum sententia absolutus fuit. Diem clausit extremum anno 1374. relictis ingenii sui monumentis, quae prelo excusa non sunt: *Quadragesimale*, sive conciones Quadragesimae sacrae tempore habitae; *Prothemata* de B. Virgine: *Postilla* in Evangelia; *Sermones*: de cruce, & tribulationibus Ecclesiae Dei *Tractatus*, ab acatholicis etiam mirifice commendatus. h) *Nicolaus de* Ge-

e) Effigies Erudit. Boh. & Mor. T. I. p. 1.

f) Acta litteraria Boh. & Mor. Vol. I.

g) Ibidem Vol. *III.* p. 217. & Faust. Prochaska l. c. p. 71.

h) Balbini Boh. docta P. *II.* p. 181. a Raphaële Ungar edita. Et acta litteraria Adaucti Voigt pag. 216. seqq.

Geviczka ex illuſtri apud Moravos Equitum ſtirpe ortus, inter primos Univerſitatis Pragenæ, a *Carolo IV. Imp.* fundatæ Profeſſores, qui ex Academia Pariſina prodierant, Medicam docuit, Decanus facultatis artium creatus. *i*)

Initio ſæculi XV. doctrina, & ſcriptis egregiam collegerunt laudem: *Sigismundus Albicus*, Neoſtadii (Unčow) in Moravia natus, præclara medicæ rei ſcientia, quam in Pragenſi Univerſitate docuit, celeberrimus. Scripſit opera: *Practicam medendi, regimen peſtilentiæ, regimen ſanitatis.* Tum a *Wenceslao* Boh. Rege anno 1411. ad Archiepiſcopatum Pragenſem evectus, eodem abdicato, ut Præpoſitus Wiſchehradenſis anno 1427. obiit. *k*) *Stephanus Dolanenſis*, Caroli IV. Imp. Cancellarius, poſtea Prior Carthuſiæ Vallis Joſaphat in Dolan, & fortiſſimus Huſſi impugnator, vivere deſiit año 1421., ejus vero ſcripta Bernardus Pezius Anecdotor. T. IV. edidit. *l*) *Stanislaus*, & *Petrus de Znoyma* Doctores Theologicæ facultatis Pragæ, quorum ille accuſator Huſſi in concilio Conſtantienſi, & Vice-Cancellarius Univerſitatis Pragenſis fuit. *m*) *Joannes de Holleſchovia*, qui juſſu patris Ulmanni (is Joanni II. Marchioni cariſſimus, oppidi Holleſchow erat Dominus) Pragæ liberalibus diſciplinis eruditus, nomen

S de-

i) Balbin. l. c. P. *I.* p. 72. ſeqq. Voigts Verſuch von der Univerſität zu Prag inter Born. T. *II.* p. 314.

k) Adauctus Voigt Abbildung Böhmiſcher und Mähriſcher Gelehrten. *II.* Th. p. 82.

l) Idem in act. litter. Boh. & Mor. p. 246.

m) Idem l. c. & Verſuch von der Univerſitat zu Prag. n. 18. Item Cochlæus hiſt. Huſſit. L. II. p. 86.

dedit familiæ Benedictinorum in monasterio Brz'ewnoviensi; tum Parisios, ut scientiis Theologicis excoleretur, missus est; demum in concilio Constantiensi Hussi accusator acerrimus Rayhradium in Moraviam rediit. Præter *Commentaria* in Canticum S. Adalberti: Hospodine pomiluj ny, elucubravit *Tractatum* contra Joañ. Hus; *Largum sero*, sive libellum de colleda, aliisque consuetudinibus circa festum Natalis Domini in Bohemia, & Moravia observari solitis; & *Sermones* de laudibus B. V. Mariæ. *n*) *) Denique ad eruditorum Moraviæ classem pertinet *Paulus de Kravarz'*, potenti non minus, quam celebri Kravarz'iorum familia oriundus, Academiæ Parisiensis anno 1416. Magister, & Baccalaureus Medicinæ in Universitate Montis Pessulani. *o*)

HI-

n) Effig. Eruditorum Boh. & Mor. T. IV.

*) Libellum illum *Largum sero*, seu *Largus Vesper* Arsenius Theodor. Fasseau Olomucii in bibliotheca Illustrissimi Comitis Giannini reperit, atque ibidem cum præfatione *de Kalendis Januarii* typis excudendum anno 1761. curavit. Sed tot scatebat erroribus, ut Canonicus Olomucensis Baro a Freyenfels, cui dedicatus erat, ferme omnes coëmtos suppresserit.

o) Balbin. Boh. doctæ P. I. p. 75.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

I. Si quando unquam, hoc certe Marchionum ævo floruit apud Moravos religio christiana, quum & Principes nostri veræ in Deum pietatis publica statuerent monumenta, & Præsules Ecclesiæ Olomucensis vita laudabiliter acta non minus, quam statutis longe saluberrimis populo, & utrique Clero præelucerent. Id quod rerum ab Episcopis nostris gestarum series luce clarius aperiet. Et quidem sub initia Marchionatus Moraviæ ad fastigium Olomucensis Ecclesiæ tum Capituli Pragensis, tum *Friderici* Boh. Ducis suffragio evectus *Peregrinus* (aliis *Piligrimus*, & *Pilgramus*) Pragensis Præpositus. *a*) Quum exquisita foret morum integritate, non Canonicos solum Olomucenses, sed Marchionem quoque Moraviæ *Conradum* sibi devinxit. Quocum aliquando agens, ecclesiam in villa, seu vico Dassicz'e consecraturus, *Godeschalcum* magni tum nominis Abbatem Siloënsem, ad se divertentem sic accepit, ut virum sanctum omnino decuit. Sed biennio post ipse ad vitam hac mortali beatiorem transiit. *b*) Ab ejus obitu Ecclesia Olomucensis biennium suo caruit Præsule, quod Episcopus, & Canonici Pragenses, uti & Fridericus Bohem. Dux pro auctoritate, & potentia alias usurpata, quemcunque vellent, eidem Ecclesiæ destinarent.

Peregrinus Episc. Olom. XI.

A. C. 1182.

1186.

S 2

a) Chron. Siloënf. apud Dobner mon. ined. T. I. p. 93. E quo scriptore coævo patet, erraffe Dubravium, Fridenfels, Ziegelbauer, & alios, qui *Peregrinum* Canonicum Strahoviensem faciunt.

b) Chron. Siloënse ibid. p. 112.

rent. c) *) Tandem dissensu omni extincto, legitime, & canonice ad Episcopi munus electus fuit *Kaymus*, regularis Præmonstratensis Canonicus Strahoviensis, qui fratrum amator, subjectique sibi Cleri, ac populi Antistes laudatissimus, profusæ in omnes largitatis, & hospitalitatis, singularis semper modestiæ talem se præstitit, qualem Timotheo suo describit Apostolus. d) **) Obiit pridie idus Januarii anno 1194., idque solum ei datur vitio, quod Pragam accitus, ut Henrici Boh. Ducis, & Episcopi castrenses vinculo anathematis solveret, ibidem Clericos sine impositione manus incaute ordinaverit. e)

ymus . Olom. XII. . 1188.

II.

c) Anonym. in Catalogo Epp. Olom. apud Augustin. Item Dubrav. hist. Boh. L. XIV.

*) Hoc interim tempore, nempe año 1187. *Gregorius VIII. Pont.* Hinkonem, seu Henricum de Zierotin, qui assumta cruce in terræ sanctæ subsidium profectionem parabat, cum ejus familia, & possessionibus, in protectionem sedis Apostolicæ suscepit. Præclarum sane Comitum de Zierotin documentum! *Vid. Dobner mon. ined. T. IV. p.* 250. *Et ibid. T. I. p.* 121.

d) Anonym. in catal. Epp. Olom.

**) Verum Episcopi hujus nomen eruitur ex diplomate *Conradi*, seu *Ottonis* Boh. Ducis, *quondam Marchionis Moraviæ* (ut ibidem se ipse appellat) quod año 1190. datum, continet fundationem monasterii Lucensis Ordin. Præmonstrat. in Moravia. Donationis testem præter alios egit Episcopus noster, ubi non *Cain*, sed *Kaym*, h. e. *germen* vocatur. *Vid. Ziegelbauer Olom. Sacri. p.* 107.

e) Chronicon B. Gerlaci mon. ined. Dobneri T. I. p. 123.

Engelb. Episc. XII. A. C.

II. *Engelbertus* primum Canonicus, & Archidiaconus Ecclesiæ Olomucensis, dein regul. Canonicus in monasterio Strahoviensi, concordibus Canonicorum Olomuc. vocibus Pastor supremus Moraviæ evasit. Immo & patris nomine dignus, qui etiam erga infimæ conditionis homines mire affabilis, ac propterea imis, & summis carissimus fuit. *f*) Hinc oppidum *Svitaviam* ad fines Moraviæ situm, ac pridem violentia abalienatum recuperavit; *g*) instauravit basilicam cathedralem, eamque interius vestiit; Clericos Bohemos a *Kaymo* incaute ordinatos, per solam manuum impositionem, ut *Cælestinus III. Pont.* jusserat, ministerio sacro idoneos fecit. Denique meritis, & diebus plenus, senioque confectus XVI. Calend. Januarii vitam posuit. *h*) Hunc in Episcopatu excepit *Joannes V.* natione Bohemus, agnomine *Bavarus*, regularis Canonicus Strahoviensis, qui & officium vigilis Antistitis explevit, & *Przemislao Ottocaro I.* non parum gratioso utebatur. Is enim consilio Procerum Bohemiæ, & Moraviæ constituit decimam Episcopo Olom. Joanni, ejusque successoribus in provincia *Gallasich*, scilicet 6. denarios de aratro pendendos; ecclesiæ vero cathedrali Olomucensi contulit villam Drisich, hereditario jure possidendam. *i*) At majoribus cumulandus donis Episcopus *Joannes*, quum in Milovicensi ecclesia incruentam Deo victimam litaret, victima ipse mortis ad aram subito concidit,

1199.

Joannes dict. Bav. Episc. O XIV.

S 3

f) Anonymus in Catalogo Epp. Olom.

g) Dubrav. hist. Bohem. L. XIV. n. 10. — 20. Boreg. descriptione terr. Bohem. Ziegelb. Olom. Sac. p. 109.

h) Anonym. l. c. Chron. B. Gerlaci l. c. p. 123. seqq.

i) Litteræ donationis apud Ziegelbauer. Olom. Sac. p. 113.

A. C. 1201. cidit, perbrevi extinctus: Olomucensium e Præmonstrato Strahoviensi adscitorum Præsulum postremus. *k*) *)

Robertus Episc. Olom. XV.

III. Suffectus in locum illius fuit *Robertus*, natione Anglus, Cistercienfium Nepomuci in Bohemia Prior, singulari doctrina, ac prudentia, morumque gravitate conspicuus. Sarcophago S. Christini Martyris auri, & argenti laminis circumdato, gemmisque pretiosis distincto, ecclesiam cathedralem ornavit; crucem duodecim auri marcis æstimatam, quam a Wladislao I. Moravorum Marchione II. obtinuit, thesauro illius addidit; villam autem, nomine Rathay, ære suo coëmtam, bonis ejusdem accensuit. Quum dein ecclesia hæc incendio conflagrasset, sumtibus, & industria sua restitutam, 1204. *Præpositi* dignitate decoravit, villa Miedviczy ejus reditibus tradita. *l*) Tanta *Roberti* Episc. munificentia, animique magnitudine motus Rex Boh.

---

k) Ziegelbauer l. c. p. 110.

*) *Joannem Bavarum* Ep. Olom. Anonymus, & ex eo Augustinus, ac Dubravius in Catalogo Episcoporum Olomucensium atris pingunt coloribus; sed egregie vindicat Magnoaldus Ziegelbauer Ol. Sac. pag. 110. seqq. Nempe quod inter Missarum solennia obierit apoplexia tactus, plebeja superstitio eumdem malum fuisse hominem effinxit. — Verum ut alia probæ vitæ hominum exempla taceamus, minime obest, quo minus illi, qui ictu apoplectico percussi, nullo pietatis edito signo ex hac vita excesserant, in numero piorum haberi valeant; quippe qui etiam inter beatos cooptari, eorumque albo adscribi possunt, si aliunde illorum sanctitas confirmari queat. *Vid. Card. Lambertini*, *seu Benedictus XIV. P. L. III. c. 28. de canoniz. & beatif. SS.*

l) Anonym. in Catalogo Epp. Olom. Et Ziegelbauer l. c.

Boh. *Prz'emislaus*, Præpositum Ecclesiæ Olom. supremum in Marchionatu Moraviæ *Cancellarium* perpetuo esse voluit; bona episcopalia Episcopo decedente, integra successori ejus a Decano, & Præposito Capituli servanda decrevit; Canonicis vero liberam, secundum canones electionem Episcopi, quam Principum nemo impediat, diplomate suo concessit. *m*) Parem quoque ab Ottone IV. Imp. iniit gratiam Episcopus noster, quum ab eodem evocatus, & comitiis Imperii magna sui commendatione interfuit, & cum copiis suis illum in expeditionem Romanam secutus est. *n*) Redux ad suos potestatem fecit Henrico Archiepiscopo Gnesnensi consecrandi ecclesiam Zabrdovicensis Ord. Præmonstratensis monasterii, quibus solenniis sacris non ipse solum, cum Daniele Episcopo Pragensi, sed Moraviæ etiam Marchio *Wladislaus*, Elisabetha *Andreæ III.* Hungariæ Regis filia, multique Bohemiæ, & Moraviæ Procerum adfuisse leguntur. *o*) Cetera inter negotia *Robertus* Episc. Tractatum *de Sacramento pænitentiæ*, non magnæ quidem molis, sed vastæ, solidæque doctrinæ exaravit; ecclesiam in Pustomir multis auxit reditibus; Capituli sui, & *Alexandri IV.* Pont. consensu, omnia cœnobii Welehradensis bona a decimis exemit. *p*) Deinceps in præsentia Boh. Regis *Prz'emislai I.* ejusque filii *Prz'emislai* Moraviæ Marchionis IV. &

A. C. 120[illegible]

1209.

1211.

1220.

S 4 Ja-

m) Diploma Prz'emislai Regis in archivo Olomuc. Eccl.

n) Goldastus Comment. de regno Boh. L. V. c. 5. Kranzius L. VII. c. 3. Spangenberg Chron. Sax. c. 244.

o) Carol. Hugo Annal. Præmonstr. T. II. pag. 1177.

p) Ziegelbauer l. c. p. 117. & 119. Strz'edovsky Mor. Sac. L. IV. c. 11.

A. C. 1228.

Jacobi Nitrienſis Epiſcopi Baſilicam Welehradenſem Deo in honorem Deiparæ, & SS. Cyrilli, ac Methodii conſecravit, ibique octo dierum ſpatio cum Rege celebravit ſolennia dedicationis. q) Quibus peractis, cum Collegio Canonicorum Olomucium revertit, ac reliquos vitæ annos pariter non ſibi, ſed Deo, Eccleſiæ, & populo impendit, excelſo, atque infracto ſemper animo, quo & mortem veroſimilius anno. 1235. aſpexit. *)

Fridericus Epiſc. Olom. XVI.

IV. *Fridericus* e gremio Capituli Olom. ad infulam epiſcopalem electus, omnigena eruditione, præcipue rerum divinarum ſcientia præditus, atque omnis in religione novitatis, quæ ſuperſtitionem olere poſſet, oſor providus, ac ſolers fuit. Id quod teſtatum fecit memoratu digna diſſenſione, quæ illi cum *Gregorio IX.* Pont.

q) Hirſchmenzel MS. Welehr. L. II.

*) De anno obitus *Roberti* Ep. Olom. multa eſt apud ſcriptores controverſia. Catalogus Epp. Olom. apud Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. ponit ann. 1232. At ibidem in duobus diplomatis monaſterio Tiſchnovienſi a Prz'emislao Moraviæ Marchione anno 1234. & 1235. datis, rogatur idem Robertus Ep., ut ſigillum ſuum ad rei majus robur apponat: igitur anno 1235. adhuc ſuperſtes fuit; an autem hoc, vel ſequente obierit, non conſtat. Illud omnino certum, año 1237. jam fuiſſe mortuum, quum *Gregorius IX Pontifex* anno iſto litteras apoſtolicas ad *Fridericum* Roberti in Epiſcopatu ſucceſſorem dederit.— Hinc litteræ *Roberti* Ep. Ol. (apud Ziegelbauer l. c. p. 115.) quibus anno 1239. confirmat jus patronatus in eccleſia Tiſchnovicenſi, ſub mendo cubant. Fallitur etiam Pulkava (apud Dobner mon. ined. T. III. p. 217.) qui Robertum hunc año 1240. mortuum eſſe, adſerit.

Pont. intercessit in causa stigmatum S. Francisci Seraphici. Religiosi nempe Ordinis Minorum, quibus Barones Cz'ernahorsky, sive Boskovitzii anno 1230. Brunæ monasterium cum ecclesia S. Joanni Baptistæ sacra exstruxerant, quum multa alia præclara de S. Fundatoris sui Francisci vita, virtutibus, & miraculis prædicarent, tum illud maxime extulerunt, quod ejus manibus, pedibus, & lateri sacra stigmata Redemtoris nostri divinitus impressa fuerint, quæ Christianorum veneratione, & cultu digna forent. Doctrina hæc tum nova, & admirabilis offendit aures *Friderici* Episcopi, qui veram esse religionem dicebat, sanctissima Redemtoris nostri stigmata devenerari; in Francisco autem, quantævis sanctitatis, puro tamen homine, atque ut ceteri omnes, sanguine Christi redemto, stigmatum venerationem sapere superstitionem. Deinde haut potuisse fieri, ajebat, ut Franciscus his clavorum, & lanceæ vestigiis, humanæ redemtionis signis, decoraretur; siquidem summopere dedecet, ut planta pedis ornamenta capitis assumat. Ejusdem erat sententiæ *Eichardus* ex Patrum Prædicatorum familia ecclesiastes celeber, qui acrius adhuc contra novum hunc in Moravia cultum declamans, in Fratres minores, ceu præstigiatores invehebatur. Qua de re certior factus *Gregorius IX.* Pont. Eichardo linguam compressit, & concionibus ad populum e sacro suggestu habendis interdixit. *Friderico* autem Episcopo, litteris ad eum datis respondit: " Quemad-" modum incircumscriptæ sapientiæ, & poten-" tiæ Dei complacitum fuit, hominem ex li-" mo terræ ad imaginem suam creare, & Fi-" lium suum unigenitum naturam humanam " adsumere; ita eidem complacuit, quinque

A. C. 1237.

" vul-

" vulnerum crucifixi Dei-Hominis stigmata
" Francisco servo suo imprimere, & per hoc
" eundem singulari prærogativa præ ceteris
" hominibus insignire." Quia vero Pontificem non fugiebat, hæc rationum momenta ab Episcopo tanti non fieri, ut propter ea se a sua dimoveri sententia patiatur; eidem sub obedientia sibi, & apostolicæ Sedi debita præcepit, ut acquiesceret, nec stigmata S. Francisci deinceps in pejorem partem raperet. r) Paruit Fridericus judicio Pontificis, atque ad cœlum, ubi pax perpetua, translatus pacem Ecclesiæ suæ abstulit, quæ præter Tatarorum sævitiam, septennium suo caruit Præsule.

A. C. 1241.

V. Siquidem electores e gremio suo *Willhelmum* Præsulem elegerunt, sed ejus loco Rex Boh. *Wenceslaus I. Conradum a Fridberg* obtrusit. Quam vim, & injuriam *Joannes* Decanus cum Capitulo cathedrali moleste ferens, ut libertatis decus in eligendo Episcopo tueretur, Romam se contulit cum *Willhelmo* electo, & aliis quibusdam Canonicis. s) Hic vero lis opinione diutius tenuit; in plures protrahenda annos, nisi *Bruno*, in Holsatia natus, Comes a Schaumburg, Magdeburgensis, & Lubecensis Ecclesiæ Præpositus t) intervenisset. Aderat ille tunc Romæ, (incompertum cujus negotii caussa) ac *Joannem* Decanum, lingua slavica sermones cædentem cum sociis, forte fortuna convenit in curia. Idiomatis hujus non ignarus, de caussa

ad-

r) Baronius in not. ad Martyrolog. Rom. 15. Kal. Octobr. Raynaldus Anal. Eccles. T. XIII. ad ann. 1237. n. 60. Vid. Litteræ Pontif. L. II. ep. 19.

s) Augustin. Catalog. Epp. Olom.

t) In notis ad Hermanni de Lerbeke Chronicon apud Henricum Meibomium.

adventus, ac litis ſtudioſe multa quærit, dat conſilia prudentiæ plena, ad litem ſtrenue proſequendam & animos, & pecunias, quæ deficere cœperant, liberaliter ſuggerit. Paucis: ipſe Olomucenſis Eccleſiæ cauſſam Romana in curia egit, defendit, evicit. Capitulum cathedrale de hac egregia *Brunonis* in ſe voluntate edoctum, nihil magis, atque illum, intruſi Conradi loco, habere Epiſcopum exoptavit; *Willhelmus* ab omni ambitione alienus, de jure ſuo deceſſit non gravate: ſummus vero Pontifex *Innocentius IV.* in concilio Lugdunenſi I. ratam habuit electionem *Brunonis*, eumque *Conrado* ſuffecit. *u*) At iſte repugnans, Epiſcopatu nolebat cedere. Quapropter Pontifex Moraviam interdicto Eccleſiaſtico ſubjecit; hominem contumacem, regia tandem ope deſtitutum, diris devovit, movitque Cathedra Olomucenſi. *x*)

A. C. 1245.

1246.

VI. Hanc demum plaudente Olomucio, & ipſo etiam *Wenceslao* annuente, adiit *Bruno*, Epiſcopus balteo, & tiara celeberrimus, atque ad immortalitatem memoriæ glorioſus, cui ſua pleraque decora, & hodiernam quoque amplitudinem Olomucenſis debet Eccleſia. Nam ut res præclaras militiæ ab eo geſtas prætereamus hoc loco, *y*) primis ſtatim annis Regem *Wenceslaum* prudentia, & fide ita ſibi devinxit *Bruno*, ut ille promulgaret edictum, quo omnes Moraviæ Marchionatus incolæ *decimas* (ab his Moravi antiqua conſuetudine erant immunes) Epi-

Bruno Epiſc. Olom. XVII.

1248.

u) Ziegelbauer Olom. Sac. P. I p. 125. Dobner mon. ined. T. IV. pag. 261. Balbin. Epitom. p. 265.

x) Pulkava Dobneri mon. ined. T. III. ad hunc añum.

y) Vid. hiſtor. polit. ad añ. 1255. — 1280.

Episcopo Olomucensi, ejusque successoribus, aliisque ecclesiarum Rectoribus, & Parochis solvere jubebantur. z) Eadem benevolentia nixus, bona, & prædia episcopalia, silvam nimirum, & quasdam villas circa oppidum Hotzenplotz, quæ, ecclesia Olomucensi vacante, per Provincialem suum, & venatores terræ occupavit Przemislaus. Ottocarus Moraviæ Marchio, rursum recuperavit, ac regio postea consensu retinuit. a) Quum vero semel, atque iterum filio Marchioni Rege patrem conciliasset; summa etiam apud *Przemislaum Ottocarum* valuit gratia, & auctoritate. Hic enim Marchio precibus *Brunonis* adductus Ecclesiæ Olomucensi privilegia omnia firmavit; b) regno deinde potitus prædia quædam litigiosa eidem addixit; confecto autem bello Prussico I. & Hungarico, commilitonem suum oppido Hulin, cum pluribus pagis, villis, & prædiis annexis, liberalitate regia donavit. c) *)

A. C. 1250.

1261.

VII.

z) Edictum apud Ziegelb. l. c. p. 126. Qui mos decimas solvendi ab eo tempore in Moravia hodieque obtinet.

a) Testamentum Brunonis Ep in Tabulario colleg. Ecclesiæ Cremsir., ubi prædia illa recensentur.

b) Paproc. Spec. Mor. p. 37. ad hunc añ.

c) Diploma donationis ap. Ziegelbauer. l. c. p. 131.

*) Altero post hæc anno, nempe 1262 monasterium Huñobrodense Ord. Prædicatorum sub titulo B. V. M. in cœlos assumtæ conditum esse a quodam Melchiore monacho ejusdem Ordinis, narrat breve Chronicon Huñobrodense apud Dobner mon. ined. T. II. pag. 284. ubi addit: "Quibus "sumtibus id præstiterit, ignotum. In hoc "autem monasterio, ut "traditiones ferunt, erat "miraculosa imago B. "Virginis, quam B Lu- "cas penicillo suo pin- "xerat. — Hæc ut sub "je-

VII. Nec minus liberalis Episcopus noster fuit. Ad maxima quæque natus, ingentes quoque reditus, ac divitias suas in perpetuum divini cultus augmentum, & Ecclesiæ splendorem impendit. *Cremsirium*, diruto vili pago, ædificandum suscepit, illudque foris, plateis, ædibus ornatum, in nobilem, ac regiis supparem evexit civitatem. Hanc suam, omniumque deinceps Antistitum Olomucensium sedem decoravit basilica S. Mauritio, Thebæisque Martyribus sacra, quam e secto lapide a primis fundamentis erexit, erectam S. Mauritii Magdeburgo allatis, aliisque amplius viginti insignioribus reliquiis, quindecim altaribus, Collegio Canonicorum, & reliquo ministerio instruxit, dote liberalissima locupletavit. *d*) Fundavit etiam Collegii hujus *Præpositum*; collationem vero Præpositur æ sibi, suisque successoribus reservavit, quæ solum Ecclesiæ Olomucensis Canonico, dum vacat, conferatur. Instituit & *Decanum*, a Canonicis Cremsiriensibus e gremio eligendum, uti etiam collegam alium, attamen secundum formam Canonum sibi cooptare poterant in locum alterius. *e*) Addidit Col-

A. C. 1264

1267.

" irruptionem Tataro-
" rum, aliorumque ho-
" stium in tutum collo-
" caretur, a FF. Prædi-
" catoribus ad Poloniam
" devecta fuit, coliturque
" hodiedum ibidem Cz a-
" stochoviæ.,, Quæ quidem utut vera sint; quid sentiendum de imaginibus a S. Luca pictis, supra dictum est. *Vid. hist. polit. ad annum* 1356. *in notis*.

d) Dubravius hist. Bohem. L. XVII. Pessina Prodr. Moravogr. c. 5. §. 2. Crugerius ad 18. Febr. Ziegelbauer, Augustinus, &c.

e) Privilegium Brunonis Ep. de collatione Præpositur æ, Decanatus, & Præbendarum Canonicalium Eccl. collegiatæ Cremsiriensis año 1267. Cremsirii datum.

Collegio plures Vicarios, inter quos *Vicarius honoris*, *Vicarius perpetuus*, item *Custos* numerabantur. Diversam quoque a Decanatu collegiatæ, parochialem in honorem magnæ Matris ecclesiam exstruxit, quam illi postea *Petrus* Episcop. Olom. uniit. *f*) His negotiis intentus *Bruno*, novam parabat expeditionem suscipere in Prussiam, acceptis a *Clemente IV.* Pont. litteris, quibus eidem omnes eas terras, quas cum Rege *Ottocaro* expugnaturus esset, in sacris subjecit. *g*) Quum autem varias belli vices animo versaret, Olomucii voluntatem suam testamenti nomine declaravit, cujus hæc summa: 1) enumerat bona, & prædia, quibus ipse sua industria Ecclesiam Olomuc. auxit: quo pertinet etiam telonium, & oppidum Viscoviense, ab eodem recuperatum. 2) De quibusdam bonis episcopalibus disponit in favorem Canonicorum Olom. & ecclesiæ collegiatæ Cremsiriensis ad S. Mauritium. 3) Statuit post obitum suum pro salute animæ suæ, & omnium Episcoporum Olomucensium duos dies anniversarios præscripto modo celebrandos. Quod etiam fieri jubet a morte Ottocari Regis, pro anima ejus, aliorumque

A. C. 1267. 29. Novembr.

f) MS. Urbarium Eccles. collegiatæ Cremsiriensis a Laurentio Zwetlero ejusdem Ecclesiæ Præposito conscriptum año 1619. Qui ibidem ait: "Gaudet igitur Ecclesia hæc jure Capituli, habeturque sigillum Capituli vetus in hodiernam usque diem." Præterea censet minimum septem Canonicos ad eam Ecclesiam fuisse institutos. Hinc ex numero 15. altarium Ecclesiæ S. Mauritii, in testamento Brunonis expresso, nequaquam certum eruitur, universim 15. Canonicos, & Vicarios a principio fundatos esse, ut affirmat Kurzgef. Geschichte der heutigen Ordensklöster. p. 28. seqq.

g) *Raynald.* Annal. Eccles. T. XIV. ad añ. 1268.

que Bohemiæ Regum, & Moraviæ Marchionum. 4) Commemorat quatuor Præbendas Olomucii a se institutas, nominatque Decanum, Præpositum, & Archidiaconum. Prodit pariter duos id temporis Archidiaconos, Znoymensem videlicet, & Cremsiriensem. 5) Denique vult suam hanc voluntatem impletam, saltem ex bonis a se comparatis; proinde executorem testamenti præcipuum facit *Ottocarum* Bohemiæ Regem. *b*) *) Ita rebus in ordinem redactis, cum Rege *Ottocaro* in Prussiam movit.

VIII. Redux in Moraviam, quoad per negotia regia licuit, fere assiduus Cremsirii morabatur, unde magis, magisque ditionis suæ terminos, potissimum Hungariam versus protulit. Impenso enim pretio comitatum Hochvaldensem cum annexis oppidis, & arcibus emit, novumque oppidum nomine *Brunsbergam* excitavit. Comitatum Schönbergensem sui fecit

b) Vid. hoc testamentum Brunonis Ep. unde status Ecclesiæ Olomucens. ævo illo dispicitur.

*) *Scholastici Olomucens.* ibidem Bruno haud meminit; quia demum aliquot post años reditus ei assignavit. Erat igitur *Canonicus scholasticus* jam institutus, ut probat charta litis contestatæ inter Abbates de Wilhemov, & & de Welegrad, quos ad præstandum calumniæ juramentum citat Cremsirium Officialis Brunonis Ep., subditurque: *Actum Cremeser* (Cremsirii) año D. 1267. III. Cal. Apr. præsentibus *Conrado Scholastico, & Canonico Olomucensi*, &c. Vid. Dobner, mon. ined. T. IV. p. 275. Hinc labat calculus Magnoaldi Ziegelbauer Olom. Sac. P. II. in Elencho Scholasticor. ubi censet hunc Conradum fuisse secundum Scholasticum, eo quod demum año 1274. inter testes Canonicos a Brunone Ep. adhibitos legatur.

cit juris, ac prope Kelcz'ium arcem *Schaumburg* dictam erexit. *Oslaviam* in Silesia mœnibus, & arce decoravit. *i*) Ut vero magnifica, totque ditionibus locupletata Olomucensis Ecclesia ad sui præsidium, & ornamentum illustres haberet milites, ac defensores, jam inde ab anno 1252. plura instituit *feuda episcopalia*, eaque viris nobilibus sacramento obstrictis contulit, quorum fides, ac virtus domi, militiæque cognita fuit. *k*) Quæ beneficia militaria Rex *Ottocarus* comprobavit, Roman. Pontifex æqui consuluit adeo, ut *Gregorius X.* datis ad *Brunonem* litteris, quæ in proximo concilio Lugduni celebrando de morum emendatione agitanda essent, non gravate suggeri petierit. Rescripsit ille epi- 1273. stola sapientiæ, ac prudentiæ referta, quæ adhuc in castro S. Angeli Romæ diligenter adservatur. Et quidem stilo uberiore exponit statum religionis christianæ in Germania, Hungaria, Russia, Lithuania, & Prussia; queritur in regno Hungariæ foveri hæreticos, & schismaticos, præsertim vero Cumanos gentiles Hungaris, & finitimis populis infestos; in Moravia nullos quidem apertos esse hæreticos adserit, sed rem christianam haud dubie agi, quum parietes proximi ardeant. Describit præterea statum beneficiorum clericalium, & quorumdam Ordinum regularium; ac denique reos agit judæos, quod christianis utantur nutricibus, usuras faciant iniquissimas, res profanas, & sacras furto ablatas mercentur, &c. *l*)

Ro-

i) Cruger. ad 18. Febr. Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. p. 131.

k) Testamentum Brunonis Ep. Et diplom. *Regis* Ottocari anno 1272. VI. Cal. Januarii apud Ziegelbauer l. c.

l) Vid. hæc epist. apud Raynold. Anal. T. XIV. ad hunc an.

Romam hæc delata cognitam, & pervulgatam de *Brunone* opinionem tuebantur, quam is denuo testatam fecit, quum in ipso Concilio Lugdunensi II. sapientiam suam latinis, græcisque Patribus probavit. Nempe Antistes ubique magnus, & gloriosus, dubium, controversumque posteris reliquit, an pacis, & militiæ artibus, an rerum divinarum scientia, & religionis studio clarior, atque illustrior fuerit. Tandem stabilito Ecclesiæ suæ splendore, restituta morum disciplina, omnibus, quæ ad vigilantis, & integri Præsulis officium pertinent, summo studio expletis, morbo, & naturæ cessit, Cremsirii in Collegiata S. Mauritii sepultus. *m*) *)

A. C. 12

1281. 18. *Febru*

IX. Auro, cedroque dignum *Brunonem* excepit concordibus electorum suffragiis, qui ante alios Canonicos illi carissimus fuit, *Theodoricus*, no-

Theodori Ep. ... XVIII

T

m) Crugerius, & Ziegelbauer ll. cc.

*) Tot gloriosorum operum confector gloriosissimus Bruno Pontifex Cremsirii, ne lapideam quidem, qui profecto marmoream, ac plane auream merebatur, habet hodie sui memoriam, inquit Crugerius l. c. — At quamvis careat sepulchralibus monumentis, nec ullum supersit mausolæum parvum; exstat tamen hodieque oppido magnum, videlicet tota civitas Cremsiriensis, in qua quiescit, quam ex pago in civitatem muro, & vallis cinctam extulit, addit Perillustris D. Rz'ikovsky Eques a Dobrczicz colleg. eccl. Cremf. Canon. in Commentario suo MS. de ortu, progressu, & variationibus ecclesiæ colleg. Cremf. ad S. Mauritium. Demum Stanislaus Pavlovsky Ep. Olomuc. in epistola ad Cap.tul. Olomucense data Cremsirii 16. Nov. 1587. hoc habet: Veneranda ossa Brunonis occasione minoris chori ecclesiæ (collegiatæ Cremsiriensis) renovandi, dum fundamentum summi altaris profundius, ac longius aliquando fodiebatur, reperta sunt. Ibid.

nobili, ac præpotenti familia Novodomæa ortus, sed vitæ integritate, morumque innocentia nobilior, promovendi cultus divini perquam studiosus. *n*) Quo plures Canonici pro obeundis in ecclesia cathedrali divinis officiis alerentur, ad erigendam in Powla præbendam, *Wenceslaum II.* Boh. Regem permovit; quatuor ipse id genus præbendas in pago Slatina instituit. *o*) Abbati Lucensis monasterii ecclesiam in Mühlfrauen cum proventibus, qui ex latifundiis, & prædiis ad eam redeunt, magna in ægrotantes religiosos benevolentia donavit, ne quid illis ad necessarias deesset medicinas, quibus in pristinam restitui sanitatem possent. *p*) Nec minore beneficio sibi devinxit tum parochialem ad S. Petrum Brunæ Ecclesiam, quam ad collegiatæ dignitatem evexit; *q*) *) tum Raygradense monasterium, in quod jura Episcopi Olomucensis, & Abbatis Brevnoviensis determi-

A. C. 1286. 21. *Martii.*

1296. 7. *Martii.*

n) Augustin. in catalogo. Ziegelbauer Olom. Sacr. P. I. Crugerius ad 29. Martii.

o) Paproc. Spec. Mor. p. 174. ex litteris Brunæ datis. Crugerius l. c.

p) Hugo Añal. Præmonstr. T. II. p. 89. apud Ziegelbauer l. c.

q) Kurzgef. Geschichte der heutigen Ordensklöster. p. 38. ubi citat litteras Fund.

*) Constabat initio collegium duntaxat Præposito, & duobus Canonicis. Año demum 1331. *Joannes* Bohemiæ Rex, & *Marchio Moraviæ* (uti se in diplomate appellat) fundavit Decanum, cessitque Canonicis jus patronatus in præbenda Rausnitzensi; id quod año 1502. *Wladislaus II.* Rex illis confirmavit. *Vid. Fasseau Collect. Synod. Diœces. Olom. P. III. p.* 22. — Qui primus Præpositus pro se, suisque successoribus ab Urbano VIII. infulæ decus impetravit, fuit Hinko Comes a Colowrath. teste Ziegelbauer Olom. Sacr. P. II. p. 97.

minavit. r) Demum instituta, quæ in cathedrali ecclesia de B. Virgine ante auroram fieret, Missa (hanc vocant Maturam) post diuturnos labores extremum diem clausit, atque Olomucii in cathedrali ecclesia requiescit. s) Suffectus illi comunibus votis fuit *Joannes Haly*, gente *Waldsteinius*, magnæ prudentiæ, & pastoralis curæ Antistes, t) qui *Rudolphum* Austriæ Ducem monitis suis a populatione Moraviæ abduxit; u) ut deinceps Archidiaconi, & Scholastici dignitas, etiamque Custodis officium Canonicis residentibus conferretur, multum providens statuit; x) Herberto Ekkerio Baroni de Fulstein (cujus Majores cum Brunone Episc. in Moraviam venerant) castrum ipsum Fulstein in Oppaviensi Ducatu situm, jure clientelari dedit. y) Posteaquam vero inaugurationi regiæ, qua *Joannes*, & *Elisabetha* a Petro Archiepiscopo Moguntino redimiti corona sunt, adstitit: paucos post menses abiit e vivis, tumulo cathedralis ecclesiæ Olomucensis illatus. z) *)

A. C. 1302. 10. Octobris. Joannes VI. dictus Haly Episc. Olom. XIX.

1304.

1306.

1310.

1311. *7. Octobris.*

r) Dobner mon. ined. T. IV. p. 277. seqq. ubi jura hæc referuntur.

s) Augustinus Catal. Epp. Olom.

t) Idem l. c. Crugerius ad diem 7. Octobris. Pessina Prodr. L. III. c. 5. §. 9. ubi ait, esse progenitum seu ex Hugone, seu ex Jaroslao de Waldstein fratribus, qui cœnobium Schumbergense FF. Prædicatorum in Moravia año 1220. condiderant.

u) Vid. historia politica ad hunc añum.

x) Ziegelbauer Olom. Sacr. P. II. in Elencho schol. & Augustin. l. c.

y) Paproc. Spec. Mor. p. 404. seqq.

z) Crugerius ad diem 7. Octobris.

*) *Joannis* hujus Episcopi sigillum, & contrasigillum profert Dobner mon. ined. T. I. Tab. I. n. 5. In contrasigillo visitur *cubans leo*; isne ad clypeum

u II. *icius*, *Olom.* X.

X. Evectus in Cathedram Olomucensem *Petrus* cognomine *Bradavicius*, illustris apud Moravos Lomnitziorum Baronum prosapiæ fuit. *a*) Varias inter vicissitudines Moraviæ insigni pietatis, ac virtutum omnium splendore præluxit, & disciplinam ecclesiæ, morum honestatem, vitæque integritatem, qua Clerum suæ diœcesis cupiit esse ornatum, inprimis curæ habuit. Inde factum, ut primus Olomucensium Præsulum, convocato utriusque Cleri Prælatorum conventu, synodum diœcesanam in urbe Cremsirio celebraret, in qua statutum de cœlibatu ecclesiastico inter alia promulgari fecit. *b*) At nequaquam diu vigilantiæ suæ profectu fruebatur. Vocatus enim Pragam a *Joanne* Boh. Rege, ut solenniis baptismi, quo regia proles *Wenceslaus* fuit ablutus, adesset, paullo post gravem in morbum incidit, eoque consumtus, in Pragensi ecclesia S. Viti sepulchrum reperit. *c*) *) Interea

1312. 1316. *Maji.*

peum Waldsteinium, an ad symbolum quodpiam fortitudinis, vigilantiæque Pastoribus Ecclesiæ necessariæ referatur, incompertum. Quid vero litteræ *AVEN* Iconi superjectæ significent, Oedipo est opus, inquit Dobner l. c. p. 235.

a) Pfeifer enucleat. Paproc. L. I. P. II. c. 5. pag. 78. Augustin Catal.

b) Fasseau Collectionis Synodor. Diœcesf. Olomuc. p. 1.

c) Crugerius ad diem 7. Junii.

*) Extrema cum paupertate *Petrum Episc.* esse conflictatum, ita ut non haberet, unde honesto funere efferri posset, scribit l. c. Crugerius; idque arguit ex sepultura, qua is non Olomucii, sed Pragæ donatus est, quasi per sumtus Olomucium devehi non potuisset. — At istud ait sine tabulis. Quod enim in æde principe ad D. Vitum sepultus fuerit, non extrema paupertas caussa fuit, sed quod ejus ecclesiæ Præpositus esset; hanc vero præpositu-

terea sede vacante *Petrus* Archiepiscopus Moguntinus Olomucium advenit, ut diœcesim, & ecclesiam cathedralem jure metropolitano visitaret. Quo munere defunctus, præsertim alienationem bonorum episcopalium sine præscitu Capituli cathedralis deinceps fieri vetuit, factamque omnino irritam declaravit. *d*) Ab ejus discessu Moravia suum suspexit Præsulem *Conradum*, natione *Bavarum*, qui non genere, sed præclaris animi dotibus nobilis; corpore pusillus, sed magnus animo fuit. Quapropter magnam aulæ regiæ Bohemicæ benevolentiam consecutus, tum *Elisabethæ* Reginæ ab intimis erat consiliis, tum inter præcipuos *Joannis* Regis consiliarios locum, & Marchionatus Moraviæ regimen obtinuit. *e*) Neque tamen ad res politicas ita fuit intentus, ut curam abjiceret muneris pastoralis. Quin potius in istud longe intentissimus, quum cerneret antecessorum suorum sanctiones aut parvi fieri, aut fide authographa carere; frequentissimam Cremsirii urbe episcopali celebravit synodum, præsentibus Prælatis, Canonicis, & utroque diœcesis Olom. Clero, ac demum ad puram ecclesiæ disciplinam, morumque integritatem servandam XXVI. saluberrima promulgavit statuta, quibus sigil-

13. *Julii.*

Conradus Episc. Olom XXI.

A. C. 1318 24. *Septembr*

 lum

situram ad mortem usque retinuit. *Vid. Pessina Phosph. pag.* 606. — Præterea Remigius Maschat in Eliogr. Epp. Olom. opinatur, *Petrum Episcop.* ad coronationem Joannis Boh. Regis Pragam esse vocatum. Id quod supra dictis, & historiæ politicæ añ. 1311. adversatur.

d) Vid. ejus litteræ apud Fasseau Append. p. 173. ubi appellantur: *Litteræ reformationis, & correctionis.*

e) Chron. Aul. reg. apud Freherum. p. 22. seqq. Pessina Mart. Mor. p. 401.

lum proprium appendit. *f*) Munita his præsidiis Ecclesia Olom. pulcherrime floruit, ejusque immunitates, ac privilegia *Conradus* infracto animo ita defendit, ut *Joannes* Rex, & Marchio Moraviæ eadem firmaret, dato Brunæ diplomate. *g*) *) Præsul autem ipse eidem Ecclesiæ donavit pagum Chrenovitz prope Cojetinium, ut ejus perinde, ac Petri Archiepiscopi Moguntini anniversarium perpetuo celebraret. *h*) Hujus initium hic ipse annus fuit, quo *Conradus* Episc. vitam morte commutavit, magnificis in Ecclesiam Olomucensem exequiis elatus. *i*)

1323.

1326. *Augusti.*

XI. Successorem imperiosius, ut erat vehemens, commendaverat *Joannes* Rex *Hinkonem*, seu *Henricum de Duba*, nobilitate quidem præcipuum, multisque aliis insignem dotibus; non tamen Ecclesiæ Olomucensis Canonicum. Hinc, ut candidato suffragarentur Canonici, omnem in electione libera dictaturam exosi, haut facile induci poterant; donec Rom. Pont. *Joannes XXII.* vota

...icus *II.* ... Olom. XII.

f) Vid. hæc statuta apud Fasseau Collect. Synod. p. 2. seqq. Typum sigilli Conradi Ep. exhibet Dobner mon. ined. T. IV. n. 121.

g) Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. p. 154.

*) Idem *Conradus Episc.* anno 1322. obtinuit a *Joanne* Boh. Rege privilegium, ut in qualibet quatuor civitatum Zvittaviæ, Müglicii, Vischoviæ, & Cremsirii *unam familiam judæam*, ab jurisdictione Episcopi, & Ecclesiæ Olomucensis tantum dependentem, tenere, & habere possit. Vid. Ziegelbauer l. c. Minor igitur olim, atque hodie judæorum in Moravia erat numerus.

h) Litteræ donation. apud Ziegelbauer, quibus etiam pagum Cz'essau donat Capitulo colleg. ecclesiæ Cremsiriensis.

i) Augustin. in Catal. & Cl. Monse Insul. Doct. p. 33. seqq.

vota Regis calculo suo probavit. Tum enimvero Henricus regendæ Olomucensi Ecclesiæ datus electorum suffragiis fuit. *k*) Hanc autem rexit tum spectatæ sanctitatis exemplo, tum egregia animi demissione, ac fortitudine. Posteaquam præbendam Wiscoviensem Decano ecclesiæ cathedralis uniit, ut non dignitate solum, & sollicitudine, sed reditibus etiam ceteros anteiret; *l*) pagum Chrenovitz, quem *Conradus Episcop.* sumtibus suis emtum Ecclesiæ Olomucensi donaverat, a *Joanne* Rege male usurpatum, invicta facundia recepit, atque eidem Ecclesiæ restituit. *m*) Plura moliendi cupidus, mortalitate intercipitur, ac Pragensi in ecclesia honorificæ traditur sepulturæ. *n*) Post non multo infulam Olomucensem obtinuit *Joannes Wolko*, regio sanguine *Wenceslai II.* Boh. Regis ex sorore Elisabetha natus, Ecclesiæ Wissegradensis Præpositus, Pragensis, & Olomucensis Canonicus, qui præcipua morum integritate, ac religionis studio omnes præclari Antistitis numeros explevit. *o*) Quamobrem præcipuo apud summos Principes fuit honoris loco, uti præsertim Moraviæ Marchio, & post-

A. C.

1330.

1333. 29. Dec.

Joannes dictus Vi[...] Episc. [...] XXII

T 4 ea

k) Chron. Aulæ reg P. II. c. 19. p. 60. Et Augustin. Catal. Porro Domini de Lippa, alias etiam de Duba, & Berka, item Lichtenburgici, ac Ronovienses erant tres rami ejusdem stirpis. Vid. Pfeifer, Paproc. enucleat. L. I. P. II. c 3. p. 67.

l) Instrumentum unionis confectum Olomucii año 1328. pridie nonas Februarii.

m) Diploma Joannis Reg. año 1331. nonis Augusti Ratisbonæ datum, ubi *Marchionem Moraviæ* se nominat. Vid. Fasseau L. c. P. III. p. 22.

n) Augustin. Catal. Epp. Olom.

o) Idem l. c. & Chron. Aulæ reg. P. II. c. 11. ad añ. 1322.

ea Rex Boh. *Carolus* testatum sæpe fecerat. *p*) Hujus etiam consilio, & Clementis VI. Pont. auctoritate Ecclesia Olomucensis Metropolitam Moguntinum cum Pragensi commutavit, quum Pragensis Episcopus *Arnestus* dignitate Archiepiscopi ornatus, duos obtinuit suffraganeos Episcopos: *Joannem Olomucensem*, & *Joannem Litomisslicensem*. *q*) Quia vero episcopatus Litomisslii in ecclesia monasterii Ord. Præmonstratensis noviter institutus, decente numero ecclesiarum parochialium caruit: quasdam parœcias eidem propiores de sua diœcesi eidem cedere Præsul Olom. litteris pontificiis jubebatur: qua de re pluribus annis inter utrumque Episcopum haut satis convenire potuit. *r*)

XII. Interea temporis hæc memoratu digna: *Joannes* Episc. Olom. ad virginitatis incrementum in meditullio Moraviæ ad civitatem Pustomirium (Pustomierz alias, hodie Pustomierzitz) impensis suis condidit, amplisque reditibus fundavit sanctimonialium Ord. S. Benedicti monasterium, in quo Virgines sacræ ex parthenone Pragensi ad S. Georgium vocatæ, ac variis postmodum donatæ prærogativis fuerunt.

A. C. 1344.

---

p) Vid. hist. polit. añ. 1342 — 48.

q) Bulla Pont. Clementis h. a. pridie calend. Maji data ap. Goldast. Suppl. p. 282. & Balbin. in vita Arnesti L. II. c. 3. p. 97. seqq. Porro Joannes hic primus Episcop. Litomisslicensis erat Ord. Præmonstr. antea Abbas Lucensis in Moravia, teste Dobner mon. ined. T. III. p. 56.

r) Bulla cit. & altera 8. calend. Sept. año 1344. data, apud Balbin. l. c. p. 93. seqq.

runt. s) *) Præſulis noſtri, ac Bohemiæ Procerum rogatu *Carolus IV.* Rom. ac Boh. Rex decrevit, ut poſthac Pragenſis Archiepiſcopus Regem Bohemiæ coronaret; ſalvo nihilominus Epiſcopi Olomuc. jure ſuffraganeo, ſeu vicario, uti privilegium Friderici I. Imp. ſtatuit. t) *Arneſtus* Archiep. Pragenſis concilium provinciale Pragæ celebravit, præſentibus ſuffraganeis ſuis, factoque canonum Eccleſiæ Moguntinæ delectu, additis etiam ſtatutis provinciæ ſuæ

A. C. 1347. 18. *Auguſti.*

1348.

---

s) Inſtrum. fund. Eccleſ. Boleſl. ap. Balbin. Epit. p. 190 — 192. Peſſina Mart. Mor. p. 71. Ziegelbauer l. c. Paprocius Spec. Mor. p. 245. Crugerius ad 2. Junii.

*) Balbin. hiſt. de Ducib. ac *Regibus* Boh. p. 168. fundati Parthenonis Puſtomirienſis añum 1334. ponit. At rectius cum Peſſina Prodr. L. III. c. 5. §. 3. Ziegelbauer l. c. & Cl. de Monſe in MMSS. ſuis añus 1344 ſtatuitur, præſertim cum Dubravius hiſt. Boh. L. XX. dicat, Joannem non diu poſt ſuperſtitem fuiſſe, quam in Moravia cœnobium Puſtomirienſe abſolviſſet. Auguſtinus quidem in Catal. Epp. Olom. ait, Henrico Wolkonem ſucceſſiſſe anno 1333., *moxque* fundaſſe Parthenonem Puſtomir. At anonymus apud Ziegelbauer l. c., unde Auguſtinus Catalogum ſuum exſcripſit, vocabulo *mox* caret. — Prærogativæ hujus cœnobii præcipuæ erant: 1) Abbatiſſa Puſtomirienſis, Georgiana, quæ Princeps fuit, prope par jus coronandi *Reginas* Bohemiæ habuit. 2) Veroſimilius pro virginibus nobilibus fundatum erat. 3) Gaudebat privilegio, ut ibidem Sabbato ſancto circa ſolis occaſum *Miſſa*, quæ dicebatur *aurea*, legeretur. Vid. Crugerius ad 26. Julii, 21. Auguſti, & 2. Nov. Item *Peſſina* Mart. Mor. p. 71. & *Prodr.* l. c. §. 3. in fine.

t) Diploma Caroli IV. ap. Goldaſt. Suppl. p. 286. Et diplom. Friderici Imp. apud Dobner mon. ined. T. III. pag. 170. Item Goldaſt. de regno Boh. L. III. c. 11. n. 19.

ſuæ ſynodalibus, concilii hujus decreta (quæ ſtatuta Arneſti vocantur) in unum volumen redegit, quæ in ſingulis cathedralibus, collegiatis, & utriusque Cleri eccleſiis & ſervanda, & ſedulo implenda voluit. *u*) *) Neque tamen ea in ſynodo exſtinctum fuit diſſidium de XXX. eccleſiis Epiſcopatui Litomiſslienſi cedendis; ſed demum interventu *Caroli* Rom. & Boh. Regis concors *Joannes* Epiſc. Olom. eidem conceſſit, XXIV. eccleſias in decanatibus Schombergenſi, & Huſſovienſi, diœceſis ſuæ ſitas, quarum notiores: Schönvald, Schiltberg, Goldenſtein, Goldek, Reymarſtatt, Reſchendorff, Cechans, & Lomnitz fuere. *x*) Præter hanc

A. C. 1350. 5. *Februarii.*

u) Faſſeau Collect. Synod. P. II. p. 3. ſeqq. Ibid. p. 30. narrat ab Arneſto fuiſſe præceptum, ut libellum Thomæ de Hibernia: *De tribus punctis eſſentialibus Chriſtianæ religionis* ſingulæ eccleſiæ haberent, & obſervarent.

*) Balbin. in vita Arneſti L. II. c. 4. Synodum hanc ad an. 1344. refert; ſed rectius cum Faſſeau l. c. ad annum 1348. ponitur. Nominatur enim in præfatione ſtatutorum Arneſti Carolus IV. Rom. & Boh. Rex: *Nuper — Domini Caroli Marchionis Moraviæ, nunc vero Romanorum, & Bohemiæ Regis*; qui tituli eidem anno 1344. necdum competebant, ut ex hiſt. politica conſtat. — Præcipua Arneſti ſtatutorum erant: 1) Nullus in Eccleſia ſua peregrinum ad celebrandum admittat, niſi præter formatas ſuas oſtendat licentiam Diœceſani. 2) Clerici de bonis per Eccleſiam ſuam acquiſitis teſtari nequeunt. 3) Clerici, dum convivia præparant, (quæ rara ſint) ſex cibariorum, ſeu ferculorum numerum non excedant. *Cetera apud Faſſeau l. c.*

x) Litteræ Joannis Epiſc. & Capituli Olomuc. ad Clementem Papam hoc anno datæ apud Balbin. Miſcell. Dec. I. L. V. p. 38. ubi ſingulæ Eccleſiæ illæ recenſentur.

hanc altero dein anno Episcopus noster etiam vitæ jacturam fecit, in ecclesia Pustomiriensi, ut vivus cupiit, tumulatus. *y*)

A. C. 1351. 27. *Septembr.*

XIII. Successit *Joannes* agnomine *Ocz'ko* familia Procerum de Wlassim clarissimus, ecclesiæ OO. Sanctorum in arce Pragensi Præpositus, humanis, divinisque litteris apprime excultus, Antistes vitæ quam integerrimæ. *a*) Principio quidem regiminis sui, rogatu Capituli Olomuc. antiquas consuetudines, ordinationes, & statuta ecclesiæ cathedralis firmavit; sed paucis post annis *Arnestus* Archiepiscopus Pragensis pro jure suo metropolitano visitata diœcesi Olomucensi, quasdam constitutiones cum Episcopo, tum Capitulo, ejusque Prælatis deinceps servandas præcepit. *b*) *) Quo dein e vi-

Joañes VIII. dictus Ocz'ko, Episc. Olom. XXIV.

1352. 13. *Decembr.*

1355. 15. *Augusti.*

y) Benedict. de Waitmile ap. Dobner mon. ined. T. IV. pag. 36. Crugerius ad 25 Septembr.

a) Augustin. Catal. & Ziegelbauer l. c.

b) Fasseau l. c P. I. p. 11.

*) Constitutiones ad Episcopum spectantes fuerunt hæ potissimum: 1) Episcopus, si fieri potest, per se, vel per *Episcopum*, *Cooperatorem suum*, in omnibus festis Christi, & Matris suæ, in Dominica Palmarum, Cœna Domini, in festo S. Wenceslai, & Christini, in anniversario dedicationis omnium Sanctorum, & commemoratione omnium defunctorum teneatur solenniter celebrare. 2) Chrisma per se in ipsa Olomucensi Ecclesia, non alibi, nisi legitime præpeditus, conficiat; Ordines celebret, & de oleo, ac balsamo pro chrismate provideat. 3) In Cœna Domini mandatum per se, vel certe per alium Episcopum, seu Prælatum majorem, cum cantu solito, lotione pedum, & sermone latino ad Clerum in medio ecclesiæ peragat &c. *Vid. Ziegelbauer P. I. in Joanne Wolkone*, & *Fasseau l. c.* Unde patet Episcopis Olomucensibus jam tum suos fuisse *Suffraganeos*, qui

A. C. 1364. e vivis ſublato, quum *Joannes* Epiſc. ſanctitate, & ſapientia unus omnium maxime floreret, ad preces *Caroli IV.* Imp. ab *Urbano V.* Pont. ad Metropolitanam Pragenſem translatus; poſtea anno 1379. Presbyter Cardinalis, & Legatus natus, ab *Urbano VI.* Pontifice creatus eſt. *c*) Translato ad Pragenſe faſtigium Ocz'kone, *Joannes de Novo Foro* ſecundus Litomiſslii Epiſcopus, *Caroli IV.* Imp. Cancellarius, in Paſtorem Eccleſiæ Olomuc. canonice eſt poſtulatus, eamque regendam, accedente Romani Pontificis adſenſu, haut invitus ſuſcepit. *d*) *) Hac in dignitate non modo munus aulæ imperialis Cancellarii retinuit, ſed etiam inſigni litterarum, ac ſapientiæ ſplendore inſignem *Caroli IV.* Imper. benevolentiam collegit. Nam Princeps hic maximus cum ſciret, Epiſcopos Olomuc. cir-

Joannes IX. *de Novo Foro, Epiſc. Olom.* XXV.

qui eorum vices in Pontificalibus gererent; proin alio ſolum nomine Arneſtus *Epiſcopum Cooperatorem* nominat.

c) Balbin. vit. Arneſti L. III. c. 12, Berghauer in vita S. Joannis Nep. cap. 2. p. 103. ſeqq. Ex quibus patet, Oczkon. Archiep. año 1380. obiiſſe.

d) Litteræ Joannis Epiſcopi Litomiſsl. apud Dobner mon. ined. T. IV. pag. 364. Et litteræ Joañis Marchionis Moraviæ ad Roman. Pontificem datæ ap. Hoffmannum in formulis Cancellariæ Caroli IV. p. 250.

*) *Novum forum*, ſeu *Neoforum* (Neumark) eſt civitas hodiernæ Sileſiæ Wratislavia quatuor milliaribus diſſita, privilegiis ſane quam luculentis donata, teſte Henelio Sileſiogr. renov. c. 7. p. 324. Hæc Joanni Epiſc. Olom. natale præbuit ſolum, ubi tenuibus, & obſcuris natus parentibus, clariſſimo eſt hodie documento, in aula Caroli IV. non generis proſapia, ſed virtutum præſtantia fuiſſe certatum, ac novorum hominum doctrinæ, & induſtriæ ad præcipuos honores, & dignitates aditum patuiſſe. *Cl. Monſe Inſul. Doct. p.* 39.

XV. Succeſſor in Cathedra Olomucenſi fuit *Petrus Gelito*, qui in Niederjonsdorf (pagus eſt ad Landskronam Regni Bohemiæ civitatem) humili loco, atque obſcuris, ut ipſe non diffitebatur, parentibus ortus, ſuis ipſe meritis, & præclaris animi dotibus ad illuſtre quatuor Epiſcopatuum culmen aſcendit. Nam litteris, quæ humanitatis nomine cenſentur, egregie inſtructus, atque in Italia Bononiæ, Peruſii, & Romæ ſuprema juris utriusque laurea donatus ab *Innocentio VI.* Pont. iis juriſconſultis adjunctus eſt, qui litibus decidendis Romæ præfecti erant. Quo in munere, quum non urbi modo, ſed omni Italiæ faceret ſatis, ab eodem ſummo Pontifice ad Curienſem in Rhetia Epiſcopatum anno 1355. provehitur. Sed annis novem eo loci magna cum laude transactis, a *Carolo IV.* Imp. ad capeſſendam Litomiſslienſem Infulam anno 1364. vocatur, quam poſt edita excellentis doctrinæ ſpecimina año 1371. cum Magdeburgenſi commutare rurſum cogitur. Tandem ſimul *Wenceslai* Rom. & Boh. Regis favore, ſimul electorum votis ad Eccleſiam Olomucenſem accitus, ſexennium gubernacula ejus tenuit, Antiſtes magnus omnino, ac religioſiſſimus. k) Namque id temporis in eccleſia cathedrali ſumtuoſum S. Bricii Epiſcopi altare erexit. Ut ne Epiſcopi Olomucenſes, quibus

Petrus III. dictus Gelito, Epiſc. Olom. XXVI.

A. C. 1381

k) Auguſtinus Catal. Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. ubi addit: In pago illo ad Landskronam uſque hodie eſſe fundum, quem incolæ Wurſtgründe, bohemice: Gelitny Grunt nuncupant. Quilibet autem novus hujusce fundi poſſeſſor, ſuppreſſo ſuo cognomine, ab incolis Wurſt, aut Gelito audit. Hujus ipſius fundi parens Petri poſſeſſor erat, unde cognomentum *Gelito* ipſi inditum eſt. Vid. Ziegelbauer l. c.

bus non raro ex Moravia iter in Bohemiam suscipiendum, negotiorum ergo fuit, proprio ibidem carerent domicilio, munitam arcem Dr'zevitz cum pago Popovitz a viro nobili Henrico de Mirow coëmit. Quam emtionem suo quidem diplomate Rex *Wenceslaus* ratam esse jussit, eamque arcem cum pago a morte sua Olomucensis Ecclesiæ propriam fore, declaravit; at perturbatis tum Bohemiæ rebus ipse jam *Petrus* Ep. utriusque dominio extrusus injuste fuit. *l*) Nihilosecius tamen Præsul oppido munificus collegium Canonicorum regularium S. Augustini, quod Episcopus adhuc Litomisslirensis anno 1371. ad Landskronam Bohemiæ construxit, bonisque dotavit immobilibus, novis denuo reditibus adauxit. In Moravia enim pagum Nezamislitz, & Buditz a Stiborio de Cymburg, alias Towacz'ow, emtum cum pleno dominio, & jure patronatus Paroeciæ illius Landskronensi Canoniæ donavit; dein pactione cum Decano, & Capitulo Olomucensi facta, Paroeciam ipsam Nezamislitzensem eidem Canoniæ cum omnibus juribus univit. *m*) Cujus munificentiæ piissimæ fructum laturus, rebus humanis eximitur Landskronæ, corpore in ecclesia parochiali tumulato. *n*)

A. C. 1382. 1383. 1385. 1387. 13. *Februar.*

XVI. A morte Petri Ecclesia Olomucensis haut parvum splendoris sui detrimentum fecit. Infausta enim primordia sane quam tristium vidit

l) Anonymus, ex quo Augustinus Catalogum Epp. Olom. confecit, & Ziegelbauer l. c.

m) Instrumentum venditionis, & donationis; item aliud Instrum incorporationis, & unionis hujus in Archivo Canoniæ ad OO. SS. Olomucii.

n) Anonymus in Catalogo Epp. Olom. & Ziegelbauer l. c.

vidit temporum, quibus nonnulli Præſules veſtigia anteceſſorum deſeruerunt; Clerus communi quodam abreptus turbine, extra cancellos egredi non erubuit; grex fidelium ab avita religione in avia, ac devia pedetentim deflexit. Et nunc quidem *Joannes Sobieslaus* Litomiſslienſis Epiſcopus, *Jodoci*, & *Procopii* Moraviæ Marchionum frater, non cathedralis Capituli adſenſu, ſed violenta ſuorum manu ad Eccleſiam Olomucenſem pervenit. *o*) At meliorem reductus ad ſemitam, ab *Urbano VI.* Pont. translatus ad patriarchalem Eccleſiam Aquilejenſem fuit. *p*) Mox ad vitandam diſſenſionem compromiſſo Marchionum Moraviæ, & Capituli Olomucenſis annuens Rom. Pontifex *Nicolaum de Rieſenburg*, Conſtantienſem Epiſcopum Eccleſiæ Olomucenſi præfecit. *q*) Præſul hic initio regiminis ſui emendandis Cleri moribus ſe dedit; ut divinum officium ea, quæ Numen ſupremum decet, reverentia perageretur, præcipuæ habuit curæ, dictoque parum audientes diris etiam eccleſiaſticis conſtrinxit. *r*) Tum nulli induſtriæ pepercit, ut arcem Drz'evitz cum pago Popovitz ex iniquis raptorum mani-

A. C. 1387.

Nicolaus Epiſc. Olom. XXVII.

1388.

o) Berghauer in vita S. Joannis Nep. p. 272. Anonymus in Catal.

p) Litteræ Urbani VI. Pont. datæ Peruſii 5. Calend. Decembr. año 1387. ubi Joannes hic non *Olomucenſis*, ſed *Litomiſslienſis* ſolum Epiſcopus appellatur. Porro Aquilejæ factione dynaſtarum Savornianorum año 1394. die 12. Octobris peremtus multis, & magnis vulneribus eſt. Vid. Chron. Aquilejenſe ad hunc añ. Ziegelbauer l. c.

q) Jac. Manlius. Chron. Epiſc. Conſtant. c. 3. ap. Piſtorium rerum Germ. T. III. Et Peſſina Mart. Mor. p. 439.

r) Vid. Statutum Joannis Vicarii in ſpiritualibus, & Officialis Nicolai Ep. ap. Faſſeau l. c. p. 14. ſeqq.

nibus sibi, & suis successoribus vindicaret. Sed non industria modo, verum etiam auro, eoque copioso erat opus ad expugnandum *Wenceslai* Regis animum, & possessores injustos depellendos. Hac de caussa magnam pecuniae vim expendit, saepiusque absens Olomucio, longiores Pragae trahebat moras, nec nisi interdum ad suam invisit Ecclesiam. Ita Olomucii praesens festum S. Wenceslai celebravit, ac dein ratam

A. C. 1389. habuit fundationem collegii Canonicorum regularium S. Augustini a Benessio de Kravarz' Fulnecae factam, cui ecclesiam parochialem ejusdem civitatis, consensu cathedralis Capituli

1391. addidit. *s*) Ita pariter Olomucii cum Jodoco Marchione Moraviae arbitrum egit dissidii, quod ob damna, subditis Ecclesiae Olomuc. illata, Nicolaum Oppaviae Ducem inter & Capitulum Olomucense exortum est. *t*) Sed rursus negotium arcis Drz'evitziae in aulis Principum curavit,

1393. eoque tandem confecto, possessionem arcis multorum annorum decursu litigiosae ita adiit, ut in eadem solito diutius moraretur. Praedium

1395. istud perinde, ac domicilium Pragae ab omni tributo liberum, quod *Marchio Jodocus Nicolao* Episcopo, ejusque successoribus donavit, erant commoda per id tempus Ecclesiae Olomucensi allata. *u*) Gemebat illa nihilominus Pastore orba vigili, atque ideo variis vexata malis. Horum illud nequaquam erat leve, quum belliduces *Marchionis Jodoci* Praelatos, Canonicos, & universum cathedralis Ecclesiae tunc praesentem Clerum incluserunt, pluriumque dierum spa-

s) Ziegelbauer l. c. & Instrum. Fundat. hoc año datum in Chrumpenaw die S. Michaëlis Archang.

t) Instrumentum ap. Ziegelbauer l. c.

u) Ziegelbauer l. c. & Diploma donat. ibid.

ſpatio fame, ac ſiti miſerum in modum afflixerunt propterea, quod, nulla cogente neceſſitate in ædibus ſuis milites accipere detrectarint. Tantæ injuriæ compenſatio hæc ſecuta: *Marchio Jodocus* temerarium ſuorum facinus deteſtatus, ſe inſcio patratum profitebatur, datoque ampliſſimo diplomate, omnes libertates, immunitates, ac privilegia Eccleſiæ Olomucenſis denuo confirmavit. Magiſtratus, Conſules, ac cives Olomucenſes facinoris ejus conſortes, datis litteris promiſerunt fore, ut Capituli cathedralis jura, & privilegia ſervent illæſa, neminem Canonicorum quacunque de cauſſa in caſtro Olomucenſi includant, eorum ædes a militum diverſorio, & omni expilationis injuria ſint immunes. x) Denique *Nicolaus*, dubiæ famæ Epiſcopus Olomucenſis, altero poſt anno in Mirow caſtro Moraviæ vitam clauſit, atque in tumulo cathedralis eccleſiæ Olomuc., a qua ſæpius diu abfuit, perpetuo quievit. y) *)

A. C. 1397.

x) Diploma Jodoci Marchionis, & litteræ hæ reverſales ap. Ziegelbauer l. c.

y) Magnoaldus Ziegelbauer Olom. Sac. P. I.

*) *Anonymus in Catalogo Epp. Olom.* cenſet, *Nicolaum Ep.* in arce Drz'evitzia Bohemiæ año 1396. fuiſſe mortuum. At Magnoaldus Ziegelbauer l. c. profert litteras ab eodem Nicolao año 1397. die 25. Februarii in caſtro Mirow datas. Nec in arce Drz'evitzia Nicolaus obiit, quum teſte Anonymo l. c. in Eccleſia Olom. humatus ſit, ad quam ejus cadaver ex Bohemia non fuiſſet tantis ſumtibus, quanti ad devectionem hujusmodi erant neceſſarii, qui etiam in Epiſcopos Olomucenſes multo digniores, in Bohemia mortuos, ut *Petrum II.*, *Henricum II.*, *Joannem IX.* facti non fuerunt. Vid. Ziegelbauer l. c., qui a crimine diſſipatorum epiſco-

XVII. Ad vindicandum Ecclesiæ Marchionatus Moraviæ decus maxime idoneus videbatur juris pontificii Doctor peritissimus, olim monasterii Zderasiensis in Bohemia Ordinis Crucigerorum Præpositus, *Joannes Mraz*, quem Lebussæ in Marchia Brandeburgica Episcopum *Bonifacius IX.* Pont. ad Olomucensem transtulit Ecclesiam. At præter spem omnem accidit, ut Præsul iste jus, & fas perverteret, ac brevi spatio inaniter prodigeret bona Ecclesiæ sibi commissæ. Nam Suggestione Smilonis de Wiczkow, sui Vicarii in spiritualibus, & Officialis, non solum res pretiosas, & jocalia ecclesiæ cathedralis, sed aurum quoque, & argentum, apud eandem bona fide ab exteris depositum, violenter more lupino abstulit, atque alienavit. *a*) Castra, civitates, & oppida ejusdem ecclesiæ, contrario, & reclamitante Capitulo, Principibus obligavit politicis; Comitatum vero Hochvaldensem contra gravem Rom. Pontificis inhibitionem, *Sigismundo* Regi Hungariæ pro pignore tradidit, mola Cremsiriensi, & villa Czechovitzensi duntaxat in usus suos retenta. *b*) Neque tamen omnia perperam egit *Joannes Mrazius*; siquidem statutum bene longum edidit, quo partim veteres antecessorum con-

Joannes X. dictus Mraz, Episc. Olom. XXVIII.

A. C. 1399. 13. Julii.

A. C. 1400. . Februarii.

scopalium bonorum purgat Nicolaum, non tamen a neglecto residentiæ in sua diœcesi officio; proin dubium esse ait, utrum bonum, vel malum ejus regimen fuerit.

a) Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. & Anonymus Catal. Epp. Olom. — *Jocalia* vero sunt: Pectoralia, annuli, gemmæ, uniones, aliaque id genus pretiosa. Dufresne in Glossario voc. Jocalia.

b) Anonymus l. c. ubi asserit occasione prodigi hujus Episcopi in proverbium abiisse: *Episcopus Olomucensis est Molitor Cremsiriensis.*

constitutiones innovat, partim hæc sancit singularia; de vita, & vestitu Clericorum, de sigillis Plebanorum, seu Rectorum parochialis Ecclesiæ, de hastiludiis, & torneamentis Clero vetitis, de modo SS. Eucharistiam ad infirmos deferendi &c. *c*) Cujus ponderis, aut fructus id statutum fuerit, non constat. Illud satis exploratum, Præsulem hunc, postquam *annum gratiæ* Canonicis Brunensibus alias concessum, peculiari rescripto Cremsirii dato confirmavit, inglorium obiisse, conditumque in sepulchro ecclesiæ cathedralis. *d*) *) In locum demortui omnium vocibus sublegitur *Ladislaus de Kravarz* (alias *Laczko de Giczin*) qui pro eo, ut temporis difficultas tulit, prostratam, & afflictam erigeret Ecclesiam. Erexit magno ingenio, prudentia singulari, infracta virtute, moxque initio castrum Mirow, Melitz, & Modritz, uti & oppida quædam, per antecessorem ære alieno gravatum obligata, redemit; oppidum vero Zvittaviam ab *Sigismundo* Rege Hungariæ precario recepit; etsi postea necessitate adactus, nonnulla horum bonorum denuo oppignoravit.

A. C. 1403. 11. Augusti

Ladislaus Episc. Olom. XXIX.

c) Vid. hoc statutum apud Fasseau l. c. P. I. p. 15. seqq.

d) Litteræ confirmat. apud Fasseau l. c. P. III. init. Et Anonym. l. c., hic tamen erroneo calculo mortem Mrazii año 1402. ponit.

*) *Annus gratiæ* in ecclesia collegiata Brunæ hæc continebat: 1) Canonicus præbendatus ante festum S. Viti decedens, omnes fructus medios, & successor ejus itidem medios recipiat. Post festum S. Viti decedens, omnes fructus solus obtineat. 2) Canonicus vineas habens, si ante festum S. Margarethæ decesserit, duas partes fructuum vini, tertiam successor habeat. Si vero post festum illud obiverit, omnes fructus vini integre retineat. Vid. Fasseau l. c.

vit. *e*) Ad hæc silvam, quæ a benefactore quodam & Capitulo Olomucensi, & Dolanensi Carthusiæ legata dissensionis caussa fuit, bipartito divisit, certisque terminis utramque definivit possessionem. *f*) Plura feliciter acturus, quum bonus bonis placeret omnibus, infecta veneno potio desperatum attulit ei morbum, quo diuturnos post cruciatus consumitur, Cremsirii in Collegiata S. Mauritii ante majus altare humatus prope *Brunonem Episcopum*. *g*)

A. C. 1404. 14. *Decembr.*

1408.

XVIII. *Ladislai* dissimilem factis, & moribus Præsulem auxilio potissimum Regis Boh. *Wenceslai*, Ecclesia Olomucensis accepit *Conradum Westphalum*, qui ex antiqua, & illustri Comitum de Vechta stirpe oriundus, antea præfectus rei monetariæ, dein Bohemiæ Proceribus in munere Subcamerarii adlectus, ac demum Præpositus Ecclesiæ Melnicensis erat. *h*) In Cathedra Olomucensi constitutus, ad concilium Pisanum, quod Cardinales utriusque obedientiæ duorum Pseudo-Pontificum *Benedicti XIII.* & *Gregorii XII.* convocarunt, sumtibus, & impensis ecclesiæ cathedralis suum Procuratorem misit, voti sui minime potitus, *Alexandro V.* Pontifice electo. *i*) Interea vero, si quisquam alius, officii pastoralis prorsus immemor, auri, argentique studio se dedit; bona Ecclesiæ, per an-

Conradus II. Epis. *Olom.* XXX.

1409.

e) Ziegelbauer l. c. Anon. l. c. Hic autem multa de Smilone Wiczkovio, super Joannis Mrazii Vicario, comemorat, quæ fabulam redolere videntur.

f) Litteræ Olomucii datæ apud Pezium T. VI. Diplom. P. II. p. 123.

g) Ziegelbauer, & Anonymus ll. cc.

h) Berghauer in vita S. Joannis Nep. p. 226.

i) Concil. Collect. Reg. Max. T. VIII. p. 107.

antecessores vinculo pignoris obstricta, in speciem redemit, inscio tamen, atque invito Capitulo, tripla pecuniæ summa obstrinxit. *k*) Ut pecunia non exigua, quæ Capitulo cathedrali ex Jodoci Moraviæ Marchionis testamento obvenit, versutus potiretur, oppidum Hulin ditionis episcopalis Capitulo vendidit, reluitionis jure sibi, & successoribus servato. Fraudulentæ venditioni publicis firmatæ litteris, hoc prætextum fuit: *Castrum Miliczim recuperatum iri numeratis pecuniis.* Eas nihilominus in Westphaliam ad suos missurus erat, nisi dolosa tempori patuissent consilia. *l*) Quibus detectis *Wenceslai* Boh. Regis, & *Joannis XXIII.* Pont. favore, translatus ad Prag. Archiepiscopatum est: sed infelicibus auspiciis, utpote qui bonis, & ditionibus ejus dilapidatis, ad Hussitarum partes transiit. *m*)

A. C. 1

XIX. Meliore dignam Præsule Olomucensem Ecclesiam Joannes XXIII. Pontifex *Wenceslao Kralik*, veteri prosapia Wrabiorum Equitum de Burnitz in Bohemia nato, id temporis Patriarchæ Antiocheno, in commendam, ut aiunt, dedit; qui non pleno jure Episcopus erat,

Wencesl. Krali. Ecclesia ...mucensis ... mendata

k) Anonymus. Catal. Epp. Olom.

l) Litteræ vendit. Pragæ h. a. die 28. Septembr. datæ ap. Ziegelbauer l. c.

m) Anonymus., & Ziegelbauer ll. cc. — In anno ejus emortuali scriptores mirum quantum dissentiunt. Vid. Balbin. Miscell. Dec. I. L. V. pag. 305., ubi profert etiam litteras Cojetinensium an. 1415. datas, quibus fatentur, se antea ad Ecclesiam Pragensem spectasse, venditos autem esse a Conrado Archiepiscopo cum villis omnibus Nobili D. Joanni Bulska de Kunstat, ut redimerentur a successoribus, quod hactenus ipsi præstare non potuerunt.

erat, sed solum, uti ille se scripsit: *Perpetuus Ecclesiae Olomucensis Commendatarius.* n) Attamen, ut primum Episcopatus Olomucensis gubernacula suscepit, nihil habuit prius, atque, ut vigilis, bonique Antistitis partes expleret. Succreverunt aetate illa perditi Clericorum mores, pestifera Hussi doctrina ex Bohemia serpebat in Moraviam, laicorum non pauci frenos mordere, jugumque christianum coeperant excutere. His malis *Wenceslaus Commendatarius* ut mederetur, consilio, & consensu Capituli cathedralis, dioecesanam synodum Wischaviae (Wiscoviae) celebravit, corruptam vitae licentiam severis constrinxit legibus, novisque erroribus, ut ne radices agerent, remedia adhibuit. o) Praeterea domui, ac residentiae episcopali, senio magnam partem detracto, novum conciliavit splendorem, duasque arces Milietzensem, & Modritzianam pignori datas, persoluto lytro, Ecclesiae Olomucensi denuo asseruit. p) Dein suscepit iter Constantiam ad Concilium generele, sed sinistra valetudine Pragae interceptus, redire in Moraviam cogitur. q) Olomucium redux, a Brunensi ecclesiae collegiatae Ca-

A. C. 1412. Septembris.

n) Ziegelbauer Olom. Sac. P. I., qui ait Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. celebratum prohibuisse, ne deinceps ecclesiae cathedrales in commendam darentur; id quod etiam summi Pontifices Clemens V., Benedictus XII. & Innocentius IV. vetuerunt; haec tamen decreta Joannes XXIII. haut est moratus. —Porro Wenceslaus Kralik Commendatarium se nominat in statutis suis synodalibus ap. Fassean P. I. p. 24. P. III. p. 9.

o) Vid. haec statuta synod. ap. Fassean. l. c. p. 24 — 43.

p) Anonymus Catal. Epp. Olom.

q) Hammerschmid Gloria Ecclesiae Prag. p. 532. & 574.

Capitulo rogatus, mitiora in uſum illius ſtatuta condidit, eaque ſigillo ſuo majore confirmavit. r) Morbo autem ingraveſcente, brevi poſt obiit, ad paratum ſibi in cathedrali tumulum delatus. s) *)

A. C. 1416. 12. *Septembr.*

XX. Commendatario e vivis ſublato, *Joannes de Straznitz* Decanus, & Canonici reſidentes in Paſtorem Eccleſiæ Olomucenſis poſtularunt *Joannem de Praga* Litomiſslienſem Ep. ingenio, doctrina, pietate, aliisque Præſulum virtutibus inſignem. Eam ob cauſſam litteras dederunt ad Concilium Conſtantienſe, cui *Joannes* iſte non ſine maxima nominis fama tum aderat. Interim vero importunitate Regis Boh. *Wenceslai* non minus, quam hæreticorum, & Conradi Archiepiſc. Pragenſis favore, *Alſſo* quidam Canonicus Wiſſegradenſis in Epiſcopum Olomucenſem per factioſos, qui Praga advenerant, Canonicos deligitur. t) Æqua, &

1416. 21. *Septembr.*

30. *Septembr.*

---

r) Litteræ Wenceslai datæ Olomucii h. a. die 19. Aug. apud Faſſeau l. c. P. III. p. 15. ſeqq.

s) Anonymus, & Ziegelbauer ll. cc.

*) Ex litteris Wenceslai datis Olomucii die 19. Auguſti anno 1416. erroris arguitur Crugerius ad 29. Jan. quo die año 1416 eundem eſſe mortuum ſcribit — Similiter fallitur Auguſtinus Moravus Catalog. Epp. Olom. aſſerens eundem Wenceslaum ad annum 1426. fuiſſe ſuperſtitem; quia ex bulla Martini V. Pont. apud Berghauer in vita S. Joannis Nep. p. 273. patet, eum jam anno 1418. omnino mortuum fuiſſe. — Denique ſcriptores quidam Wenceslaum Comendatarium, ceu hominem inutilem, vanæ gloriæ cupidum, & pecuniæ dilapidatorem traducunt; ſed ab his infamiæ notis vindicatur documentis authenticis.

t) Anonymus, & Auguſtinus ll. cc. Item Volumen MS. Carthuſiæ Ol. apud Cl. de Monſe Inf. Doct. p. 56. ſeqq.

& honesta Capituli Olomucensis postulatione audita, Concilii Constantiensis Patres sess. XXV. 14. Decembr. decretum ediderunt, quo cura, regimen, & administratio Ecclesiæ Olom. cum omni jure eidem *Joanni Episcopo* commissa usque ad electionem summi Pontificis fuit. *u*) Perquam grata erat hæc ordinatio sanioribus ecclesiæ cathedralis canonicis; sed adversa nimis fautoribus *Alssonis*, indeque turbæ, ac disceptationes in Concilio ipso inter partes pro infula Olomucensi exortæ. *Joannes Ep.* caussam postulationis suæ in amplissimo Patrum consessu quum peroA. C. 1417. rasset, in viam se dedit, relictis Constantiæ oratoribus, qui eandem prosequerentur. Hi feliciter prosecuti sunt adeo, ut tandem *Joannes* in sede Olomucensi stabilitus, regimen quoque Litomisslienfis Ecclesiæ retinuerit. Id quod 1418. Rom. Pontifex *Martinus V.* binis litteris tum ad 14. Februar. Litomissliense Capitulum, tum ad Clerum universum civitatis, & diœcesis Olomucensis, anno sequente Constantiæ datis, præclara inter *Joannis* præconia firmavit. *x*) *) Verum *Alsso* Regis Boh.

---

u) Vid. Decretum hoc T. XXIX. Conciliorum. sess. XXV. p. 528.

x) Vid. hæ litteræ Martini V. Pont. apud Berghauer in vita S. Joannis Nep. p. 272.

*) *Joannes de Praga*, seu Pragæ in Bohemia natus jam año 1413. prudentiæ plenum Conrado Westphalo, Pragensi Archiep. in caussa Hussi dedit consilium, quod fuse describit Cochlæus Hist.Hussit. L. I. pag. 34. seqq. — Primus dein fuit, qui Conc. Constantiensi novum Jacobi de Misa Bohemi *de communione sub utraque specie* institutum, ceu ingens proprio ausu, ac temeritate facinus, præsens denuntiavit. Vid. van der Hardt Conc. Constant. T. IV. p. 209. — Quum autem session. XIII. error de utraque specie damnatus a Concilio fuit, *Joannes* Episc. cantavit Missæ officium die

Boh. & Marchionis Moraviæ Wenceslai potentia nixus, pontificio haut acquievit judicio; sed *Joanni* turbas dare, atque in concilio dicam scribere non destitit. Quare Pontifex summus publico in consistorio sententiam adversus *Alssonem* pronuntiat, cujus electionem esse irritam, *Joannis* vero postulationem sacris canonibus omnino congruam, declarat: silentio parti adversæ imposito. *y*) At neque tum adhuc *Joannis* Cathedram Olomucensem adire potuit, donec Rex *Wenceslaus*, fautor *Alssonis* acerrimus, e vivis exturbatus est. Interea igitur *Jacobus de Bruna* Decanus Boleslaviensis, Vicarius in spiritualibus, & Officialis curiæ episcopalis Olom. Generalis diœcesim magna cum sollicitudine regebat, quam & statutis munivit saluberrimis. *z*) *)

A. C. 1419. 6. Februarii.

DIS-

die 15. Junii año 1415. ut legitur Tom. XIX. Concil. sess. XIII. p. 370. Hinc merito Martinus Pontifex litteris citatis de illo ait: " Fidem orthodoxam, & libertatem ecclesiasticam contra hostes, & adversarios earumdem, velut athleta fortis viriliter defendit, & defendere non destitit, quodque Olomucensis, & Litomissliensis diœceses sint contiguæ, propter quod ipse Joannes possit Ecclesias ipsas commode gubernare. "

y) Litteræ oratorum, sive procuratorum Joañis Ep. apud Ziegelbauer Olom. Sac. P. I.

z) Vid. hæc statuta apud Fasseau l. c. P. I. p. 43. seqq.

*) Exstant apud Dobner mon. ined. T. IV. p. 412. Litteræ *Alssonis* datæ Litomisslii año 1420. die 21. Dec., quibus se adhuc nominat *Episcopum Litomisslienſem*, & Episcopatum Olomucensem appellat *suum*, proinde etiam post mortem *Wenceslai Regis* utrumque Episcopatum aliquamdiu sibi arrogabat. — Ceterum *Alsso* non *Alexium*, ut vulgo putatur, sed *Albertum* denotat. Idem enim Pseudoepiscopus, qui se illis in litteris *Alesse* scribit, in epigraphe sigilli sui se *Albertum* vocat. *Vid. Dobner l. c. in notis.*

DISSERTATIO

DE INCOLIS MORAVIÆ ANTE SLAVOS.

I.

Svevicam gentem olim & terrarum amplitudine, & virtutis bellicæ gloria illustrem, ante Slavorum adventum in ea regione, quæ hodie appellatur Moravia, sedes suas habuisse, apud omnes in confesso est. Omnes enim sive Græci, sive Romani auctores, qui de Germania quidpiam tradiderunt, magnam hercyniam silvam, cujus vetus Moravia pars erat, domicilium Svevis adsignarunt. Convenit etiam inter patrios, exterosque scriptores, ex omnibus antiquæ Sueviæ populis, quos Strabo, Pomponius Mela, Plinius, Cornelius Tacitus, & Claudius Ptolomæus enumerant, Marcomannos, aut Quados Moraviæ nostræ terras, quando illa adhuc eo nomine carebat, latioribus atque hodie finibus coluisse. Nobis in præsentia propositum est ostendere, non *Marcomannos*, sed *Quados* veteris Moraviæ fuisse incolas. De Marcomannis primum, de Quadis postea.

II. Ex pluribus autem Marcomannorum patronis, quos Martinus Hankius Scriptor Silesius, & Marianus Ulmannus Moraviæ veteris auctor, percensuerunt, primo loco nominamus Thomam Pessina de Czechorod Episcopum Samandriensem, qui censet Marcomannorum nomen ante bellum, quod Jul. Cæsar cum Germanorum Rege Ariovisto gessit, in Moravia esse

esse ortum. Postquam enim Svevi, inquit, a septemtrionali plaga progressi, Bojohemum, seu Bohemiam armis appetivissent irrito conatu, Moraviam, Osis Pannonibus expulsis, feliciori Marte occuparunt. Ibi ab gentilibus suis Marcomanni, id est, limitanei viri dicti sunt: quod e populis Germaniæ Orientem versus quasi postremi, contra Pannones, & Sarmatas, fines Germanorum tuerentur. a) At, pace Præsulis doctissimi dixerim, Bojos a Svevis, omisso illorum nomine proprio, petitos armis fuisse, nusquam apud veteres legimus. Marcomanni vero Bojos, in ipsorum patria Bojohemo adorti quidem fuerunt; sed oppido quam dissimile est, quod de iis ait Tacitus: b) *Præcipua Marcomannorum gloria, viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Bojis, virtute parta.* Itaque Svevi Pessinæ aut alii fuerunt a Marcomannis; aut si horum sortiti sunt nomen, silvæ hercyniæ sedibus Bojos expulerunt.

III. Quæ quidem expeditio, tum alio tempore, ac loco, tum Marobuduo Duce suscepta est; & Tacitus eam ante Marobuduum solis Marcomannis in speciem tribuens, ex Vellejo Paterculo, & Strabone supplendus est. Quamquam si gratuito concedamus, eam expeditionem Jul. Cæsaris bellum prævertisse; minime consequens est, ut Marcomannos in Moraviam usque habitacula protendisse, existimemus. Incinctos illa gens Hercyniæ campos incolebat, veterem videlicet Bojorum patriam; atque hæc Hercynia, singularis pars erat Hercyniæ illius ma-

a) Pessina Mart. Mor. L. I. c. 1. & 2. Et L. II. c. 1.

b) De moribus German. c. 42.

magnæ, quæ, ut ait Jordanus, c) silvas *Martianam*, *Odonianam*, *Spessartum*, *Buchoniam*, *Semanam*, *Gabretam*, Sudetos, & reliquos Bohemiæ montes, nec non Sarmaticos, Carpaticosque complexa est. Quare iste, tametsi Marcomannos seculo VII. Romanorum finiente, quum ipsi adhuc forent. ut ait, in statu populari, silvæ hercyniæ fuisse colonos statuit: tamen non illis, sed Quadis Moraviam veterem destinat, & addicit.

IV. Mirari vero magnopere subiit, Marianum Ulmannum in laudato suo opere dicere: d) Brennum quendam e quatuor Brennis II. Bojorum ac Svevorum Ducem, Svevos in Moraviam induxisse, iisque, annis ante Christi Servatoris nostri natalem amplius quadringentis, *Marcomannorum* indidisse vocabulum. Neque enim Græcorum, Romanorumve quispiam, nisi binos Brennos Gallorum Duces, ætate multo posteriores, novit: alterum, qui Romam captam incendit, *) alterum, qui Delphos invasit. *) Nec limpida Germanorum historia ex aliis, quam Græcorum, & Romanorum fontibus hauriri potest: qui tamen Polybii ætate vel nomen Germanorum adhuc ignorarunt. Quapropter apposite ad rem nostram scribit Joannes Philippus Vorburgicus: *Græci*, inquit, *Celtarum*, *Galatarum*, *& Gallorum nominibus*, *omissa Germanorum appellatione*, *eorum historiam obscuriorem reddiderunt*; *inter Romanos autem*, *quorum aucto-*

c) Origin. Slavic. P. I. pag. 1. seq.

d) Veter. Morav. P. I. p. 103. seqq.

*) Anno ante Chr. nat. 388.

*) A. C. N. 277.

e) Hist. Romano-German. P. I. pag. 1.

auctoritatem sequi possumus, C. Julio Cesare antiquiorem non habemus, qui expressius Germanorum mentionem faciat. Somniant itaque ii, qui ante Polybium rerum per Germaniam, cujus etiam nomen ante eum latuit, gestarum mentionem facere, & Reges, Duces, Heroësque producere, ac nominare audent. Verumtamen qui genuinam Brenni II. historiam nosse cupiat, Andream Brunnerum adeat, egregium rerum Boicarum scriptorem. *f*)

V. Non minus infirmis nititur tibicinibus eorum opinio, qui Marcomannos, & Quados jam Alexandri M. temporibus, annis ante Christum natum CCCXXXIII. extremos circa Danubium habitasse, ex Arriano Nicomediensi adferunt. Ejus hæc sunt verba: *g*) *Post hanc pugnam Alexander ad Istrum flumen pervenit, omnium, quæ in Europa sunt, maximum, quodque plurimum terræ alluit, & bellicosissimas nationes suo tractu complectitur, ac præcipue quidem Celticas. Harum nationum extremi sunt Quadi, & Marcomanni, deinde Jazyges pars Sauromatarum, post hos Getæ, deinde Sarmatarum magna pars.* Cum enim Arrianus inter Quados, & Getas, seu Dacos ponat Jazyges Sauromatas, dubio procul Jazyges metanastas, ab Sarmatia magna exules, ac prorsus separatos, designat, qui teste Jordano, *h*) sub Augusto demum Imperatore, dum is contra Cotisonem Dacorum Regem bellaret, in Hungariam vel Straboni adhuc ignoti, appulerunt. Atque hinc clare liquet, Græcum scriptorem loqui de Marcomannis & Quadis, prout Cæ-

f) Annal. Boic. L. I. pag. 92. — 108.

g) De Alexand. M. expedit. L. I. pag. 6.

h) l. c. P. II. pag. 183.

Cæsaris Augusti, aut sua ipsius ætate sub Hadriano scilicet, ac M. Antonino Principibus, utramque gentem sitam reperit; puta Quados in inferiore, Marcomannos in superiore Danubii ripa sinistra.

VI. Nos tacente Græcia, & Latio, nec Ducem, nec tempus definimus, quo Svevicus populus, quamvis non Marcomannicus, in terras nostras advenerit: illud duntaxat affirmamus, quando prima Quadorum mentio apud Græcos, Romanosve occurrit, tum eos jam pridem Moraviam tenuisse; cum de iis ceu novis incolis non meminerint, quemadmodum de Marcomannis, intra saltum hercynium, in quo est & Bojemum Marobudui regia, conclusis. Qua de caussa nec Marcomannorum nomen ad Moravam, sed ad Rhenum potius ortum esse censemus: ubi populi isti, cum e Svevorum gente Occidentem versus essent postremi, & Germanorum limites contra Romanos præcipue tutarentur, Marfmänner, quasi *viri limitanei*, & milites dicti a gentilibus suis fuerunt. *i*) Vetusta autem vocabula March, & Marchfeld, hoc est, *Marchia*, & *Marchici campi* (Ptolomæus *fluvium* & *campos* sine ulla adjectione appellat) *k*) non eo, quasi Marcomanni hic coluerint, nata esse credimus; sed quod limes imperii Romani fuerit fluvius Morava, qua ad oppidum Carnuntum (Hetmburg) in Danubium illabitur. Hinc est, quod Plinius *l*) vocet *Pannonica hyberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium.* Marcomanni sane

i) Dobner Prodr. Annal. Hajec. pag. 84.

k) Geograph. Univ. L. II. c. 11. edit. Venet. 1696.

l) Hist. natur. L. IV. c. 12. edit. Paris. 1741.

ſane non magis, quam Quadi, qui conjunctis viribus bella contra Romanos in ipſis finibus gerebant, nomen tam flumini, quam campis, Danubium inter, & Moravam patentibus indiderunt: quippe *Marcomanni a Quadis*, ut inquit Lazius, *m*) *ſedibus magis, & agrorum cultura, quam lingua, & moribus diſcrepabant.*

VII. Primam Marcomannis ſedem ad Rhenum præprimis tribuit Philippus Cluverius: cujus argumenti vim ut penitus perſpiciamus, arceſſenda a capite eſt hiſtoria belli, quod Arioviſtus Germanorum Rex cum Julio Cæſare trans Rhenum ſuſcepit, atque ſummatim ſic habet. Galliæ totius factiones erant duæ: harum alterius principatum tenuerunt Aedui, alterius Arverni. Hi cum tantopere de potentatu inter ſe multos annos contenderent, factum eſt, ut ab Arvernis, Sequanisque Germani mercede arceſſerentur. Horum primo circiter millia XV. Rhenum tranſiverunt, poſtea traducti plures; denique erant in Gallia ad centum, & viginti millium numerum. Cum his ubi Aedui ſemel, atque iterum armis contendiſſent, magnam calamitatem pulſi acceperunt. Quibus præliis fracti, coacti ſunt Sequanis obſides dare nobiliſſimos civitatis, & jurejurando hanc obſtringere, ſe non recuſaturos, quo minus perpetuo ſub illorum ditione, atque imperio eſſent. Sed pejus victoribus Sequanis, quam Aeduis victis accidit. Arioviſtus enim in eorum finibus conſidens, tertia parte agri Sequani occupata, nunc de altera parte tertia Sequanos juſſit decedere; eo quod paucis menſibus ante, Harudum millia hominum XXIV. ad eum ve-

 niſſent,

m) De Gentium migrat. L. IX. pag. 502.

(ubi oppida Dunkelſpühla, & Nördlinga) portionem. Hæc terminorum deſcriptio neceſſaria nobis viſa eſt, ut lucem adferret iis, quæ infra dicturi ſumus. Et quamvis Chriſtophorus Cellarius r) horum populorum fines non ita poſſe adcurate deſcribi judicet: tamen Marcomannos inter Rhenum, Danubium, & Nicrum, pone hos autem Seduſios, & Harudes, non tam numeroſis licet, quam illi, latifundiis, coluiſſe, ipſius quoque ſententia eſt.

IX. At vero Martinus Hankius, qui in libro de Sileſiorum Majorum antiquitatibus s) Cluverii argumenta ſibi refutanda ſumſit, nihil ait obſtare, quo minus Sequani, atque adeo Rex Arioviſtus, cujus illi opem imploraverant, primum Aeduis, mox Romanis, præter ſuos, potuerit alienos quoque, ac remotiores e Germania populos opponere. Eorum quippe adverſus Cæſarem incredibiles habuiſſe copias, teſtantur Oroſius, & Paullus Diaconus. Minime itaque concludi, ex Rheni vicinia arceſſitos eſſe Marcomannos, qui vel ex Moravia poterant evocari. — Atenim Marcomanni haut eorum e numero fuerunt, qui ex diſſita venerunt regione. Illos quippe ab his Cæſar diſcrevit. Sed hiſtoriæ ordo ſupra enarratus ſcrupulum evellat, oportet: *Germanorum primo millia XV., poſtea plures tranſivere Rhenum; denique univerſim erant in Gallia ad centum, & viginti millium numerum.* Loquendi ratio, qua utitur Cæſar, nihil repugnat, quo minus hanc ſummam, exceptis Harudibus, omnes ſupradicti populi expleverint. Cum his Aedui bis congreſſi, victi

r) Geographiæ antiquæ L. II. cap. V. Sect. III. p. 386.

s) Cap. 14. pag. 41.

victi discesserunt. Harudum XXIV. millia, ab sedibus longinquioribus postremo venientia, confirmant, alios populos Rheno viciniores suas prius misisse qua copias, qua colonias. Cum his omnibus Cæsari nunc armis contendendum erat. De Suevis autem nulla adhuc injecta mentio est, qui ad alterum istud, Cæsarianum scilicet, ac periculosius bellum, longe gentium absentes antea, primum advenerunt. Nam centum pagi Svevorum Rhenum transire conabantur; atque aliqui ex omni numero reapse Galliam ingressi sunt. Ex his tamen Cæsar nomine ipsorum peculiari insignit neminem; sed proximiorum tantummodo, ac sibi tum, Rheno necdum trajecto, magis cognitorum, ac prius jam in Gallia præsentium edit nomina, nempe *Nemetum*, *Triboccorum*, *Vangionum*, qui circa Rhenum certo habitarunt. Ipsam enim Rheni ripam Germanorum populos colere, Vangiones, Triboccos, Nemetes, conceptis verbis affirmat Tacitus. t) Quidni appellet nomine alios proxime Rhenum etiam colentes, puta *Marcomannos*, *Sedusios*, & *Harudes*? præsertim cum omnes, tanquam sedibus propinquos, oratione commisceat, atque eos, de quibus nihil est controversiæ, in medio complectatur. Reliquos ex centum pagis, qui Rhenum trajecerunt partim, partim constiterunt in ripa, a Marcomannis ita distinxit, ac secrevit, ut cum ii non secus, ac Sedusii, & Harudes Svevi essent; tamen nominatis istis, postremos adjecerit seorsum *Svevos*. Advertit hoc discrimen eruditus scholiastes Henelianus Michael Josephus Fibigerus: u) *Cæsar*, inquit, *Marcomannos videtur*

t) De Mor. Germ. c. 28.

u) In notis ad Henelii Silesiograph. P. I. c. 1. pag. 29.

tur distinguere a Svevis, cum tamen & Tacito, & plurimis aliis auctoribus, Marcomanni gens Svevorum sint. Sed forsan a ceteris tantum Svevis, quemadmodum facit Orosius, & alii, discernit. Adcoluisse autem & Svevos Rhenum, testis est Strabo: v) *Supra totam hanc* (Rheni) *ripam degunt Svevi Germanica natio.* Quamobrem etsi maximas Germanorum copias e longinquo coëgit Rex Ariovistus; tamen Cæsar, dum Svevos a Marcomannis distinxit, ac separavit, horum circa Rhenum satis designavit sedem; sagacique conjectura adsecutus est Cluverius, antiquos, adeoque primos populi Marcomannici lares, ac deos penates, illic extitisse.

X. Hoc itaque argumentum sedem Marcomannis in Moravia adimit. Nec vero magis concedit alterum, in eo situm: quod Marcomanni ex antiquissima in novissimam, id est, ex Rhenana in Bohemicam progressi regionem sint. Audire juvat Vellejum Paterculum: x) Nihil erat jam in Germania, quod vinci posset, præter gentem Marcomannorum: *quæ Maroboduo duce excita sedibus suis,* atque in interiora refugiens, incinctos hercyniæ silvæ campos incolebat. Et: Maroboduus certum imperium, vimque regiam complexus animo, statuit *avocata procul a Romanis gente sua,* eo progredi, ubi cum *propter potentiora arma* refugisset, sua faceret potentissima. Vellejo Paterculo consentit Strabo supra laudatus. Ne quis vero Maroboduum Hercyniæ campos facile, ac sine vi occupasse, & populares suos eo transtulisse arbitretur, revocemus in animum, quod supra commemoravit Tacitus: *Præcipuam* nempe *esse Marcoman-*

v) l. c. L. IV.

x) Hist. Rom. L. II. c. 108.

romannorum gloriam, viresque, atque ipſam etiam ſedem, pulſis olim Bojis, virtute partam. Cardo rei vertitur in eo, ut palam fiat: Unde Marobo- duus gentem ſuam exciverit, atque in interio- ra refugerit; utrum Moravica, an Rhenana e provincia. Atque id poſtremum adſerturis, non illud nobis eſt perfugium, quod Martinus Hankius, y) & David Kœlerus z) præcipue ur- gere Cluverium animadvertunt, nempe ſcri- ptum eſſe a Vellejo Paterculo: Maroboduum *in inferiora* refugiſſe. Damus Kœlero, & Han- kio, ſcripſiſſe Vellejum: *interiora*. Series ipſa hiſtoriæ Romanum ſcriptorem rurſus explicet, ejusque ſententiam aperiat.

XI. Finito bello Cæſariano, Germani po- tiundæ Galliæ ſpem nondum poſuerunt. *Uſipii* namque natio Germanica, irruptionem in Gal- lias tentarunt; & iterum Germani Treviris con- tra Romanos auxiliares copias miſerunt. Sed Cæſar, transmiſſo bis Rheno, effrenes, inſul- tantesque compeſcuit, metuque iis incuſſo, le- giones reduxit. a) Auguſto imperii habenas moderante, *Sicambri*, vicinique *Uſipetes*, & *Ten- cteri* agmina ſua in provinciam Romanam in- fundentes, M. Lollium Imperatorem e caſtris ejecerunt; verum Auguſti Cæſaris adventu re- preſſi, pacem datis obſidibus impetrarunt. b) Druſus ejusdem privignus, quo Germanorum incurſionibus finem perpetuo imponeret, Ger- maniam redigere in provinciam decrevit. Su- perato Rheno primos, quod iterum inſurgerent,

 do-

y) l. c. pag. 43.
z) Diſſert. hiſtor. de Ma- roboduo Num. I.

a) Jul. Cæſar de Bell. Gall. L. IV. c. 16. ſeqq. & L. VI. c. 4.
b) Vell. Paterc. l. c. c. 97.

domuit Usipetes; inde Tencteros: *Marcomannorum vero spoliis insignibus, quemdam editum tumulum*, ut ait L. Annæus Florus, c) *in tropæi modum excoluit*. Druso fatis functo, Tiberius ejus frater in Germaniam cum imperio missus est. Huic potissimi e populis, inter Rhenum, & Albim degentibus, præsertim *Sicambri* se dediderunt, quos ille quamvis invitos, & reluctantes, ad 40. millia in Galliam transtulit. d) Enimvero non ad Rhenum modo Romani Germanos invaserunt, sed, quo arctius eos premerent, atque in angustias redigerent, jam ante Rhætias, Noricum, & Pannonias sibi subjugarunt, uti ab flumine Danubio aditus in Germanos pateret. *Noricum* subactum L. Domitio Ænobarbo, P. Scipione, *Pannonia* M. Valerio Messalla, P. Sulpicio Quirinio Consulibus; illud A. U. C. 737. ante Christum natum quarto decimo, hæc A. U. C. 741. A. C. N. decimo. e)

XII. Jam tria consideranda veniunt: primo unde genti pressæ necessitas abeundi imminuerit; migratio enim gentibus contingit, dum a vicinis validioribus urgentur. Deinde quæ regio potissimum procul a Romanis distiterit: postremo ubi locorum tropæum de Marcomannis erectum sit. Et quidem Rhenum jam Jul. Cæsar, jam Drusus, jam Tiberius cum exercitu transmisere; rursum Drusus invisam, atque inaccessam in id tempus hercyniam silvam pate-

c) Epit Rer. Rom. L. IV. c. 12

d) C. Svetonius in Octav. Augusto c. 21. & in Tiberio c. 9.

e) Dio Cassius L. LIV. Interprete Guilielmo Xylandro.

tefecit, Visurgim superavit, Albim si minus attigit, certe adspexit. *f*) Alia parte Vindelicum, Noricum, Pannoniæ in Romanorum erant potestate; a dextra igitur, lævaque eæ sedes, quas Marcomannis, Sedusiis, & Harudibus descripsimus, periculis cinctæ, atque in discrimen adductæ fuerunt. In Moravia Maroboduus cum gente sua si sedisset, non ita ab Romanis fuisset pressus, arctatusque, ut refugere *in interiora*, hoc est, in Bohemiam cogeretur. Multo demum post Sentius Saturninus a Cattis, Tiberius a Carnunto adgredi eum armata vi parabant. *g*) Idem Maroboduus, occupato saltu hercynio, adeo opportuna omnia, atque expedita reperit, ut rebus domi stabilitis, arma, terroremque armorum per finitimos populos circumferens, annuentes, abnuentesque in potestatem redigeret. *h*) — An vero procul ab Romanis avocasset gentem suam, si ex Moravia refugisset in Bohemiam? Rheno certe id examussim convenit. Ibi Maroboduus, qui Romæ in aula Cæsaris Augusti ad omnes politicas artes erat institutus, probe intelligebat, suos, ut tum res erant, brevi in provinciam redactum iri, stipendiariosque Romanorum futuros; ac jure metuebat, ne, quod *Sicambris*, pluribusque aliis fecerat Tiberius, sibi, non impari fato, paullo post eveniret. Nam Romanis, imperii magnitudine laborantibus, transferre gentes jam in morem abierat. *i*) — Quid multis? Ad Mœnum, Rhenumve Drusus

---

f) L. Ann. Florus l. c. & Vorburgicus l. c. pag. 288.

g) Vell. Paterc. l. c. c. 109.

h) Ibid. c. 108. & Andr. Brunnerus l. c. L. III. pag. 391.

i) Michael Ignaz Schmid Geschichte der Deutschen. Theil I. pag. 67 seq.

denique quod Græcia, & Latium, genuinum regionis, incolarumque nomen, quodam obscuritatis quasi peplo contexerit.

XIII. Alium populum Marcomannis fama proximum, atque ab inclytis ipsorum facinoribus nihil degenerantem, veteris Moraviæ fertiles campos esse consecutum, jam demonstratum imus: *Quados* florentissimas hic loci sedes & habuisse quondam, & late propagasse, Græcos, Romanosque vades daturi. Fuisse autem illos Germanicam, & in Germanis Svevicam propaginem, fidem faciunt tum Strabo, tum Plinius, & Tacitus. r) *Quadorum* vocabulo *fæcundia* inesse significatum, ex eo non nemo arguit, quod *Quido*, & *Quad* dicendi notione acciperetur veteribus Germanis. s) Aliam nominis originem prodit Goldastus, t) censens Quadum vocari germanico sermone eum, qui alteri *infestus*, *infensus*, *molestus*que sit; translate autem pro *pravo*, & *malo*. interdum accipi: ita ut Quadi quasi aliorum, maxime hostium, vexatores, & oppressores ab sociis appellati fuerint. Hos enim pugnaces, ac bellicosos quidem; sed non præ ceteris Germanis, ut in illa seculorum barbarie, pravitate aliqua notatos, prisca monumenta commemorant. *Malos*, inquam, ob iracundiam præcipue militarem, quam veteres Philosophi fortitudinis quasi cotem esse dicebant, nominatos declarat Hankius. Viris quippe insignem, & conspicuum in modum strenuis, tantam cum ferocibus esse convenientiam palam est, ut eapropter Tacitus auxiliarios Roma-

r) ll. cit.
s) Hankius de Silef. Nominib. c. VIII.
t) Regn. Boh. L. I. c. XIII. in not. litt. a.

manorum milites, Curtius Scythas, & Indos, *ferocissimos*, id est, *fortissimos* nominaverint. u) Gens Quadica sane ampla, & valida fuit, Marcomannisque ut vicina, & contermina, ita in provinciis Romanis depopulandis, occupandisque fere conjuncta, & rerum præclare gestarum socia. Nec enim quidquam ferme a Marcomannis laude, & gloria dignum patratum, cujus non partem certe magnam sibi Quadi vindicarint. Quam formidanda horum populorum fuerit potentia, vel gravissimum illud bellum docet, quod M. Aurelio Antonino exarsit: cui nomen Marcomanni principes fecere; cum Quadi præterea, & universa pene Germania, Sarmatiaque conjurassent. Innumera sunt scriptorum de bellica Quadorum virtute testimonia; nos præter ea, quæ adduximus in historia, unum adhuc innuimus, quo S. Hieronymus v) gentibus Romanorum imperium incursantibus, *Quados* etiam, & *Marcomannos* connumerat. x)

XIV. Hanc gentem gloria militari eximiam, atque præstantem certatim ad se trahunt scriptores Silesii; & revera eousque pertinebat: sed & Moraviæ eam tribuunt plerique. Ex quorum numero *Daniel Rapoldus* e primis Silesiæ historiographis, Quadorum imperium ab Hungariæ limitibns, seu potius illius quoque parte aliqua initium accepisse, Moraviam, Silesiamque occupasse, atque usque ad Vistulæ flumen protensos, gentes alias atque alias sub imperii sui tenuisse jugo, ex veterum mo-

u) Hankius l. c. pag. 57.
v) Epist. ad Geruntiam.
x) Vid. Nicol. Henel. Silesiogr. c. 1. pag. 35.

monumentis tradidit. *y*) Promiscua deinde eruditorum corona idem sentit. *Sanson*, *z*) qui Geographiae sua aetate quasi dominatum habuit, eosdem populos in Moraviae tabula exhibet. *Tillemontius*: *a*) Quadi, inquit, populi Germaniae magnae versus Danubium; hodie Marchionatus Moraviae, in regno Bohemiae late sumto. *Philippus Melanchton* *b*) patriam, & antiquam sedem Quadorum fuisse in Moravia, & aliqua Silesiae parte, docet. *Cluverius* Quados ita Moravis transscribit, ut Silesiis eos adimat. *c*) *Melchior Goldastus* *d*) falli eos omnes, qui existimant, Marcomannos esse Moravos, *nominis allusione deceptos*, judicat. In eandem abeunt sententiam *Mathaeus Merianus*, *e*) *Malletus*, *f*) *Lambecius*, *g*) *Zedleri Lexicon*, *h*) *Reifenstuel*, *i*) *Anonymus Jesuita*, *k*) *Cellarius*, *l*) *Joann. Christoph. de Jordan*, *m*) *Magnoaldus Ziegelbauer*, & *Societas Moravica Incognitorum*, *n*) *Dobnerus*, aliique. Tot virorum omnis Geographiae scientia instructissimorum commune judicium, ac velut conspiratio, sane haut aliunde suum ducit principium

y) Daniel Rapold. apud Sommersberg. Sil. Rer. pag. 107.

z) Vid. Ludov. Moreri Lex. voc. Sanson.

a) Apud Jul. Pichon l. c. pag. 138.

b) In vocabulis Region. & Gentium apud Simon Schardium Rer. Germ. T. I. pag. 80.

c) l. c.

d) l. c. c. XI. pag. 102.

e) Topograph. Morav. p. 88.

f) Apud Ulmann. l. c. pag. 127.

g) Biblioth. Vindobon. L. I. pag. 186.

h) Vocab. *Quadi*.

i) German. Austr. pag. 67.

k) Introd. in Vet. Geogr. Edit. Vienn. 1737. pag. 26.

l) Geographiae antiquae L. II. cap. V. Sect. III. p. 389.

m) l. c. P. I. & II.

n) Monatl. Auszüge alter und neuer Sachen. P. I. pag. 182. seq.

pium, quam quod Græcorum juxta, ac Romanorum ſcriptores, vocabulis licet jam vulgo ignotis, obſcurioribusque loquendi modis, eam gentem in hodiernæ Moraviæ terris collocaverint. Et quidem veterum ſeu geographorum, ſeu hiſtoricorum, qui de Quadis meminerint, facile primus Strabo o) in geographicis hæc habet: *In eadem hac Germania eſt & hercynius ſaltus, & Svevorum gentes, quarum quædam habitant intra ſaltum (in quo eſt & Bojæmum, Marobodui regia, in quem ille locum cum alios plures transtulit, tum populares ſuos Marcomannos) aliæ extra ſaltum, ut Quadorum gens contermina Getis.* Nemo eſt, qui non videat, Strabonem hic adſignare ſedem duobus populis, *Marcomannis* nimirum, & *Quadis*; illis quidem intra hercynium ſaltum, ſeu in hodierna Bohemia, undique ſilvis cincta. Hercynia ſilva, ait Dobnerus, p) recentioribus plerumque pro eo ſilvarum tractu accipitur, qui Bohemiam ambit, & communi vobabulo der Böhmerwald exprimitur. Ibi Marobodui erat regia, nunc ipſo in loco urbs Praga, ut breviſſime expreſſit Julius Scaliger: *Hercyniæ in medio maxima Praga tumet.* Quid? quod Strabo ſuimet ipſius interpretem paullo infra agat, dum ſilvam hercyniam, locis natura munitis magnum includere circulum, & in medio illius ſitam regionem, præclaræ habitationi aptam, pronunciat. Quados vero ſaltui, aut ſilvæ ſtatim ſubjungit, adjiciens eos eſſe conterminos Getis, hoc eſt, hodiernis Tranſilvanis, quo tamen Quadorum fines necdum excurrebant. Scilicet Straboni adhuc ignoti fuerunt

Jazy-

o) l. c. L. VII. ubi locus hic corruptus ita reſtituitur.

p) Prodr. pag. 82.

Jazyges metanastæ, quos Ptolomæus ex recentiore notitia Germanos inter, & Dacos constituit. Quo posito, Quadi a Bohemicis, montibus orientem versus solem, potius confines erant Jazygibus metanastis; qui Danubium a conversione sua versus Carpatum maxime boreali, seu angulum Danubii supra Strigonium, hic terminum habuere. Dicere nimirum voluit Strabo: Quados in Moravia nostra, & aliqua Hungariæ parte habitasse. q)

XV. Ptolomæus r) autem Quadiæ limites in Austriam transdanubianam extendit. *Montes Sudeti*, ait, *sub quibus est Gabreta silva. Hos inter, & Sarmaticos montes Orcynium nemus. Sub Marvingis Curiones, deinde Chatuori, & usque ad Danubium fluvium Parmæcampi; sub Gabreta silva Marcomanni, sub his Sudini, & usque ad Danubium fluvium Adrabæcampi. Sub Orcynio nemore Quadi; sub his ferri minera, & Luna silva: sub hac magna gens Boemi usque ad Danubium.* Obscuro loco ut lumen adfundamus, doctissimi Jordani, s) quo nemo plus tam ingenii, quam operæ ad Ptolomæi explicationem contulit, potissimum utemur lucerna. *Silva Gabreta* (der Fichtelbergerwald), a Marchionatu Culmbacensi usque ad confinia Bohemiæ occidentalia prope Egram civitatem pertingebat. Illam enim infra Hercyniam Bohemicam, seu ad occidentem esse, testis est Strabo: t) *Est & alia silva Gabreta, deinde Suevorum sedes, inde hercynius saltus, quem &*

q) Vid. Jordan. l. c. P. II. pag. 148.

r) l. c. ex interpretatione Jordani Orig. Slav. P. II. pag. 18. & 142.

s) Ibid. pag. 146.

t) Geograph. L. V.

& ipsum Suevi tenent. Appellatur item Cluverio: *u*) der Thüringerwald. Sub hac ergo silva siti erant Marcomanni. Supra Egram montes hercynii, peculiari nomine *Sudeti*, incipiebant; cingebantque hodiernæ Bohemiæ semicirculum magis septemtrionalem, ita, ut circa comitatum Glacensem desinerent. Semicirculum alterum meridionalem magis ambiebant hercynii montes, Ptolomæo appellati *Orcynium nemus*. *Sarmatici* cœperunt haut procul ab hungarica civitate Trenschinio; quod vero montium infra Trenschinium est usque ad Danubium, ut ab Germanis, non Sarmatis habitabatur, ita non Sarmaticorum montium, sed *Lunæ Silvæ* nomine veniebat. Itaque Ptolomæus, dum inter Sudetos, & Sarmaticos montes ponit Orcynium nemus, nihil aliud intelligit, quam eam hercynii saltus, de quo Strabo, partem, quæ vocatur Luna Silva, ac Bohemiæ versus meridiem, & Moravos est, atque inde per Pannoniam usque Trenschinium procurrebat. Unde Cluverius: *v*) *Ptolomæo proprie Orcynius saltus appellatur is, qui Quados, id est, hodiernos Moravos a Bojohemo submovet.* Quanquam vero Lunam silvam varios varie interpretari video: nemo tamen est, qui non in Moraviæ vicinia eam posuerit. Bilibaldus Pirkheimerus, *x*) & Petrus Brentius *y*) volunt eam esse silvæ bohemicæ partem versus meridiem, quæ usque ad Danubium pertinet. Dobnerus *z*) itidem versus meridiem, Quadosque eandem reponit; sed inde

Y per

u) Germ. ant. L. III. c. 47. pag. 710.
v) Ibid, pag. 711.
x) Apud Schardium l. c. pag. 90.
y) Apud Ulmann. l. c. P. I. c. 6. pag 34.
z) l. c. pag. 82.

per Pannoniam, & Sarmatiam ad ipſos uſque Getas profert. Cluverius *a)*, ac Cellarius *b)* Lunam Silvam illud montium jugum vocant, quod eſt a Moravæ fonte ad lævam ripam, uſque fontem Viſtulæ. Jordani mentem dudum expoſuimus. Ut ut ſit: Ptolomæus Orcynio nemori adjungens Quados, & poſt eos ferri mineras, ac retro Lunam ſilvam collocans, iis adſignat omne illud ſpatium, quod nunc Moraviam, & Auſtriam transdanubianam complectitur uſque ad metalliferas Hungariæ civitates. Quinos enim ordines populorum Danubianos deſcribit. In quorum primo adparent Curiones, Chætuori, & Parmæcampi; atque hi poſtremi Danubium ipſum attingunt. In ſecundo ab ſilva Gabreta tranſcendens montes bohemicos, intra eorum gyrum locat Marcomannos, & Sudinos; extra montes autem uſque ad Danubium Adrabæcampos. Tertium ordinem occupant Quadi per totam Moraviam noſtram, ac ripam Danubii in Auſtria transdanubiana, quatenus Moraviæ adjacet. In quarto ex Moravia tranſit orientem verſus in Hungariam ſuperiorem, pro finibus Quadorum nominans ferri mineras, retroque Lunam ſilvam. Quintus ordo nihil ad nos attinet. Ita regreſſus, ſub Luna ſilva locat iterum Boemos, ſeu Bojohemos, qui ſunt iidem cum Marcomannis; eorumque tanquam gentis magnæ, nomine comprehendit Adrabæcampos, Danubio, quemadmodum diximus, adſcitos.

XVI.

---

a) loco ſup. cit.

b) Geogr. ant. L. II. c. V. pag. 371.

XVI. Sed quod de Quadorum terminis ad Danubium aliquanto obscurius indicavit Claudius Ptolomæus, id clarioribus expressit verbis Corn. Tacitus: *c) Juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni, & Quadi agunt; eaque Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio prætexitur.* Ponderato hoc testimonio, infert Cluverius: *d)* Ergo & Quadi in Danubii ripa, scilicet infra Marcomannos. Hankio ipsi, qui Quados solis vindicat Silesiis, ita evidens hæc auctoritas est, ut ad aliam Taciti lectionem minus probam provocaret. Scripsisse enim Tacitum, non, quatenus Danubio *prætexitur*; sed quatenus Danubio *pergitur*. Cum enim extrema Silesia meridiem versus, ubi Jablunka reperitur, novem milliaribus germanicis a Danubio distet, non placebat, Quadiam Germaniæ frontem, & Danubio prætextam a Tacito dici; sed alia potius lectio caussæ suæ favens arridebat: quatenus vel circa Danubium, vel ad Danubium, vel a Danubio in remotiora loca *pergitur. e)* Si a doctissimorum virorum judicio discedere auctori Silesio certum erat, facile etiam, si caussæ patrocinium postulasset, legere in Tacito poterat; *peragitur.* — At utramque lectionem damnat Justus Lipsius: *f)* Scriptus liber, inquit, *peragitur*; male. Quidam *pergitur*; nec id tam probe. Julianus Pichon, *g)* qui jussu christianissimi Regis in usum Delphini, Taciti Germaniam interpretatione, & notis illustravit, vera, ait, lectio est: *prætexitur.* Nam infra hoc libro Tacitus: *Nationes*

 usque

c) De Mor. Germ. c. 42.
d) Ant. Germ. L. III. c. 31.
e) Hankius de Siles. Maj. c. 14. pag. 50.

f) Commentar. in Tacit.
g) l. c. pag. 139.

usque ad Oceanum Rheno praetexuntur. Hactenus, ut vidimus, vetus Quadia *Orcynio saltu, Luna silva, montibus Sudetis, Danubii ripa,* & *ferri mineris* est circumscripta: quibus limitibus ex praestantissimorum Geographorum sententia, designata recentior Moravia est; nisi quod eadem hodie minime porrigatur in Hungariam, nec in Austriam.

XVII. Quare secundum Cluverium *h*) Quadorum termini antiquitus fuerunt: A meridie Danubius; ab occasu aequinoctiali simul, & aestivo, primo Cluna amnis, tum Bojohemici montes ad Moravae usque confluentem; ab ortu aestivo Morava flumen. Sed de hoc orientali Quadiae limite infra redibit sermo. Idem Cluverius ultra Moravam deinde Quadicos fines, & quidem jure ad Vagum usque protendit; sed auctoritate Taciti perperam nititur: *i*) *Barbari utrumque* (Marobodiuum, & Catualdam, Bojohemo pulsos) *comitati, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra, intra flumina Marum,* & *Cusum locantur; dato Rege Vannio gentis Quadorum.* Nimirum *Mari*, & *Cusi* nomine Moravam, & Vagum fluvios intelligens (hic etiam Cellario *k*) communis est error) Svevos Marcomannos, & Quados, exulum Regum clientes, atque in Noricum, & Pannoniam itineris socios, inter flumina Moravam, & Vagum locatos esse ab Romanis censuit. Enimvero universum Vannii regnum exiguis, inter Marum Moravorum, & Vagum Pannonum amnem spatiis nequaquam finiebatur: quod amplitudine magnum, divitiisque abundans

---

h) l. c. c. 31. p. 624 seqq. || *k*) l. c. c. 8. pag. 74.
i) Tacit. Anal. L. II. c. 63.

dans adeo late patebat, ut post annorum 30. intervallum in plura regna divisum fuerit. *l*) Ex Taciti vero, Plinii, aliorumque veterum historicorum verbis luculentissime eruitur, eos de Maro hodiernæ Transilvaniæ flumine sermonem facere. Hinc Otrokocsius, Marum Taciti, & Plinii, Marisum Strabonis, & Marim Herodoti eundem fluvium Transilvaniæ esse; Cusum vero vel corrupte loco Tissum Theiß, vel Crusum Köresch poni, non falso existimat. *m*)

XVIII. Videamus igitur, ubi Quadi, vel certe Marcomanni, qui, cum Regem Quadicæ stirpis habuerint, in commune illorum nomen transiverunt, collocati ab Romanis sint. Exstat ea de re singularis Plinii locus in historia naturali. *n*) Is ubi populos Geticos ad Danubium inferiorem, usque ad Daciam propriam, seu Transilvaniam enarrasset, hæc subjicit: *Superiora autem inter Danubium, & hercynium saltum usque ad Pannonica hiberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium, campos, & plana Jazyges Sarmatæ; montes vero, & saltus pulsi ab his Daci ad Pathissum amnem a Maro, sive is Duria est, a Svevis, regnoque Vanniano dirimens eos.* Qui locus cum Tacito compositus, hoc modo clarius reddi potest: Inter Danubium, Carpatum, Carnuntum, Quadosque ibi confines, ac Tibiscum, campos, & plana colunt Jazyges Sarmatæ; trans Tibiscum autem pulsi ab Jazygibus Daci habitant montes, & saltus; ita ut

 inter

l) Ammian. Marcellinus Rer. Gest. L. XVII. c. 12.

m) Jordanus l. c. P. II. pag. 31. & Beatus Rhenanus Rer. Germ. L. I. c. 29.

n) L. IV. c. 12.

inter Marum, & Crusum sedes suas habeant Svevi, a quibus tanquam regni Vanniani parte, dirimuntur Daci, Maro, & Cruso amnibus. Vanniani regni titulo Jordan o) etiam Jazyges includit. At stipendiarios Vannii tantum fuisse, innuit Tacitus: p) *Vannio manus propria pedites; eques e Sarmatis Jazygibus erat.* Sed qua demum cunque ratione Jazyges Vannio fuerint subjecti, illud satis constat, eos minus recte uti verbis Taciti, qui iisdem innixi, Quados Moravam inter, & Vagum ponunt, quos Tacitus perinde, ac Plinius trans Tibiscum, inter Marosum, & Crusum interjectos voluere.

XIX. Ceterum Quados non modo ad Vagum, sed ad Granuam usque flumen, & metallicas civitates protensos, evincit celeberrimum, de quo prædiximus M. Antonini Philosophi cum illis bellum, quod ipse in vita sua testatur apud Quados esse gestum. Librum enim primum hac formula claudit: *Hæc in Quadis ad Granuam.* Quare Paullus Diaconus q) Brigionem, seu Bregetionem, hoc est, Strigonium, vel ei vicinum Szönyum appellat *Oppidum Quadorum.* A Bregetione autem inter Danubium, & Dravum sita fuit Romanorum provincia Valeria, a Galerio Maximiano Armentario Cæsare, in honorem uxoris suæ Valeriæ, quæ fuit Diocletiani filia, appellata. Huc quoque Marcomannos, & Quados, dum provinciam Valeriam Romani adhuc Pannoniam nominabant, Vannii Regis sui ductu progressos ajunt. r) Verum Sexti Rufi Epitomen

o) l. c. P. *II* pag. 183.
p) Annal. L. *XII.* c. 29.
q) De Gestis Rom. L. XI. c. 4.
r) Dobner Prodr. c. 100.

men qui consulat, & verset, Quadorum profectionem in Valeriam (nunc fortasse Stiriam) Marobodui ætati magis convenientem esse, ni fallor, sentiet. Ait enim laudatus scriptor: *s*) *Sub Julio, & Augusto Cæsaribus — Marcomanni, & Quadi, de locis Valeriæ, quæ sunt inter Danubium, & Dravum, pulsi sunt, & limes inter Romanos, & Barbaros ab Augusta Vindelicum, per Noricum, Pannonias, ac Mæsiam est constitutus.* Ante, quam Pannonia, Dalmatiaque seditiosa in Romanos arma corripuisset, illinc Sentius Saturninus, hinc Tiberius Cæsar cum signis militaribus irrumpere in Bojohemum cogitabant; sed Pannonibus, & Dalmatis seditionem facientibus, utriusque propositum morata fortuna est. Re cum illis composita, Tiberius in Maroboduum rursus movit; eaque ipsius adversus Germanos fuit expeditio tertia. Tum Maroboduus Marcomannos, & Quados in Valeriam secum rapuit, qui, quamvis primum de gradu pulsi (duodecim enim legionibus petebantur) tamen deinde omnem Romanorum vim eousque sustinuerunt, dum Varianæ cladis nuncium Romani accepissent. *t*) Inde gloriatur Maroboduus, se duodecim legionibus Duce Tiberio petitum, illibatam Germaniæ gloriam servavisse. *u*)

XX. Finibus Quadiæ versus meridiem, & orientem æquinoctialem, hibernumque pertractatis, jam lustrandus ejusdem limes versus orientem solstitialem, ac septemtrionem. Cluverius, ut vidimus, Quadiam ab ortu æstivo, flu-

---

s) In Breviario c. *VII.*
t) Vorburg. l. c. pag. 42. & 296.
u) Apud Tacit. Añal. L. *II.* c. 46.

flumine Morava terminavit. Nec mirum: quippe qui Quados etiam Silesia exclusit. An vero Quadica gens, semper vicinis, ut ajunt infesta, Osos, & Gothinos, quos Pannonica, & Gallica lingua non esse Germanos coarguebat, trans Moravam in planitie, ut Cluverius v) adfirmat, passa fuisset? Tributarios certe hos populos habebant Quadi; Cothini iis etiam ferrum effodiebant: utrique vero pauca campestrium, ceterum saltus, & vertices montium insederunt. Insuper una cum Marsignis, & Buriis terga Marcomannorum, Quadorumque claudebant. x) Rectius Fibigerus, y) Marsignos omnes in bohemicis montibus; Gothinos autem partim in his, partim in Moravicis, & Hungaricis, sicut & Osos, Buriosque sedisse, pronunciat. Sic enim terga Quadorum, qui Moraviam, & Hungariam inhabitarunt latissime, Osi, & Gothini vere clauserunt. Tabula Germaniæ antiquæ, quam in geographia sua veteri, & nova edidit anonymus Jesuita, z) Marsignos pone Bojohemum, & supra fontem Moravæ in Luna silva; Gothinos autem supra fontem Oderæ collocat. Jordanus a) Gothinis non alium ferme situm, quam ad Sarmaticos montes, quos citra, ultraque ferri fodinæ abundant, esse potuisse, judicat. Hinc commentator Henelianus b) continuum illud montium jugum, quod Tacitus dirimere, ac scindere Sveviam docet, ipsum Carpatum; sed & montes moravicos, & bohemicos, sive Sudetos, qui Silesiam ab oriente,

v) Antiq. Germ. c. 32.
x) Tacit. de Morib. Germ. c. 43.
y) Apud Henelium p. 57.
z) Viennæ 1737.
a) l. c. P. II. pag. 45.
b) l. c.

te, meridie, & non nihil etiam ab occidente muniunt, intelligit. Quodsi Osi, & Gothini, teste Tacito, juga montium aliis vectigales, atque obnoxii tenuerunt: plana transmoravana omnino libera, atque expedita Quadis patebant, quos inde usque in Silesiam superiorem longe satis, lateque porrectos, Ammianus Marcellinus merito appellat *transjugitanos*.

XXI. Narrat enim, e) Constantio Augusto apud Syrmium hyemante, permistos Sarmatas, & Quados, Pannonias, Mœsiamque superiorem, seu hodiernam Serviam dispersis incursavisse cuneis. Aequinoctio verni temporis confecto, Imperatorem Istrum transgressum, populandis barbarorum terris incubuisse. Mox Sarmatis, Quadisque cæsis, atque in terras suas fugatis, ad ipsa Quadorum properasse regna. Ad extremum post Zizaim Sarmatarum Regalem, venisse in Principis conspectum Arabarium, & Usafrum itidem Regales, quorum alter *transjugitanorum* Quadorum parti, alter quibusdam Sarmatis præerat: hos certis pactionibus pacem recuperasse. Gesta sunt hæc primum in ea parte Sarmatiæ, quæ secundam prospectat Pannoniam; deinde in superioribus locis, ipsisque Jazygum, & Quadorum finibus. Quæ hodierno regionum situ æstimata partim inter Danubium, & Tibiscum, partim in ipsis Sarmaticis montibus contigerunt; atque evincunt, transjugitanos Quados, quorum parti præfuit Arabarius, Silesios fuisse superiores; Quadorum vero transjugitanorum aliam partem retrorsum, ut minimum dicam, Moravam versus coluisse. Nimirum Romani omnem Qua-

e) l. c. L. XVII. c. 12.

Quadiam, ab Silesia Danubium usque, *transjugitanam* appellarunt, uti eam a *cisjugitana*, quæ ad Granuam usque protensa erat, distinguerent; quo jam Imp. Constantius, rebus compositis, cum exercitu reversurus, castra commovit Bregetionem. *d*)

XXII. Nos vero commonstratis auctoritate veterum ab omni plaga præcipuis Quadorum sedibus, fidem nisi nos fallunt omnia, liberaturi sumus, ubi prius, quam late coluerint Quadi Silesii, paucis exposuerimus. His itaque ex Moravia, ubi maxime se continuerunt, in superiorem Silesiam olim extensis, scriptores potiorem Oppaviensis, Nissensis, ac Tessinensis Ducatuum partem, Oppoliensem vero, & Ratiboriensem cum Plessensi dynastia, integros adsignant. *e*) Quamquam illi non Viadrum modo, sed & Vistulam superarunt: cum expresse adfirmet Marcellinus, *f*) Arabarium sibi habuisse subjectum alium Sarmatarum Regalem. Hodierni tamen Viadri in eadem Silesia accolæ, quamvis *Quadi* vulgo vocentur, tantum abest, ut Quadorum, gentis illius bellicosæ, sint progenies, ut potius Sarmatarum, aut Polonorum, a quibus Silesia, quum adhuc esset Poloniæ pars, fuit habitata, reliquiæ, ac posteritas censeantur. Neque enim germanico, ut veteres Quadi, utuntur idiomate, sed slavico, a Moravis tamen & phrasi, & accentu multum diverso. Qua de caussa cum Slavi Moravi Quadorum etiam sedes teneant, non ta-

d) Ibid. Vid. & Jordanus l. c. P. I. pag. 15.

e) Fibiger. l. c. p. 68. Et Cellarius not. e. a. pag. 487. ibid.

f) l. c.

tamen iis, ut Slavis Polonorum posteris, nomen illud adhæsit. g)

Cremsirii 31 Januarii
1785.

Franciscus Moravetz a S. Antonio
Cleric. Regul. e Scholis Piis.



g) Fibiger, l. c.

Navis, si cum concordia gubernatoris & nautarum naviget & ipsa salvatur, salvatque pariter vectores; sin minus, quanto plura fuerint vela, tanto vehementiorem tempestatem, perturbationemque majorem accidere necesse est. *Dio Chrysostomus Orat.* 39.

ERRATA.

Lin.	Errores.	Corrige.
1	Cujus a Danubio	Cujus fines a Danubio
2	Gottorum	Gottonum
3	Herculis	Herulis
*	Jordan. Orig. Slav. c. 25. n. 962.	Jordan. Orig. Slav. c. 28. paragr. 22.
23	V. Tab. geog. III.	V. Tab. Geogr. Dobneri P. II. Annal.
23	Respublicis	Rebuspublicis
13	Frankensteinam	Frankstadium
in nota.	Svatopluco ultimo Regi Moraviæ	Svatopluco penultimo Regi Moraviæ.
27	Uno medio mense	Uno, & medio mense
8	interim excitavit	interim novos tumultus excitavit
*13	God. Provinc.	Godefrid. Provin.
*13	Stigavii	Stivagii
**	Marchioni Bodensi	Marchioni Badensi
26	frequentia se dedit	frequentia comitem se dedit
*	Czernsteinam	Czornsteinam
litt. c)	Wichinitz	Wchinitz
3	octenos	octonos
3	concorbus	concordibus
litt. p)	L. IV. c. 11.	L. IV. c. 10.

Reliqua errata benevolus Lector corriget.

ERRATA.

Pag.	Lin.	Errores.	Corrige.
8	1	Cujus a Danubio	Cujus fines a Danubio
10	2	Gottorum	Gottonum
18	3	Herculis	Herulis
25	*	Jordan. Orig. Slav. c. 25. n. 962.	Jordan. Orig. Slav. c. 28. paragr. 22.
45	23	V. Tab. geog. III.	V. Tab. Geogr. Dobneri P. II. Annal.
35	23	Respublicis	Rebuspublicis
47	13	Frankensteinam	Frankstadium
80	in nota.	Svatopluco ultimo Regi Moraviæ	Svatopluco penultimo Regi Moraviæ.
83	27	Uno medio mense	Uno, & medio mense
94	8	interim excitavit	interim novos tumultus excitavit
118	*13	God. Provinc.	Godefrid. Provin.
119	*13	Stigavii	Stivagii
154	**	Marchioni Bodensi	Marchioni Badensi
159	26	frequentia se dedit	frequentia comitem se dedit
182	*	Czernsteinam	Czornsteinam
237	litt. e)	Wichinitz	Wchinitz
266	3	octenos	octonos
277	3	concorbus	concordibus
279	litt. p)	L. IV. c. 11.	L. IV. c. 10.

Reliqua errata benevolus Lector corriget.

Navis, ſi cum concordia gubernatoris & nautarum naviget & ipſa ſalvatur, ſalvatque pariter vectores; ſin minus, quanto plura fuerint vela, tanto vehementiorem tempeſtatem, perturbationemque majorem accidere neceſſe eſt. *Dio Chryſoſtomus Orat.* 39.

PRÆFATIO.

Propositum nobis erat Historiam Moraviæ politicam & ecclesiasticam, compendio relatam, duobus complecti voluminibus, quorum alterum duas periodos postremas contineret. Quum vero pensum historicum ad finem perducimus; alterum hoc volumen collectione gestorum in Moravia, nimio majus excrevisse deprehendimus. Mutato igitur consilio, decrevimus Historiam nostram tripartito dividere; tum ut desiderio Polyhistorum patriæ eo citius fiat satis, tum ut volumina inter se quodammodo consentiant. Partem primam sapienti lectorum judicio dudum jam subjecimus; secundam ut ordine, ita mole mediam in præsenti subjicimus officiose; daturi typis Deo volente, tertiam haud nimis multo post, inde a Ferdinando I. Rom. & Bohemiæ Rege ad nostra usque tempora rerum gestarum serie ita copiosam,

ut justum constituat volumen non impar prioribus. — Hæc autem pars trium, ut diximus, media enarrat fusiore calamo ea omnia, quorum epitomen periodo quinta Synopsis historicæ dedimus. Nec est, cur phalerata quadam verbositate diutius de illa disseramus. Veritatis, uti eam probatis in auctoribus reperimus, studium magnopere nobis curæ cordique fuit; attamen sapiente aliorum animadversione, siquando error quispiam curam fefellit nostram, perbenigne instrui, nequaquam absonum arbitramur: *Parati omnino refelli sine iracundia, & refellere sine pertinacia.* Documentum nostræ hujus in moderatos animadversores voluntatis damus vel hac opella apologetica, quæ præfationis instar subeat.

Placuit nempe erudito anonymo, non minus Historiæ, quam Geographiæ patriæ amico, nonnullas animadversiones in primam Historiæ nostræ partem facere, scripto affatim severo & acuto. Grato easdem accepimus animo: ad complures earum temperata reddimus responsa; perpaucis autem, quæ veri signa gerunt, ultro ac libenter subscribimus.

Ac

Ac primum quidem Vir eruditus ad pag. 12. animadvertit, *in tam presso historiæ compendio notas quasdam esse superfluas, alias justo longiores, qualis illa de prodigioso imbre est, qua miraculum fide dignius non efficitur: quod ex gravioribus momentis inter fabulas numeratur.* — Pressum & continua gestorum narratione adstrictum scribendi genus, saniore aliorum calculo, vel maxime postulat adnotationes, quibus illustretur vel confirmetur, quidquid obscurum, dubium, aut incertum videri potest. Ejusmodi in Historia Moraviæ, ad leges criticas exigenda occurrunt quam plurima, quorum historica fides vacillat, nisi idoneis probentur argumentis; hæc autem connexam rerum narrationem interrumpunt: quis igitur in notis ponenda dubitet? — Longiores porro notas aut res ipsa majoris momenti, aut amica quorundam monita poposcerunt. — Has ob caussas narratio *de prodigioso imbre pag.* 12. pluribus stabilitur momentis: quæ an nullius sint ponderis, aliorum esto judicium. Profecto in re, a multis scriptoribus christianis pertractata, novi nihil nos attulisse, ultro profitemur. Et quis, amabo te, post Anglos eruditissimos: *Gualterum Moylium, & Petrum Kingium*, quorum alter contra, alter pro miraculo stetit, amplius novi quid adferat?

Qui postea idem argumentum pertractarunt, nempe: *Fridr. Spanhemius*, *Salomon Deylingius*, *Jo. Georg. Walchius*, & *Jo. Laur. Moshemius*, omnia paribus examinarunt ponderibus, certa ab incertis, a falsis vera distinxerunt. Mirum! ignota iis fuisse *graviora illa momenta*, *quibus factum integrum inter fabulas numeratur.* — Novissime *Christophorus Bayerus*, in Academia Lipsiensi Professor Publicus, hac in controversia versatus eo modo est, ut sicuti omnia, quae *de Legione Melitina seu Fulminatrice* vulgo dicuntur, non esse vera; ita nec omnia esse falsa & fabulis accensenda, statuerit. *a*) Hanc normam summatim sequi eminus saltem, nobis quoque animus fuit.

Ad pag. 26. *falsisne est*, inquit, *Reges Moraviae, eorumque gesta, quae Pessina & alii ex Hajeco; Dubravio, Comenio &c. referunt, tanquam figmenta rejicere ideo solum, quia Dobnerus ea in coaevis scriptoribus non reperit? Viri, ut Hajecus, Dubravius, & Comenius, non sunt proponendi tanquam facile creduli & mendaces; immo poterant novisse fon-*

---

a) Commentatio de Legione christianorum Fulminatrice sub Imp. Antonino Philosopho. Lipsiae 1751.

fontes, qui forsan ad Dobneri usque ætatem exaruerunt; Argumentatatio hæc: Non reperitur factum quodpiam in veteribus scriptoribus; ergo figmentum est recentioris cujuspiam: *ita vitiosa est, sicut ista:* Veteres non scripserunt Historiam Moraviæ; ergo nihil olim contigit memoratu dignum in Moravia. *Conclusio similis tum valeret, si proprius hujus provinciæ scriptor vetustus factum quodpiam siluisset. Quis autem desideret, ut Græcorum, Romanorum, Germanorum, & Francorum scriptores accurate noverint singulos reges hujus regionis, eosque scriptis suis commemorent? Ignota illis erant hæ regiones &c.* —

In admirationem nos rapuit insolita hæc de rebus historicis philosophandi ratio. Præcipit enim novas, & Criticis omnibus ignotas historiæ scribendæ vel dijudicandæ regulas, quibus receptis, grande foret piaculum rejicere, immo vel in dubium vocare, quidquid Pessina ex Hajeco, Dubravio, & Comenio narrat, etiamsi scriptores ceteri contrarium invictis probent argumentis. — Dobneri, scriptis editis celebrati, apologiam scribere supervacaneum foret, utne Athenienſem Athenis laudare videamur. Satisne vero est, Reges Mora-

 viæ

viæ eorumque geſta acrius propugnare ideo ſolum, quia ſcriptor cetera non temnendus Peſſina eos commemorat? ſolane ſcribentis auctoritas ad fidem hiſtoricam ſufficit? — Nobis ſæpe amicus Peſſina, amicus Dubravius, amici Hajecus & Comenius: *magis autem amica veritas.* Ita ſentiunt hiſtoriographi plerique omnes, quibus inviolatum eſt Baronii effatum: *Quod a recentiore auctore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris auctoritate aſſeritur, contemnitur.* b) Hoc principio labaſcit tota illa regum defenſio, quæ aut præpropero, aut fervido profluxit calamo. Nam quos Hajecus, Dubravius, Comenius poterant *noviſſe fontes, qui poſtea exaruerint*? Certe monumenta coæva minime. Nec enim apud Slavos Moravos aut Bohemos, qui ante adventum SS. Cyrilli & Methodii caruere litteris, extiterunt ulla; nec apud exteros ſcriptores coævos regum illorum ſit mentio: immo narrantur contraria regimini eorum in Moravia. Quodſi Peſſina, ut fatetur, eosdem eruit ex ſcriptis Comenii, hic vero Cztiborii a Cymburg & Mathiæ Cz'ervenka (ille ſæculo

b) Ap. Papebrochium in reſponſ. ad exhibitionem errorum art. 19. p. 605.

feculo XV. ifte XVI. vixerat) auctoritate ac manufcriptis nititur: ecquis habeat iis fidem, quum multis ab re gefta diftent feculis? Si & hi dicantur potuiffe fontes vetustiores nofcere: merito quisque inficias iverit, *fontes illos vel unquam extitiffe.* Idquod, pofitis præjudiciis, accurata mentis trutina examinemus:

1) Secundum Peffinam *Marothus* cœpit regnare A. C. 690. *Svates* feu *Svatoff* A. C. 720. c) His regibus, ait, Moraviæ regnum fuiffe florentiffimum, eosque habitaffe Vefprinii; Svatoffium infuper domicilium ftatuiffe Welehradii. Qua in opinione citat a partibus fuis *Bonfinium* & *Thuroczium*, hiftoricos fuo vicinos ævo: at neque cum his confentit. Eft vero Vefprinium in Pannonia fitum, inter Arabonem fluvium & lacum Balatonium; inde reges ifti, tefte Peffina, habuerunt Moraviæ regnum protenfum per Tranfilvaniam usque ad Pontum Euxinum. — At Porphyrogenitus & Theophanes d) Pannoniæ & Tranffilvaniæ, aliarumque regionum usque ad Pontum Euxi-

c) Mart. Mor. L. I. cap. 3. & L. II. c. 4.

d) Ad ann. XI. Conftant. Pogon.

num incolas longe alios, puta *Patzinakos*, *Dalmatas*, *Croatas*, *Srbos* & *Bulgaros* referunt. Quare ex hoc ipso Theophanis testimonio Doctiss. Hungariae historiographus Pray demonstrat, e) *Marothum* tunc Vesprinii sedem habere nequaquam potuisse. Et Joan. Christoph. de Jordan f) animadvertit in Pessinam, qui hoc loco fines Moraviae nimium quantum per utramque Daciam cis & ultra Tibiscum, a Grano flumine cum Danubio usque ad Pontum Euxinum, immo per universas Pannonias protenderit; quippe ne Suatoplucus quidem regnum suum, quum foret splendidissimum, eousque dilatavit. Cetera brevitatis caussa praetermittimus, quae Dobnerus in annalibus Hajecianis & Dissertatione critica hoc de argumento disserit. g)

2) *Samomir* Iordani calculo (*Pessina enim annum non exprimit*) regnavit A. C. 750. *Samoslaus* A. C. 791. His regnantibus, contigissent ea, quae in politica Moraviae historia ab an. 767 — 796.

e) Annal. Veter. Hunn. L. II. p. 263.

f) Origin. Slavic P. I. cap. 28. §. 26.

g) Annal. Hajec. P. II. p. 143. Et Kritische Abhandlung von den Gränzen Altmähr. cap. 6 seqq.

— 796. narravimus. Hoc autem ſpatio temporis Marahenſes, ſocietate cum Hunnis inita, adverſus Francos Rege Carolo M. ſæpe pugnarunt; proinde ſcriptores Franci, ſi *Samomir* & *Samoslaus* reges præfuiſſent Moravis, citra dubium de illis meminiſſent. At contra fit: ſcriptores illi paulo poſt nominant *Moymarum*, *Todanum*, *Privinnam*, *Hezilonem* &c. de Samomiro & Samoslao altum eſt ſilentium. — Et vero quam opportuna fuit occaſio Eginhardo ad an. 791. de Samoslao ſcribendi! narrat enim Peſſina *h*) " Caroli M. exercitum adverſus Hun-" nos per Moraviam profectum eſſe, eique " iter a Samoslao tunc Moraviæ Rege diſpu-" tatum: eapropter univerſam Moraviam a " Francis vaſtatam, Welehradium obſidione " cinctum, dein expugnatum; compulſos de-" mum Moravos, ut ejurata falſorum deorum " ſuperſtitione, ad religionis chriſtianæ ſacra " transirent. „ Verum tacet hæc ſcriptor Franciscus, licet hanc ipſam Caroli M. contra Hunnos expeditionem enarret. Hinc merito Iordanus & Dobnerus *i*) demonſtrant, Francis ita ut-

h) Mart. Mor. L. II. c. 4. p. 198. ſeq. Iſte Annal.
i) Ille Orig. Slav. cap. 28. P. II. p. 371.

utrinque ſecus Danubium fuiſſe iter, ut ſiniſtra ripa non penetrarint ultra Moravæ, aut ſummum Vagi oſtia. Quin immo Iordanus, refutans hanc Peſſinæ narrationem, ait: Vitioſum exercitus Caroli M. circuitum futurum fuiſſe in Moraviam Welehradium usque; nec ullo modo fieri potuiſſe, ut Franci ſcriptores hiſtoriam Carolo M. tam glorioſam, præſertim *de Moravorum converſione*, ſilentio præterirent. — His veritate, non partium ſtudio, ponderatis, quid jam aliud ſub putatitiis hiſce regibus referre in hiſtoria nobis licuit, niſi Slavos Marahenſes poſt obitum Samonis ſine rege ac duce (exercitus duces tempore belli non negamus) uſos regimine democratico fuiſſe? Præcipue quum id temporis adeo arcti forent Marahenſium fines, ut Tajam fluvium non excederent; trans Tajam autem ditio Hunnorum eſſet propria. *k*)

3) *Lechus* aut *Lecho* A. C. 805. in bello adverſus Caroli M. filium Carolum geſto occubuit, non rex Moraviæ, ſed Bohemorum, alia-

k) Vid Dobner Kritiſche Abhandlung v. d. Gr. Altmähr. l. c. p. 12.

liarumque gentium Slavicarum ſupremus belli dux: quo tempore Moravi, prolatis beneficio Caroli M. finibus ſuis, jam *Moymirum* ſeu *Moymarum* Principem aut Ducem habuere. *l*) Poſt Lechum *Hormidor rex* pariter in Moravia locum non habet, ſiquidem eo adhuc tempore vivebat non rex, ſed dux idem *Moymirus*. Quapropter Aſſemanus *m*) jure ac merito vocat *commentitium regem Hormidorum*, & rejecta commentitia regni moravici originatione, quam ex Dubravio attulit, ad certa Moraviæ Ducum Regumque documenta progreſſus, incipit a Moymiro, ſicut etiam nos cœpimus. Sed fruſtra his immoremur diutius, quippe quæ evicta dudum ſunt eruditorum calamis.

Ad elevandam ſcriptorum coævorum fidem duo exempla profert Vir eruditus: Alterum eſt *inſcriptionis ſepulcralis coævæ, quæ in Waldicenſi Cartuſia nuper inventa, recte quidem refert annum* 1614. *mortis Dominæ Nekeſſiæ a Landek, primæ conjugis Alberti a Waldſtein Ducis Fridlandiæ; diem tamen* 30. *menſis Martii ſalſo aſſignat, quum illa*

l) Jordan. l. c. & fuſe Dobner Annal. P. II. p. 424. ſeqq.

m) Kalend. Univ. Eccleſ. T. III. p. 56.

illa certo sit mortua die 23 *ejusdem mensis. Nomen præterea defunctæ exhibet corrupte*: Nesskowa *pro* Nekessowa, *& dominii ejudem quoddam ignotum Gamirolitze,* n) Alterum exemplum affert Hübneri geographi germani, *de numero pagorum in Moravia, & Hannatarum situ, statura, armis &c. erronea scribentis.* Unde concludit; *Non poterat Hamburgensis iste geographus ad septimam usque libri sui editionem melius novisse Moraviam, quam olim Græci, Romani, & Franci?* —

Maximi semper ponderis in rebus historicis est coævorum scriptorum testimonium, quo contemto, historiographus cæcutit, aut cæcatur erroribus. Namque eruditorum effato: *Unius coævi, aut paullo posterioris historici testimonium plus habet roboris, quam centuria recentiorum,* o) Quodsi autem testimonia coævorum dissentiant, sequimur criticam Calmeti regulam; *Rem quamdam historicam, quam vel coævus, vel ferme coævus clari nominis & integræ fidei auctor refert, nisi a vetustiori vel peritiori altero improbetur, Critici omnes certam tenent.* p) Atqui inscriptio se-

n) Prager interessante Nachrichten v. J. 1785, N. 12.
o) Differt. de itin. Rom. S. Petri.
p) Stephan. Baluz. in notis ad Lactant.

ſepulcralis, ut fatetur ipſe Animadverſor, refellitur inſtrumento Fundationis Cartuſiæ Waldicenſis; in duplici etiam inſtrumento Fundationis Cartuſiæ Stipenſis nominantur hæc tantum loca: *Wſetin*, *Lukow*, *Rimitz*: *q*) facile igitur inſcriptio iſta corrigitur inſtrumentis citatis, ſecundum mox allatam critices regulam. — Hübnero, quoad erronea de Hannatis, peritiorum adſtipulatur nemo. Conſtat nihilominus ex veterum ſcriptorum lectione: Græcis & Francis omnino plus commercii & negocii fuiſſe cum Slavo-Moravis, quam Hamburgenſi illi geographo cum Hannatis. De horum ſitu alia profecto ſcripſit Doctiſſ. Joann. Aloyſ. Hanke primus Cuſtos Cæſareo-regiæ Bibliothecæ Lycæi Olom. *r*)

Ad pag. 56. notat: *Amplius ne, quam nuda recentiſſimorum ſcriptorum opinio eſt, S. Methodio nullam firmam ſedem Epiſcopalem in Moravia fuiſ-*

---

q) Dobner mon. ined. T. I. p. 329. 334. & 361. — Nos de Lucretia Nekeſſiana a Landek agimus Hiſt. Polit. Periodo VI. ad an. 1612. ſeq.

r) Verſuch über die Schifbarmachung des Fl. March. Brünn 1784. p. 32.

fuisse, sed illum jam Welebradii, jam Podivini, jam Poleschovitzii resedisse, atque ita occasionem esse datam, singulis horum locorum peculiarem Episcopum assignandi? utrumque difficile est creditu, nec argumentis sit verosimile &c. —

Non nuda opinio, sed firma stat sententia, S. Methodium fixam sedem Episcopalem in Moravia non habuisse. Nititur autem his argumentis: 1) Hatto Moguntinus Archiepiscopus epistola ad Joannem IX. Papam anno 900. data aperte hoc testatur: " Moravenses, " inquit, Metropolitano glorientur a vestra " concessione esse sublimatos, cum nunquam " metropolitana sedes inter illos haberetur, sed " semper illorum (*Francorum*) provinciae & " dioecesi cohaererent. „ Quorum verborum sensus est: Moravi ajunt, a Papa Joanne IX. sibi missum, mortuo Methodio, Joannem Archiepiscopum, qui certam sedem metropoliticam in Moravia erigeret; quod jus inique praetendunt, cum *nunquam metropolitana sedes inter illos haberetur.* Quod utique de S. Methodio Joannis antecessore intelligitur. 2) S. Methodius nunquam apud coaevos appellatur *Welebradensis*, vel alterius certae sedis Episcopus; sed

Me-

Moravorum vel *Pannoniæ*. Sic alter ſcriptor anonymus vitæ S. Methodii (*apud Bollandianos ad 9. Mart.*) ait: S. Methodium factum Moravorum Antiſtitem. Joannes VIII. Papa epiſtolam, qua Methodium an. 879. Romam evocat, inſcribit: Reverendiſſ. Methodio Archiepiſcopo *Pannoniensis* Eccleſiæ. Idem Pontifex aliam epiſtolam ad Regem Suatoplucum an. 880. datam, qua S. Methodii orthodoxian commendat, his verbis incipit: Induſtriæ tuæ notum eſſe volumus, quoniam confratre noſtro Methodio Rev. Archiepiſcopo S. Eccleſiæ *Moravenſis* &c. — Contra autem Wichingum Epiſcopum, qui certam ſedem Nitriæ tunc in Moravia habuit, idem Pontifex ea epiſtola *Nitrienſis* Eccleſiæ Epiſcopum appellat. Bojoariæ quoque Epiſcopi epiſtola ad Joannem IX. Papam poſt obitum SS. Cyrilli & Methodii an. 900. data, de uno tantum in Moravia erecto epiſcopatu, ſcilicet *Nitrienſi*, apud Pontificem querulantur. Nulla ergo certa ſedes Epiſcopalis præter Nitrienſem in Moravia, vivo Methodio, extitit. Immo ſicut nullum vetus documentum legitimum de *Welebradenſi*, *Boleſchovicenſi*, *Podivinenſi* epiſcopatibus exſtat (nimium certe vicini hi epiſcopatus, & conſtipati contra morem illius ævi fuiſſent) ita nihil aliud

certius, quam Methodii *Episcopi regionarii* apostolicas peregrinationes tot episcopatus nominandi occasionem posteriori tempore dedisse. 3) Bonaventura Pitter Rayhradensis in Moravia Prælatus, antiquitatis peritia & scriptis suis clarissimus, expertis rationum momentis, fidenter adserit: *De Welehrado nostri fabulam canere videntur; sedem Regiam, & Archiepiscopi ibidem fuisse. s)* Regionarius enim Archiepiscopus Moraviæ appellandus est Methodius, uti Bonifacius Germanorum Apostolus, Episcopus simul & Archiepiscopus erat *regionarius* ante, quam sedi Moguntinæ præficeretur. " Quibusdam Episcopis, ait Serrarius, t) incerta sedes, nullusque certus ac fixus locus est. Hoc genus " Episcoporum in illis plerumque gentibus ac " provinciis reperitur, quæ ad fidem Christi " adgregari primo inceperunt. Cum enim " ii, qui evangelium iis annuntiant, huc illuc procurrere debeant, neque congregatum " adhuc ovile in una quapiam aut ditione, aut " urbe obtineant: episcopalem quidem presby" terorum ordinandorum, vel archiepiscopa" lem etiam creandorum Episcoporum potesta" tem ab Apostolico accipiunt; sed incertis in-

s) Apud Dobner Annal. P. III. p. 93.

t) In Vita S. Bonifacii nota 25.

" terea vagantur ſedibus, præciſe ac ſimplici-
" ter Epiſcopi generatim ejus regionis, in
" qua laborant, vel Archiepiſcopi appellan-
" tur. „ Hæc ſcriptor eruditus. Nos vero in hiſtoria eccleſiaſtica pag. 56. diximus, cuinam errori Epiſcopatus Welehradenſis in Moravia originem debeat ſuam.

Ad pag. 64. *Si Princeps Lucenſis vulgo Curimenſis ſec.* 10. *appellatus a Luca, quod nomen eſt Præmonſtratenſium monaſterii* 300. *annis poſterius fundati, regionem a fluvio Taja in Moravia Kurimium usque in Bohemia dominatu ſuo tenuiſſet: certe ab alio etiam, quam ſcriptore Legendæ de S. Wenceslao, fuiſſet commemoratus. Qua auctoritate dicitur, regionem illam Drslai aut Radislai olim* Licz'ko ſeu Lucz'ko *dictam fuiſſe? Vulgaris opinio eſt, nomen* Luca *monaſterio eſſe inditum a multis pratis hujus regionis.* —

Rem geſtam, expreſſo Radislai ſeu Drslai *Licenſis* Principis nomine, narrant etiam Dalemilus c. 28. Hajecus ad an. 925. Dubravius Hiſt. Boh. L. V. Peſſina Phoſph. Rad. III. p. 141. — Deinde provinciam Znoymenſem jam antiquitus, adeoque pluribus ante Præmonſtra-

tenſes Lucæ fundatos ſeculis, appellatam eſſe *Slicenſem, Licenſem, ac Lucenſem* (*Slicz'ko, Licz'ko Lucz'ko*) teſtimonio eſt Anonymus apud Menkenium, *u*) qui ait: Neklanum Ducem Pragenſem tertio natu filio ſuo Mſtibogio provinciam *Slicenſem*, quae *Snimenſis* dicitur, deputaſſe. Hajecus ad an. 871. ſcribit: Neklanum cogitaſſe filio tradere provinciam Curimenſem; & ad an. 853. teſtatur, *Curim* appellatum eſſe etiam *Zlicz'ko*. Unde Slicenſem provinciam alii Curimenſem, alii Znoymenſem interpretantur: his poſterioribus habendam potius fidem, demonſtrat Dobnerus. *x*) — Denique nomen *Luca*, unde regio *Lucenſis* nominata eſt, antiquius eſſe monaſterio Lucenſi, evincunt duo diplomata: alterum Ottonis quondam Marchionis Moraviæ an. 1190; alterum Henrici Boh. Ducis & Epiſcopi Pragenſis an. 1195. datum. In priore monaſterium in *Luca* fundari dicitur; in poſteriore eidem monaſterio *villa Luca*, h. e. *pagus* aut *vicus Luca* dono datur, *y*) Atque ita hodie notus eſt *vicus Luca* ex altero hoc diplo-

u) Tom. III. p. 1628.
x) Annalium Hajec. P. III. p. 125.

y) Ap. Dobner mon. ined. T. IV. p. 251. ſeq.

plomate: licet reipſa non exiſtat. — Quodſi paucula hæc non ſatisfaciunt; evolvantur ſat copioſa, eaque dilucida, in Dobneri Annalibus argumenta. z)

Ad pag. 66. *Quantilla ratio! ex ſolo recentiorum annalium Ruſſicorum ſilentio negare omnem Olgi hiſtoriam, atque ad fabulas ablegare. Adeone parvi ambitus eſt tota Ruſſia, ut plures Principes, eorumque ſtirpes fuiſſe nequeant, de quibus annales Ruſſici non meminerint? an referre debent annales iſti ea omnia, quæ excitus Princeps octo ante ſecula geſſit in Moravia disjunctiſſima? Nimium poſtulatum, dura concluſio.* —

Non ſolo argumento, ut vocat, negativo Olgum e Moravia excludimus; ſed quia putatitia illius geſta repugnant probæ ac legitimæ ſeculi X. hiſtoriæ. Nam, prætermiſſis aliis, Peſſina *a*) Olgo huic regimen Moraviæ aſſignat ab an. 939 — 949. quo tempore nec patere illi Moravia, nec quidquam negotii cum

 Hun-

z) Annal. P. II. p. 262. & P. III. p. 125. 525. ſeq.

a) Mart. Mor. pag. 230.

Hungaris esse potuit. Etenim quamvis Boleslaus I. Bohem. & Moraviæ Dux cum Ottone I. Imp. ab anno 937. bellum gesserit; copiis tamen Imperatoris semel & iterum cæsis, ab anno 939. otio fruebatur, & an. 946. inducias fecit cum Ottone, quæ durarunt quadriennio, dum an. 950. composita pax fuit. Hungari vero an. 940. ex Gallia seu Italia reduces, cæsi sunt in Saxonia; sequentibus annis in Carinthia, Austria, ad mare Adriaticum, adeo ut non Moraviam modo, sed Austriam quoque deseruerint. Deinceps hic terrarum tanta pax & tranquillitas fuit, ut an. 946. in Moravia postliminio reduceretur Episcopatus, quem tenuit *Silvester primus Olomucensis Episcopus*. Itaque nihil penitus negotii Olgo cum Hungaris esse potuit. Legantur, quæso, annales Dobneri ab anno 936 — 950. commentitius exulabit Olgus ex Moravia.

Ad pag. 68. quærit animadversor, *ubinam urbs olim celebris Russinia seu Rusyicium, quam Ditmarus novit, sita fuerit, quove devenerit?* Tum addit: *Hæc & similia loca erant illustranda notis, & facile omitti poterant alia quædam nota, ut pag.* 51. 52. 53. 61. 64. 66. 92. 93. 97. —

Mo-

Moraviæ hiſtoriam, non Topographiam ſcribere impoſitum nobis fuit: iccirco notis potiſſimum hiſtoricis dubia quæque illuſtrare adnitimur. — Urbs illa olim celebris *Buſine*, *Buſſine*, *Buſſvic* varie apud Ditmarum & Annaliſtam Saxonem ſcribitur. *Ruſſine* ſeu *Ruſſvicium* in hiſtoria noſtra error eſt typi, erratis ceteris accenſendus. Quæſtio ſolum eſt: ſitne Buſſine urbs potius *Budiſſinum* in Luſatia; an vero *Buſſine* urbs ſita fuerit in Moravia, qua Auſtrum ſpectat? ſecuti Dobnerum, *b*) poſterius hoc adſtruimus, non levibus ducti rationibus. Prius vero ſciendum: Henricum II. Imp. an. 1015. cum Boleslao Chabry Polono geſſiſſe bellum; a partibus autem illius ſtetiſſe: Bernardum Saxoniæ Ducem, Udalricum Ducem Bohemiæ, & Henricum Auſtriæ Marchionem cum Bavaris. Theatrum belli aperuit Imperator ad Oderam & Groſſnam Poloniæ ſeu Sileſiæ; Bernardus Saxoniæ Dux adverſus Polonos veniſſe dicitur ab Aquilone; Henricus Marchio Auſtriæ cum Bavaris, Polonos prædam agentes *juxta* ſe, ſeu in limitibus Auſtriæ invaſit: de-

nique Udalricus ex Bohemia urbem magnam Bussine seu Bussvicium succendit in Moravia tunc Polonorum potestati subdita. Aliud ex Ditmaro non constat. Hæc tamen argumenta sententiæ nostræ favent: 1) Ditmarus scribit: Udalricum & Bavaros ad Cæsarem venire debuisse; *ob multas autem causarum qualitates* non venisse. Iudicavit nempe Udalricus, unitis potius viribus cum Henrico Austriæ & Bavaris inferendum esse bellum Boleslao Polono, qui Moraviam adhuc tenebat. 2) Idem Ditmarus ait, Imperatorem, victis primo prælio Polonis, nihil scivisse de molimine Udalrici, ejusque fœderatorum. Si vero Udalricus non Bussvicium Moraviæ, sed Budissinum Lusatiæ incendisset; Imperator ad Oderam seu Grossnam scire id facile potuisset. 3) Altero prælio cum Polonis, victus est Imperator: cur igitur Udalricus, si ad Budissinum Lusatiæ tum extitit, vicinum ad Grossnam Imperatorem non juvit, sed Miczkonem, Boleslai filium, insuper longe lateque per Daleminciam, seu Misniam grassari permisit? 4) demum Ditmarus urbes has distinguit. Nam urbem Lusatiæ semper appellat *Budissin* seu *Budissinam*; alteram autem, de qua est quæstio, *Bussine*, & Annalista Saxo

Dit-

Ditmari exſcriptor *Buſive* aut *Buſvie*, nominat. Adhæc Budiſſinum manſiſſe ſalvum vel inde patet, quod triennio poſt ibi concluſa pax fuerit.

Ad pag. 112. interrogat, *Quodnam Iaromieritzium ex duobus, in Moravia ſitis, eccleſiæ Pragenſi olim ſpectaverit*? Deinde: *an duo caſtra in ampla olim civitate Koſtel ſeu Podivin fuerint, quum nulla eorum cernantur rudera*? —

Eccleſiæ Pragenſi olim ſpectabat *Iaromieritzium* prope Gevitzium in circulo Olomucenſi ſitum, idque 30. millibus æſtimatum, vindicatumque ab rebelli Sigismundo Georgio Zaſtrzizl, poſt rebellionem rurſus eccleſiæ illi obtigit. Alterum *Iaromieritzium* in circulo Znoymenſi, quod erat rebellium Rechenberg Wenceslai & Georgii fratrum, 50. millibus æſtimatum, Gerardo Kaunitz a Queſtenberg venditum eſt. c) — Ex vitioſa Coſmæ lectione ſcripſimus: *Caſtrum ad Sekirkoſtel*, pro *curtem ad Sekirkoſtel*, quod fuit unum ex prædiis, quorum

c) Vid. Confiſcationis Protocollum.

rum causa Iaromirus Pragensis, & Joannes Olomucensis Episcopi litigabant. Alteri praedio nomen erat: *Castrum S. Wenceslai*, seu quod idem videtur esse, *castrum Podivin cum villa Slavnica.* Duo igitur in Moravia erant praedia litigiosa, sed unum castrum.

Ad pag. 113. ex Wladislai Boh. Regis diplomate (apud Bonaventuram Pitter in Thesauro abscond. p. 191.) ostendit, *Benedictinos Gradicii ad Olomucium perstitisse ad annum usque* 1160. *proinde Praemonstratenses an.* 1151. *illuc non esse inductos.* —

Ante, quam Dobneri Annalium Pars VI. prodiisset in lucem, combinavimus annales Praemonstratenses Caroli Ludovici Hugonis Abbatis Stivagii cum Chronographo Siloënsi. *a*)
" Henrici Zdik, ait Siloënsis, auxilio & con-
" silio - - fundata est Strahoviensis ecclesia,
" nec non & Litomisliensis; insuper *Hradissen-*
" *sis in Ollomuc restaurata per Ordinem nostrum,*
" scilicet Praemonstratensem. " Quae verba &
Do-

a) Ap. Dobner mon. ined. T. I. p. 106.

Doctiss. Pubitschkam, salvo Wladislaino diplomate, in eandem induxerunt sententiam, manerentque obscura hodie, nisi Dobnerus Annal. P. VI. p. 330. sqq. eadem explicuisset. Quare ut Benedictinos ad an. 1160. Gradicii coluisse: ita Præmonstratenses non nisi anno sequente in eorum locum suffectos esse, nostra quoque est sententia.

Ad pag. 130. *Locum prælii inter Prz'emislaum Friderici Bohem. Ducis fratrem & Conradum Moraviæ I. Marchionem, non Ludonicium, seu Lodenicium, seu Ludomir, vocat Pessina & alii.* —

Coævus Siloënsis, unde prælium hoc exscripsimus, hodie aperte habet: *Ludonitz.* Primitus tamen ab eo scriptum putamus *Ludomir,* uti Pessina vocat: quia prælii locum Canitzio *plusquam magnum milliare* distare dicit: quæ distantia Ludonitzio sat vicino pago non convenit. — Verum in nulla tabula geographica Moraviæ, ne maxima quidem Mülleriana, Ludomirium circa Canitzium reperitur: censemus ergo hodiernum *Lidmierizium* (germ. Limmeritz) hic intelligendum.

Ad

Ad pag. 145. *Franciscus Antonius Comes a Rottal non fuit nepos Joannis Comitis a Rottal; quia hic Joannes sine masculo herede mortuus, illius erat propatruus.* —

Ex Manuscripto ecclesiæ Hosteinensis constat, Joannem Sigismundum Comitem a Rottal filio suo bonorum heredi Francisco Antonio ante obitum suum mandasse, ut in monte Hostein ecclesiam in honorem B. V. Mariæ funditus ædificaret: qui iccirco fundamenta ecclesiæ hujus anno 1721. jecit, eamque anno 1748 exædificavit; hanc autem eodem an. die 28. Julii Celsissimus Princeps Cardinalis a Troyer Episc. Olom. solenni ritu consecravit sub patrocinio B. V. Mariæ in cœlos Assumtæ. Porro Joannes Sigismundus erat filius Joannis Christophori Comitis a Rottal, qui an. 1658. circa veterem Hosteinensem ecclesiam duo sacella, & unum supra fontem exstruxit. Ita enim, quantum ad propositum attinet, ex universali Lexico Zedleri habet genealogia Comitum a Rottal familiæ antiquissimæ, in Stiria seculo decimo, in Austria jam sec. XV. percelebris: *Joannes Christophorus Comes a Rottal* ex prima conjuge Maria Isabella genuit Jo-

an-

annem Sigismundum & Joannem Josephum; ex altera vero conjuge Maria Susanna Leopoldum Ferdinandum Antonium; mortuus anno 1699: — *Joannes Sigismundus Comes a Rottal* Dominus in Holleschov & Bistrzitz genuit ex Maximiliana Principe Lichtensteiniana: Franciscum Willhelmum & Franciscum Antonium, mortuus an. 1717, — *Franciscus Antonius Comes a Rottal*, Dominus in Holleschov, Bistrzitz, Napagedl & Zborovitz (*utique nepos Joannis Christophori*) an. 1718. Cæciliam Comitem Trautmannsdorfianam sibi matrimonio junxit, atque ecclesiam Hosteinensem postea ædificavit. *e*)

Ad pag. 162. seq. *ex situ castrorum Ottocari Boh. Regis & Brunonis Olom. Episcopi: illius ad Laam, istius ad Pohrlitzium*: demonstrat, *Stephanum cum Hungaris non Moravam, sed Tajam fluvium trajecisse, ac prælium inter Grusbachium, Dürnholtzium & Muschaviam commissum esse.* —

Stephanus Belæ Regis filius & Moravam & Tajam transjecit. Castra nimirum utriusque Re-

e) Vid Zedleri Lexicon T. XXXII. vocab. Rottal.

Regis divisit Moravæ flumen, ut narrat etiam Doctiss. Pelzel Hist. Boh. tertiæ edit. p. 130. Quum vero Stephanus inducias per scelus violavit, Brunonis castra adoriturus, *vado transit Tajam cum Hungaris &c.* Unde minus verosimiliter scribit Dubravius, ad Tajam fluvium de induciis esse actum, easque decem dierum datas. Hæc enim tum epistolæ Ottocari Regis ad Alexandrum IV. Papam datæ *f)* repugnant; tum in subito utriusque exercitus motu fieri haud potuere.

Ad pag. 203. scíscitatur, *ubinam sita fuerint bona Cz'ernilow & Iasseny in Moravia? Item ubi castrum Hluboky, de quo pag.* 215. —

Quod ad primum attinet: in diplomatis Mansionariorum situs eorum non aliter explicatur, nisi Praga adeo remotus, ut, quum propter distantiam Mansionariis minus essent fructuosa, Carolus IV. Imp. an. 1358. cum aliis villis seu pagis bohemicis ea commutaverit. Porro *Cz'ernilow & Iasseny* numerabantur olim in bo-

f) Apud Pulkavam p. 228. Dobneri ined. mon. T. III.

bonis Hinconis de Náchod, a quo idem Carolus Imp, qua Marchio Moraviæ certo pecuniæ pretio illa comparavit. *g*) — Ad alterum: Sex pagos reperimus nomine *Hluboky* appellatos, eosque omnes in circulo Brunensi. Nimirum in Cz'ernohorensi, Drnovicensi, Kustadiensi, Lomnicensi, Namiesftiensi, & Rayhradensi dominiis; *castrum Hluboky* nusquam nisi in diplomatis. *h*)

Ad pag. 223. dubitat, *utrum sententia vera sit*, Iodocum & Iost *nihil aliud, nisi truncata & mutila nomina esse Josephus & Joseph.* —

Josephum eundem esse, quem *Iodocum*, liquido constat ex continuatoribus Pulkavæ *i*) ubi pag. 140. dicitur: Post mortem reliquit Carolus IV. quinque filios: Wenceslaum — Joannem — Sigismundum — Josephum h. e. Iodocum, & Procopium; qui duo postremi (*erant Caroli IV. nepotes, utpote fratris illius Joannis Moraviæ Marchionis filii*) Marchionatum Mo-

g) Vid. Dobneri mon. ined. T. III. p. 344.

h) Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. V. & Pelzel in vita Car. IV. dipl. n. 63.

i) Ap. Dobner mon. ined. T. IV.

Moraviæ obtinuerunt. Et p. 142. Rex Wenceslaus captus fuit — procurante id Rege Hungariæ Sigismundo, & *Josepho* h. e. Iodoco Moraviæ Marchione. Quid multa? idem Iodocus Marchio in diplomatibus vernaculis se *Jost* scribit, & *S. Judoci* nomen auspicio in Matyrologio Romano comparet.

Atque hæc officiose respondenda Viro erudito censuimus: quem nostris responsionibus ita benevolum fore confidimus; uti reliquiarum ejus illustrationum, quas probamus, nomine illi nos esse obstrictos, profitemur. Nec eapropter erubescimus, modo commodum ferat Moraviæ Historia, cui pro viribus illustrandæ nos dedidimus.

Itaque ad pag. 109. recte observat, Rayhradii ante Bonaventuram Pitter alios quoque Abbates infula decoratos, & Prælatorum Moraviæ honore insignes fuisse: id enim antiquiores indicant catalogi, serius nobis cogniti.

Ad pag. 152. veterum arcium *Madeberge* & *Rosensteina* situm ita explicat: Arces istæ

(Ro-

(Rosensteina in diplomatis seculi XIII & XIV. *Wasensteina* nominatur) sitæ sunt in articulis altiorum montium Nicolsburgensium, una duntaxat hora distantes ab invicem. Prior deserta prorsus est, bello tamen Suecico binam obsidionem, expugnationemque tulit; posterior in ruinis pridem sepulta jacet, paucis solum partibus murorum exstantibus.

Ad pag. 169. Ottocari & Rudolphi prælium non procul a flumine *Taja* accidisse, ex situ loci ostendit; proinde cit. pag. lin. 8. scribendum erat: Arena, in quam exercitus descenderat, delecta non procul a flumine Taja, & oppido Laa fuit &c.

Ad pag. 181. seq. *Cz'ornsteinam & Bitoviam* montanas arces, quo nomine olim notæ erant, non vero *civitates* appellandas esse; Bitoviam præterea germanis hodie *Böttau* dici, adnotat.

Ad pag. 239. animadvertit, *Hinekum a Koldstein* & *Henricum Dürnteüfel* unam eandem, prout nos scripsimus, personam esse; sed prius nomen verum, alterum pro ludibrio ab Au-

 stri-

ſtriaçis adjectum haberi. *Koldſteinii*, non autem *Goldſteinii*, uti in notam irrepſit noſtram, ſunt ramus antiquiſſimæ Domus Waldſteinianæ & Wartenbergicæ.

Denique ad p. 245. ejusmodi topographicam facit adnotationem: Clauſtrum *Lub* ſeu Komarow olim ſtetit prope Brunam in angulo, ubi Schvartza & Zwitta confluunt, & hodie pagus *Cumrovitz*, patria lingua *Komarow* viſitur. *Mierzin*, germanis *Wolein*, circuli Iglavienſis oppidum eſt non procul magno Mezeritio, ſervatque adhuc veſtigia clauſtri ibidem olim ſiti, quod Trebitſchenſi Abbati ſuberat. — Adnotationes iſtas cum nonnullis propriis, pollicemur uſui futuras in germanica Hiſtoriæ noſtræ verſione, quæ paratur, cum annutu Cenſorum typis edenda, ſimul ac tertia pars Hiſtoriæ latinæ in lucem prodierit.

Unum jam ſupereſt, ut illis etiam conemur facere ſatis, qui *nihil dubitanter* in hiſtoria patria relatum cupiunt, ſed certa ac definita omnia deſiderant. Nondum vero ea ſors Moraviæ obtigit, neque ea lux affulſit hiſtoriæ noſtræ, ut ſine ulla *dubitantis*, quod ajunt, *particula* res

an-

antiquitus geſtas enarrare ſemper liceat. — Exemplo ſit urbs quondam præcipua Moraviæ *Welehradium*, quam olim a Slavo-Moravis exſtructam, Hiſtoriæ noſtræ P. I. p. 33. affirmate diximus. Verum quis decretoria definiat ſententia: *An ſedes Regia ibidem fuerit?* Variantes inſignium hiſtoricorum opiniones ita diſtrahunt animum, ut, cui adhæreas parti, haut facile diſcernas.

Bohuslaus Balbinus d) fatetur, controverſum eſſe: Quodnam Welehradum, an Ungaricum illud ſuper Danubium? an vero Moravicum ad civitatem Hradisſtium? *Suatopluci Regia* fuerit. Deinde poſterius hoc probare nititur: 1) Firmiſſima, & ab omni retro vetuſtate quaſi per manus tradita apud Welehradenſes Religioſos memoria, qui apud ſe urbem maximam ſtetiſſe, Moravosque Reges habitaſſe, adſerunt. 2) Auctoritate Pulkavæ idipſum affirmantis, quod nomen Welehrad hodieque ſuperſtes, item B. Virginis & S. Petri primum apud Moravos templum a Suatopluco conditum in-

d) Epitome L. I. cap. 2.

indicant 3) Litteris Prz'emislai Ottocari Boh. Regis, qui dum Hradisstium urbem fundaret, id se facere ait, *veneratione antiquorum Regum, qui eo loci regnassent.* — Contra *Dobnerus* " *respondet*: *l*) Balbinus a traditione aliqua " recte provocat ad Pulkavam, qui primus " omnium seculo XIV. Welehradii hujus me- " minit. Prz'emislai Ottocari diploma Hradis- " stio datum, minime patrocinio est Welehra- " do, cujus in eo nulla prorsus mentio. Veri- " us autem Prz'emislaus se revocavit ad vene- " rationem antiquorum regum, seu potius du- " cum, qui in *Hradisst* habitasse crediti sunt. Nam " antiquis documentis testatum est, eam regi- " onem ad hodiernum *Hradisst* olim *Gradicz*, i- " tem *Gracz* fuisse appellatam, ut conjectura " aliqua capi possit, eam nomen a castro hoc " accepisse." Et pag. 93. adfert opinionem Bonaventuræ Pitter Rayhradensis in Moravia Prælati, qui exquisita rerum patriarum cognitione & monumentorum copia instructissimus, de Regia Welehradii sede dubitavit propterea: quod, siquid ejusmodi fuisset, *non tacuisset Wle-* *di-*

l) Annal. P. III. p. 68.

dislaus Marchio Fundator, & confirmator Przemislaus ad initium seculi XIII. monasterium Welebradense erigentes. Tacent etiam nomen Welehradii uterque anonymus vitæ SS. Cyrilli & Methodii scriptor, *m*) alter coævus, alter ætate posterior; sed solum narrant, hos Apostolos *in terram Slavorum*, aut *Moraviæ* vel *Pannoniæ* venisse. — Hæc igitur momenta repugnant sedi Regiæ Welehradii.

Neque dirimit controversiam *Chronicon Veteris & Novi Welebrad* manuscriptum, e quo excerpta Strzedovskiana in nostris sunt manibus. Auctor enim illius Christianus Hirschmentzel, Ord. Cisterciensis olim Welehradensis monasterii scriptor, præter traditionem popularem, non alia pro *sede Regia Welebradii* profert monimenta, nisi quæ & Strzedovskius in Sacra Moraviæ Historia retulit, nimirum: valla, fossas, subterraneos meatus, lapidum congeriem, vestigia murorum sub cespite latentium, castri Hradek indicia, monetam civitatis Welogrodensis, vallum antiquæ civitatis, cives

m) Apud Bollandianos ad 9. Martii.

Welegradenses, nomen superstes Welehrad &c. — Sed monimentis his omnibus probatur quidem *urbem Welehrad ibidem olim extitisse*, *non vero Regum Moravorum Regiam fuisse*. Certe nummum cum inscriptione *Wellegrad. Rex.* aliosque à Strzedovskio prolatos, non Moravorum, sed Germanorum esse, Adauctus Voigt monetariis demonstrat argumentis *n*) Primum etiam templum Welehradii, idque metropoliticum, ex traditione ipsa inprimis anceps incertumque est. Hirschmentzel illud S. Joanni Baptistae sacrum fuisse contendit; contra Balbinus primum apud Moravos templum B. Virginis & S. Petri, a Suatopluco Rege conditum, autumat.

In hac opinionum varietate, quamcunque partem benevolus lector ut eligat, omnino liberum sit atque integrum. Nostro tamen tenui judicio, nomen *Welegrad* h. e. *magna domus*, *arx*, sive *castrum*, innuit manifeste, aliud quoque extitisse minus castrum, *Gradicz*, *Gracz*, aut *Ibradisst*. Nequaquam autem illud *Hradek* su-

pra-

---

n) Beschreibung der Böhm. Münz. V. Stück. 79.

pra monasterium Welehradense, quædam castri vestigia præferens, intelligi potest. Prz'emislaus enim Ottocarus Boh. Rex, & Moraviæ Marchio VI. non illi *Hradek*, sed ei loco Regum Moravorum Regiam assignat, ubi an. 1258. novam urbem *Hradisstium* fundavit, atque a Kunovicensibus simul & Welehradensibus incolis habitari jussit: id quod se facere *veneratione antiquorum Regum, qui eo loci regnassent*, fatetur. Ubi igitur hodiernum Hradisstium civitas regia visitur, ibi etiam antiquum *Gradicz*, *Gracz*, aut *Hradisst* stetisse, ipsamque Suatopluci regiam præfulsisse, minime repugnat. Ab hac Regia seu castro *Gracz* vicinam regionem appellatam esse *Græczensem*, sive ut in mappa geographica P. II. annal. Dobner exhibet, *Greczeno*, vero est simile propterea, quod & alia loca particularia inde nomen traherent. Profert Pulkava ipse *o*) silvam *Greczen* prope Welehradium, quæ neutiquam a magno castro seu Welehrado, sed a minore castro, Regum videlicet Moraviæ Regia, sortita nomen est. — Huic opinioni, seu conjecturæ, locum siquis

o) Ap. Dobner mon. ined. T. III. p. 88. — Nos de eadem silva meminimus Hist. P. I. pag. 57.

quis dederit, facile conciliabit Scriptores patrios, qui regiam ſedem Welehradii paſſim deſignunt. Quum enim regiæ civitatis Hradiſſtii ſuburbium hodieque *antiqua urbs* vocetur, quæ ipſa, ut vult Strzedovskius, *antiqua urbs Welebradenſis* eſt: Reges Moraviæ, qui ſuam ibi regiam collocarunt, Welehradii reſediſſe, non immerito dici poſſunt.

Sunt etiam, qui *Devinam* ſeu *Devinam* civitatem & caſtrum, regiam olim ſedem Principibus Moraviæ aſſignarunt. Sed adhuc ſub judice lis eſt, uter hodie locus *Devinæ* nomine veniat: an *Teben*, *Deben*, *Dewin* ad oſtia Moravæ e regione Haimburgi, vel *Podivinum* ad Tajam ſitum. Deinde quodcunque horum intelligatur, ſedi Regiæ nequaquam convenit. Namque ut Podivinum caſtrum in finibus Moraviæ olim contra Hunnos: ita caſtrum *Teben* aut *Teba*, finibus Moraviæ Carolo M. Francorum Rege prolatis, adverſus Francos exſtructum a Moravis videtur. Neque Reges, quibus regionum interiora multo plus ſecuritatis adferunt, in extremis ditionum ſuarum finibus

ha-

habitare consueverunt. *p*) — Sed præfandi modus esto; stilum ponimus. Desiderio amicorum, qui lucubrationibus favent nostris, ut velificemur, duas ob oculos ponimus *Tabulas genealogicas*: alteram stirpis Prz'emislao-Brzetislainæ, quæ numerosam Moraviæ Ducum seu Principum seriem complectitur; alteram perantiquæ *Kravarcorum* familiæ, quantum perspicuitas periodi V. postulat. *q*) Postremo ad calcem & hujus, & prioris partis *Indicem rerum* exhibemus.

---

p) Vid. Iordanus Orig. Slavic. n. 989. — Dobner annal. P. III. p. 64. Et Kritische Abhandlung v. d. Gr. Altmähr. c. 11. p. 30.

q) Vid. Joh. Sinapius Schlesische Curiositäten II. Th. p. 361 — Pessina Mart. Mor. p. 412. — Str'zedovsky Memorab. Mor. §. II. p. 592.

A morte autem *Wenceslai* Regis, effracti: repagulis, effrenata eorum licentia liberr Bohemia se effudit; urbibus, oppidis, m riis exitiosa. Regni & Marchionatus *Sigismundus* Rom. & Hungariæ Rex, 1 implicitus bello, aberat longius, nec nil

---

pro signo passim gerunt, inquit Dobner l. c. in not. litt. *b.*

*) Jacob. Benign Bossuet hist. Variationum L. XI p. 107—110. Et ex eo Ægidius Sextetter. Beiträge zur Böhm. und Mähr. Brüderhist. p. 88 — 92. Originem *Fratrum Bohemorum* ponunt ad añ. 1457. cum illi se primum a Calixtinis separarunt; vel potius ad añ. 1467. cum suos sibi duces & pastores delegerunt: id quod etiam Fratres ipsi in præfationibus Confessionum suarum añ. 1558. & 1572. hunc in modum declarant. — At Gelasius Dobner mon. ined. T. IV. p. 127. altius eorum repetit originem, scilicet a monte *Beraneck* dicto, adeoque ab ipsis Taboriensibus. Hinc ex tribus Continuatoribus Pulkavæ ultimum, qui ab año 1412—1470. res passim tamquam sibi præsentes enarrat, ex Fratrum Bohemorum cœtu fuisse, non obscuris pro-

bat indiciis. 1 quoque sententi *Rudigerus* Fratri niliter in Mora Bossuet l. c. p 1 Hæ tamen divers rum sententiæ c possunt, si dicam aliis remotiorem, miorem ab aliis tr ginem. *Fratrum* nomen, & *Ag* nomenclatura pro dentur a Tabo monte Agno, ut citat. Continuator væ l. c. p. 153. — Latuerunt v quamdiu sub *Utraquistarum*, *lixtinorum*, quoru certis legibus in l & Moravia toler donec miscente on *kyczana Pseudoar Prag.* ipsi Fratre: tefecerunt, pro sibi elegerunt n & pastores. *Vi hist. polit. ad ann.* *Et Voigt* Besch der Böhm. Münz p. 329.

bus Wissehradensi & Pragensi per *Ziz'kam* Taboritarum ducem oppugnatis, Brunam Moraviae venit, ubi in comitiis Bohemorum & Moravorum Procerum, veniam & impunitatem Pragensium legatis dedit, festaque omnium acclamatione salutatus Rex Bohemiae & Moraviae Marchio fuit. Restituta Bohemiae pax & tranquillitas haut dubie fuisset diuturnior, omni festinatione Pragam si properasset *Sigismundus*. Verum is Wratislaviam profectus, paullo severius de cive Pragensi *Krasa*, qui contumelias in Concilium Constantiense & Caesarem jecerat, sumsit supplicium. Mox pontificio legato *Ferdinando Episc. de Lucca* potestatem fecit, ut contra Bohemos *Utraquistas*, seu *Calixtinos* expeditionem cruciatam publicaret. *b*) His territi pariter, atque irritati Pragenses, ad arma concurrunt, *Ziz'kam* & Taboritas ad paria facienda invitant, arces Pragensem ac Wissegradensem obsident: quarum illam *Czenko a Wartenberg* Bohemus, hanc Moravus *Janus a Boskovitz* regio tenebant praesidio. *c*)

A. C. 14 15. *Decem.*

Sigismun. Rex Boh. Mor. Ma. XV.

II. Caesar *Sigismundus* cognita Bohemorum seditione, armata vi eosdem sibi subjicere statuit. Magno igitur numero parat exercitum, cui *Albertus* Austriae Dux, ac Proceres Moravi auxiliares adjungunt copias. Austriacis *Albertus* ipse, *Sigismundi* gener; Moravis *Henricus de Kravarz'* Promarchio Moraviae praeerat.

A 2 Qui-

b) Æneas Silvius hist. Boh. c. 38. seqq. Et Pelzel hist. Boh. tertiae edit. p. 321 — 328. *Utraquistae* & *Calixtini* Communionem sub utraque specie sumebant.

c) Æneas Silvius l. c. — Bartholomaeus de Drahonitz vulgo Bartossek ap. Dobner mon. ined. T. I. p. 145. — Dubravius hist. Boh. L. XXVI.

A. C. 1420. 30. Junii. Quibus perinde, ac subsidiariis totius fere Germaniae instructus Caesar, Pragam obsidione cingit, montem *Witkow*, a *Ziz'ka* occupatum, omni impetu oppugnat. Magnis quidem animis Caesariani ad valla & fossas illius montis penetrarunt; quin & Misnenses duo centuriones, ac nobilis Moravorum signifer *Protiva de Pawlovitz* (alias *de Zatrz'izl*) cum commilitonibus in summa vallorum evaserunt. Sed ab hostibus praeruptam in partem coacti, pressique acrius, sive per abrupta delapsi, sive resistendo impares, perierunt. *d*) Rebus infectis, Germani ad sua rediverunt; 30. Julii. Caesar in Moraviam & Hungariam colligendi exercitus caussa discessit; Pragenses summis viribus arcem Wissehradensem oppugnarunt; repulsi vero saepius, circumsederunt arctissime. Amplius sex hebdomadum spatio *Jani Boskovitzii* virtus obsidionem fortiter tulit, equinis licet carnibus, aliisque foedis alimentis vescendum obsessis foret. Opem 1. Novembr. laturus Caesar, paratas ex Hungaris, Austriis & Moravis adduxit copias. Sed tanta rursum profligatur strage, ut exercitu pene ad internecionem deleto, ipse cum paucis vix cladem evaserit. Cecidere tum ex Moravis XIV. primi nominis Proceres, inter quos erant: *Henricus de Kravarz' & Plumlow*, Moraviae Promarchio, caesi exercitus dux; *Henricus de Lippa & Krumlow*, *Hinko de Malenovitz*, *Jaroslaus de Sternberg* cum aliis quatuor ejusdem familiae heroibus; *Albertus de Chotienow*, *Wilhelmus Lepus de Zidiebovitz*, *Radislaus de Rizmburg*, *Tobias de Czernahora*,

---

d) Æn. Silvius l. c. cap. 42. Contin. Pulkavae p. 149. — Wellesiavinus Kalend. hist. ad 30. Junii, & 14. Julii. — Pessina Mart. Mor. p. 461. seqq. — Mons *Witkow* hodie *Ziz'kaberg* dicitur.

J L A

K R A W

. R A W A R †

e Krawar alias de P

adislaus de Krawar
piſcopus Olomucens.
† 1408.

ricus de Krawar
mlow, Morav.
pit. † 1420.

ora, *Sobin de Svabenitz*, *Witko de Walecz* &c. ·odem etiam die *Boskovitzius* caſtrum Wiſſehra-enſe Pragenſibus dedidit, omni comeatu & ope eſtitutus. *e*)

III. Infauſto rerum exitu adflictus Cæſar, *A. C. 1421.* ·ceſſit Bohemia. Hanc cædibus ac flammis ·plevit *Zizka*, qui primum cocles, dein utro-ue ad arcem Raby orbatus oculo, cæci populi ·ecus dux fuit, ac perſequendis Catholicis, ·æſertim religioſis, nullum poſuit modum. *f*) ·loravia ad eam uſque diem intacta ab hæreſi · factionibus Taboritarum erat. Atenim nunc ·idam etiam Moravi, erroribus Huſſitarum ·llecti, in mores eorum ſe formare, factaque ·mulari. Nam presbyteris apoſtatis *Bedrz'icho* · *Straz'nitz*, & *Thoma de Wiſtonitz* ducibus, ea-em inſania correpti, in fluminis Moravæ in-·la & oppido Oſtrow, non procul Weſſelio ·oſuerunt caſtra, aſſumtoque Taboritarum no-·ine, viciniam illam omnem prædationibus in-·ſtarunt. Quum dein non poſtremi nobilium: ·etrus de Kravarz* Dominus Straz'nicenſis, Ca-·itanei Moraviæ defuncti filius; *Haſsko Oſtro-·ienſis*, *Bocz'ko junior de Kunſtadt Weſſelienſis*, alii-·ue illam factioſorum hominum turbam conſi-·is & armis fulcirent: villas & pagos, caſtella · domos foſſa munitas (quales tum paſſim in ·loravia incolebant nobiles) facto impetu ex-·ugnarunt, ac præter ſupellectilem pretioſam ·limenta omnis generis abrepta, ad inſulam ·iam comportaverunt. Crevit in dies rapaci-

 tas

·) Æn. Silvius c. 43. — Contin. Pulkavæ l. c. p. 159. — Hagek ad h. a. — Bartoſſek l. c. p. 145. — Peſſina l. c. p. 463.

f) Æn. Silvius, Dubravius &c. Bohemi ſcriptores.

tas & raptorum multitudo: hinc audaciores ad facinus quodlibet, Gajam urbem frequentem & copiosam, sepibus præaltis tum probe communitam, invadunt. Sed propugnatorum virtutem perfringere quum non possent, flexo dextrorsum itinere, cœnobio Wellehradensi se se applicant, ac nullis cinctum mœnibus parvo negotio capiunt, prædantur. Neque contenti magna rerum omnium præda, *Stephanum* Abbatem religiosissimum, & Cancellarium fratrem ejus germanum cum aliis sex cœnobitis, exstructa in medio ecclesiæ ingenti pyra, crudeliter comburunt. g) *) Quæ insolens popularium se-

30. *Aprilis.*

g) Crugerius ad 5. Martii. — Str'zedovsky Memorabilium Morav. §. 5. ex MS. Wellehradensi.

*) Addit celeber hist. Boh. scriptor, operis sui tertium editi p. 350. Presbyterum quemdam *Martinum Loquis* in Moravia natum, sub idem tempus venisse in Bohemiam, ac Taborii docendo, *nullam SS. Eucharistiæ Sacramento, cum pani & vino exhibendam esse reverentiam*, amplius quadringentos Taboritas sectatores habuisse. Qui Taborio pulsi, quum insanirent adeo, ut viri, & mulieres abjectis vestibus, nudi incederent, *Adamitæ* sunt dicti. — At quidquid sit de doctrina *Martini Loquis*, cujus patriam Hagekus hist. Boh. pag. 694. & 710. non prodit, ipsumque nomen slavicæ linguæ repugnat; certum omnino ex scriptoribus antiquis, & recentioribus, *Adamitarum Bohemorum* auctorem fuisse *Pickardum* ex Gallia oriundum, qui turpem hanc sectam primus in Bohemiam invexit. *Vid. Æn. Silvius hist. Boh. c.* 41. *Wellesl av. ad diem* 21. *Septembris.* — Demum Hagekus quidem hist. Boh. p. 710. *Martinum Loquis* ex Piccarditarum secta fuisse, & Welleslavinus l. c. errores Piccarditicos docuisse asserunt: At Jacobus Lenfant Hist. Hussit. p. 124 (*ubi ex Bilejovio Martinum Loquis Piccarditam esse ait*) & Michaël Christianus Hirsch ibid. in notis, hoc loco Piccarditas ab Adamitis distinguunt.

ferocia adeo cordi & curæ fuit permultis Procerum, ut Brunam confluentes, ad eam frangendam *Petrum de Pernstein* Moraviæ Promarchionem, & *Joannem Olomuc. Episcopum* magnopere hortarentur. Uterque suas egit partes, inprimis Præsul & bellator celeberrimus *Joannes*, qui periculi providus, jam antea feudalium ditionum armatos Cremsirii adesse jusserat. Universæ igitur copiæ ad castrum Buchlow convenerunt, ubi consilio habito, *Pernsteinius* & *Episcopus* castra insulam versus movent, factisque ratibus, eandem tribus in locis oppugnant. Verum perduelles, tum constructis in adversa ripa munitionibus, tum vicinorum nobilium copiis adjuti, primos propulsarunt impetus.

IV. Quare *Sigismundus Cæsar* sex millia equitum ex Hungaria mittit in Moraviam, præcipitque, ut Dominorum de Straz'nitz, Ostrow, & Wessely bona quam latissime populentur. Hungarorum dux *Petrus Perennius*, postquam ultioni dedisset satis, tum demum se Moravis conjunxit. Paratis vero ad redintegrandam insulæ oppugnationem omnibus, seditiosi metu perterriti, noctis interventu insula excesserunt, in proximis silvis & montibus fuga salutem petituri. Biduo post, ecce tibi! ad Bistrz'icium montis Hostein consedit *Bedrz'ichus*, ubi cum suis victu recreatus & quiete, vicinos aliquot pagos expilavit. Quo latius vulgato, excitatisque ad arma Moravis, noctu iterum occulto itinere ad Bohemiam properavit ad Taboritas, sibi genio & moribus pares. *b*) Quamquam istorum rabies defervescere vide-

b) Dubrav. hist. Boh. L. XXVI. — Pessina M. M. p. 471. seqq.

batur; ideoque rerum tranquillarum studiosi quidam nobiles ex Bohemis, comitia regni habenda cupierunt, quibus religionis & animorum concordia postliminio reduceretur. Reapse Cz'aslaviæ stato die convenerunt Bohemiæ Ordines, & invitati Moravorum legati: *Petrus de Pernstein* Moraviæ Promarchio, *Joannes de Lomnitz*, atque alii sex delecti. Post multa ultro, citroque agitata, unanimi consensu statuerunt, sic dictos *quatuor Pragenses articulos* pariter in Bohemia ac Moravia inviolate observandos, nimirum: " 1) Verbum Dei libere absque " cujusquam interpellatione a Sacerdotibus an" nuntietur. 2) Libere etiam Sacramentum " Eucharistiæ sub utraque specie omnibus Chri" sti fidelibus, gravi peccato haut obnoxiis, " administretur. 3) Sacerdotibus bonorum " externorum possessio auferatur. 4) Omnia " peccata gravia, præcipue publica, apud Cle" ricos & laicos pœna merita plectantur. " His adjecerunt Bohemi: *Ut repudiato Sigismundo, alius Rex patriæ amantior, surrogaretur.* Sed Moravorum legati etsi a primis quatuor articulis non multum abhorrerent, in abdicationem tamen *Sigismundi* se consensuros, negarunt: quod ei tamquam legitimo Regi & Marchioni, data jurejurando fide, obstricti omnino essent. *i*)

7. Julii.

V. Domum ergo reversi, quum indictis Brunæ comitiis, de Bohemorum placitis retulissent ad Moraviæ Ordines: quidam nobilium haut obscure ad ea inclinabant; plures tamen cum Ecclesiasticis & civitatum Statibus testati magno sunt animo, se se in obedientia Romanæ

i) Goldastus in Beilagen pag. 271. seqq. — Pelzel hist. Boh. p. 338. & 353.

næ Ecclesiæ & fide *Sigismundi* Marchionis sancte permansuros. *k*) Horum sententia tum vel maxime stetit, quum in aliis rursum comitiis, præsente *Sigismundo Cæsare* habitis, decretum est unanimi omnium consensu, ne ullo modo placita Bohemorum, inprimis illi *Pragenses articuli*, in Moravia reciperentur. Quicunque autem ex Moravis, spreta religione orthodoxa, ad perversas Wiclefistarum opiniones transissent, quam primum in viam ut redirent, atque Olomucium vel Brunam, Znoymam vel Oppaviam se conferrent, ibique absolvi ab hæresi peterent. Ad hæc ne ullus deinceps tam pestiferum dogma, ejusque sectatores foveret: occulti fautores deprehensi seu igne, seu exilio plecti jubebantur. Decretum istud Brunæ conditum, subscripserunt præter *Sigismundum*, ex Proceribus Moravis præcipui: *Joannes* Ep. Olomucensis, *Prz'enek*, sive *Prz'emislaus* Dux Oppaviensis, *Petrus de Pernstein* Promarchio Moraviæ; *Petrus de Kravarz'* in Straz'nitz, *Hecht de Lichtenstein*, alias de Nicolsburg; *Dulik de Kaunitz*, *Waniek de Boskovitz* in Cz'ernahora, *Bedrz'ich a Z'erotin*, *Bocz'ek de Kunstadt*, *Georgius de Sternberg* in Lukow; *Joannes de Cymburg* in Tovacz'ow; *Podiva de Zwole*; *Getrz'ich de Prussinovitz*, *Joannes de Pteni*, aliique amplius quadraginta: etsi horum nonnullis constantia defuit. *l*) Quum hæc in Moravia, Bohemi regnum *Sigismundo* abrogant, missis in Poloniam legatis, qui *Wladislao Regi* regnum Bohemiæ offerrent. Sed hos Ratiborii interceptos, *Nicolaus* Dux

17. Novemb.

k) Dubrav. l. c. — Pessina M. M. p. 743. seqq.

l) Balbin. Epit. 458. — Codex Tovac'oviensis p. 21. Pessina M. M. p. 574 ex vetustissimo MS. codice archivi metropol. Capit. Pragens.

Dux Joannis Ducis Oppavienſis filius, tradidit *Sigismando Cæſari*, quo jubente, Spilbergæ primum incluſi, mox Trencz'inium abducti in carceres; eorum vero famuli ac ſervi Brunæ truncati capite. *m*) Hinc Bohemis alios nuntios cautiori itinere ad novum Regem amandare neceſſe fuit.

VI. Interea Cæſar necdum abjecta ſpe Bohemiæ recuperandæ, Principes Imperii ita ſibi conciliavit, ut ſane quam copioſo exercitu Bohemiam ingrederentur. E qua tamen, re parum proſpere geſta, exceſſerunt, quum *Sigismundus* ipſe cum Hungaris die præſtituta non adeſſet. Scilicet colligendis in Hungaria, Auſtria & Moravia copiis paullo diutius operam dedit. *n*) Conflato autem exercitu, circa ſolemnia Dominicæ Nativitatis invaſit Bohemiam, & oppida quædam ſibi ſubjecit. Verum ſimul ac *Ziz'ka* (*tametſi cæcus*) ad Teutobrodam cum copiis in eum irruit; pavidus, trepidusque in fugam ſe dedit. Saluti in Moraviam fugientis conſulturus *Joannes de Pteny*, alias *Lbotzky*, Eques Moravus, cum ſelectiſſima equitatus manu de induſtria clauſit agmen, ut inſiſtentium hoſtium impetum, & modicis itineribus, & crebris velitationibus ſuſtineret. Donec in valle quadam ab inſana Taboritarum multitudine circumfuſus, quum ſuos voce & exemplo ad ſtrenue pugnandum hortatur, fortiter & ipſe pu-

m) Continuator Pulkavæ l. c. p. 161 — Cochlæus belli Huſſit. L. V. p. 204. & 209. — Cromerus de orig. & reb. geſtis Polon. L. XVIII. in fine & init. XIX.

n) Æneas Silvius. c. 44. — Schmid Geſchichte der Deutſchen L. IV. p. 137.

pugnans, equo dejicitur. *o*) Ita *Sigismundus* Iglaviam, dein Brunam incolumis venit. Quum vero gravibus negotiis ad Hungariam avocaretur; neque ignoraret quosdam Moravos Proceres, novarum opinionum studiosos, Hussitis velificari: Marchionatum Moraviæ commendavit tutelæ generi sui *Alberti* Austriæ Ducis, cui eundem septem mensibus post clientelari jure tradidit. *p*) Novus hic Marchio Austriacis & cæsareis instructus copiis, ante omnia Luntenburgum (oppidum in Moraviæ, Hungariæ & Austriæ finibus situm) obsidione cinxit; quod animo rebelli dogma Hussiticum recepisset. At Luntenburgensibus suppetias ivit *Ziz'ka* primum; dein commilitii ejus dux *Procopius rasus* (Protop holy) cum non parva militum manu, auxilio veniens, armata vi castra austriaca perrupit, Luntenburgum penetravit, factaque sæpius ex oppido eruptione, totum hostilem exercitum dissipavit. *q*) *) *Alberto* fugato, *Sigismundo* autem in Hungaria curis distento gravissimis: opportunitate usi nobiles duo Bohemi *Borz'ek*

A. C. 1

Albert. Austr. I Mor. M. XVI.

o) Continuator Pulkavæ l. c. p. 161. — Pessina l. c. p 478. ex MS. Anon. Hradec. Et Sigismundus Cæsar ep. ad Albertum Austriæ Ducem. — E quibus constat paucos cæsarianos captivos cum Bohemorum legatis Trencz'inii captivis commutatos esse.

p) Goldastus l. c. p. 275. — Pessina l. c. ubi addit, nunc duntaxat *dominium utile* in Moravia Alberto fuisse concessum.

q) Jacobus Lenfant Geschichte des Hussitenkriegs P. II. p. 64.

*) Animadvertit Michaël Christianus Hirsch in notis ibidem num. 2. & 3. *Theobaldum*, & *Balbinum* (*quos alii quidam secuti sunt*) oppidum ab Alberto obsessum, perperam appellare *Judenburgum*: cum in Moravia, ubi Albertus tum agebat, non *Judenburgum*, sed *Luntenburgum* (Brz'edczlava) inveniatur.

rz'ek de Dobalitz, & *Victorinus de Podiebrad* (*Georgii Podiebradii* Bohemiæ Regis parens) cum valida ſuorum manu in Moraviam provolant, initaque cum perfidis quatuor nobilibus ſocietate, tam celeriter oppida ac prædia Epiſcopi Olomucenſis populantur, ut etiam Cremſirium aggredi minime dubitarent. Confeſtim altera obſidionis die civitatem invadunt, qua portis, qua mœnibus in eam penetrare adniſi. Atenim *Joannes Herbortus de Fulſtein*, & *Mladota de Pruſſinovitz*, quibus præſidii cura fuit, tanta lapidum ac telorum vi retundunt Huſſitarum conatus, ut *Borz'ek* & *Victorinus* ſignum recèptui dare cogerentur. Poſtero die duobus ſimul locis impetu acerrimo civitas oppugnatur; ſed pari pertinacia ad crepuſculum uſque defenditur. Tandem Bohemos terruit, nuntiatus *Joannis* Epiſc. Olom. & *Alberti* Marchionis maximo cum exercitu adventus; hic poſterior quippe diſperſas iterum vires collegit, & majores ex Hungaria expectans, ad Gödingam ſubſtitit. Nocte igitur ſequente vaſis conclamatis, iter in Bohemiam ſumma feſtinatione arripuerunt. *r*)

VII. *Albertus* graves ob cauſſas in Hungariam evocatus ab ſocero, copias ſuas Epiſcopo Olomuc. commiſit, qui perduelles Huſſitarum fœderatos: *Wenceslaum de Cz'crnabora*, *Bocz'konem juniorem de Cunſtad*, *Wenceslaum juniorem de Kravarz'*, & *Bavarum de Pernſtein*, bello compeſcendos ſuſcepit. Hinc excito *Fulſteinio*, Cremſirii pro-

r) Peſſina M. M. p. 480. ſeqq. ex MMSS. Adalb. de Pernſtein, & anonymo Hradecenſ. — Lenfantius tamen l. c. p. 16. rem aliter narrat, jamque hoc anno Cremſirium eſſ captum, arcem vero expugnari non potuiſſe ſcribit. At Peſſinæ ſententia præplacet.

propugnatore fortiſſimo, primum Viſovitzii, tum in arce Brumovia *Bocz'konem* viginti amplius dierum ſpatio acerrime oppugnavit. Mendaci autem nuntio deceptus Cz'ernohorenſes & Kravaræos *Bocz'koni* auxilio venire, obſidionem ſolvit, ac tutiora petiit. Comperto dein rumore vano, ad oppugnandam Kravaræi arcem Racz'icium, cujus præſidiarii agro Viſskovienſi erant infeſti, univerſas adduxit copias. Hic proſpero Marte res geſta. Arcem enim expugnatam militibus diripiendam dedit; præſidiarii partim trucidati, partim capti. Inter hos *Nicolaus de Bucz'ow* arcis præfectus; *Cztibor de Drnovitz, Jonnnes Zub*, aliique plures, qui a religione ac fide Principis defecerant, captivi numerabantur. Victoriæ tamen hujus, palmæque decus haud parum decoxit lethale *Fulſteinii* vulnus, ex quo paucos poſt dies Wiſkoviæ occubuit, maximo omnium, præſertim Epiſcopi Olomuc. dolore. *s*) Ita hujus anni expeditio finem habuit, copiisque in hyberna dimiſſis, Epiſcopus Olomuc. cum ſelectiſſima peditum cohorte Cremſirium, ut inde *Bocz'konis*, aliorumque rebellium conatibus avertendis invigilaret curatius, conceſſit. Vere autem proximo, abſente Cæſare & Marchione, ſuſtulerunt criſtas fautores Huſſitarum, inteſtinum Moraviæ malum jam dudum machinati. Anteſignani erant præſidiarii Neocaſtri (Neuſchloß) cum Cz'ernohorenſibus, qui Brunenſem in agrum irruptione facta, pluribusque pagis ea in vicinia expilatis, flammas Rz'ecz'kovicio caſtello ſubjecerant. Majore auſu temerarios prohibuerunt Brunenſium armati, ac præcipue Olomuc. Epiſcopus *Joannes*. Hic enim ſumtis illico pro ſa-

A. C. 1423.

s) Peſſina Mart. Mor. l. c. ex MMSS. citatis.

quum cerneret, ad preces conversus, ut honoris ac virtutis memores a proposito deflecterent, orare atque obtestari. Sed frustra omnia. Itaque gliscente perfidia, commilitium cum primoribus civitatis advocat, & leges deditionis constituit, nempe: *Ut praesidio cum armis & sarcinis libere abeundi facultas daretur; civibus seu manendi in urbe, sive discedendi, prout cuique libuisset, potestas fieret.* Hostes longioris obsidionis alioquin pertaesi, oblatas conditiones acceperunt. Hinc civium alii, quos cura natalis soli, aut novum dogma tenuit, in urbe manserunt; alii religionis avitae magis, quam patriae amore capti, relictis domibus partim Olomucium, partim Brunam & Hradistium discessere; praesidiarii per media hostium agmina egressi, Olomucium se contulerunt. Ita Cremsirium Hussitis patuit, quod praesidio suo firmatum, *Victorinus* & *Borz'ek* commiserunt curae *Joannis Tovacz'ovii de Cymburg.* Reliquas vero copias ad expugnandum vicinum castellum *Quassitium* (quod *Marquardus Kuz'el* Equestris Ordinis, vir tenax catholicae religionis possidebat) eo animo transtulerunt, ut tutior statio Cremsiriensi praesidio comparari posset. At quum triduo ipso munimentum assiduis pene insultibus incassum oppugnant, certi accurrunt nuntii, in Bohemia Reginohradecium ab *Ziz'ka* esse captum. Erat urbs ista *Borz'ekonis Dobalecii*, qui iccirco adversus *Ziz'kam* properaturus, cum ducibus aliis obsidionem Quassitii solvit. *u*) *) **)

X.

u) MS. Hradec. ad h. ann. Weleslavinus ad 4. Aug. — Pelzel hist. Boh. pag. 267. seqq. ubi caussas odii Ziz'kae in Borz'ekonem legere licet.

*) Non multo post Ziz'ka Borz'ekonem cum auxiliariis Pragensium copiis ad Reginaehradecium ingenti clade profligavit.

X. Post dies paucos, quam hostes abscesserant, *Joannes Episcopus Olom.* collecto rursum mi-

lite,

vit. Quod factum esse dicit Bartossek (ap. Dobner l. c.) anno 1423. circa festum Corporis Christi: licet Hajekus ad hunc añ. & Welleslavinus l. c. idem accidisse circa festum S. Laurentii narrent. Ex quibus aliquo modo colligitur tempus *expugnati* ab Hussitis *Cremsirii*; æstas nimirum, aut ver exiens fuit.

**) Expugnato ab Hæreticis Cremsirio, exustam esse *collegiatam ecclesiam S. Mauritii*, nec Lenfant hist. Hussit. P. II. p. 16. & 75., nec Zvettlerus in Urbario suo MS. ecclesiæ collegiatæ Cremsiriensis; nec denique Pessina in Mart. Mor. aut alibi meminerunt. At minime dubitandum, quin ædes hæc S. Mauritio sacra id temporis conflagraverit, cum Taboritæ passim ecclesias exusserint. Deinde *Stanislaus Pavlovsky* Episc. Olom. in litteris novæ erectionis collegii Canonicorum Cremsirii testatur, eam ecclesiam sæpius incendii vastitatem esse expertam. Denique Canonicos plerosque, recuperato postea per *Joannem Ferreum* Ep. Cremsirio, restaurataque ecclesia reduces, cultum divinum ut ut imminutum, nihilosecius continuasse, vel inde patet, quod Zvettlerus l. c. p. 95. referat, ecclesiam collegiatam S. Mauritii, ante restitutum ibidem año 1597. Canonicorum collegium, años duntaxat amplius 120. divinis penitus caruisse officiis. Hinc epocha viduatæ Clero ecclesiæ hujus statuenda videtur año 1476, quum duo Reges *Wladislaus II.* & *Matthias* de Marchionatu certabant. Nempe tum post ultimam ecclesiæ illius conflagrationem, bonis partim furore Taboritarum jam pridem accisis, partim oppignoratis, obire divina officia Canonicis neutiquam licuit. *Vid. Breve apost. Leonis X. P. die* 13. *Martii anno* 1516. *in laconica narratione MS. Perill. Domini Rz'ikovsky Equitis a Dobrschicz: De ortu, progressu & variationibus ecclesiæ collegiatæ ad S. Mauritium Cremsirii p.* 72. — *Item Litteræ Stanislai Pavlovsky Ep. Olom. ad Capit. Olom. p.*77 *ac responsoria Capituli Olom ad Stanisl. Pavlovsky p.* 84. — *Denique Zvettlerus l. c p.* 1. & 95.

lite, ac nova trecentorum peditum cohorte, quam *Hynko de Wrbna* a Duce Oppaviensi adduxit, opportune adjutus, Cremsirium Hussitis eripere constituit. Quare admotis ad urbem copiis, caduceatores, qui obsessis deditionem suaderent, misit: *Promissa nimirum civibus immunitatis cautio, praesidiariis libera abeundi facultas.* Utrinque autem conditione deditionis obstinate rejecta, Episcopus galea & thorace indutus ferreo, suos ad impigre agendum hortatur; mox turrium pinnas, & summa murorum propugnacula tormentis dirui jubet, ne quis defensorum in tuto consisteret. Simul ac superior muri corona machinarum impetu ab una parte corruit; clamore sublato, acerrima fit impressio, pugnaturque tanta utrinque contentione, ut oppugnatores viribus debilitati, receptui canerent. Pari eventu altera quoque die certatum, quod obsessi vim omnem a moenibus propulsarent. Tandem integris octo diebus quum oppugnaretur civitas, nec submittendi auxilii spes affulgeret uspiam, cives ac praesidii praefectus ad deditionem inclinarunt. Missi deinde in castra oratores, qui de salute civium ac praesidii paciscerentur, omniumque nomine urbem dederent. Princeps legationis erat ecclesiae collegiatae S. Mauritii Decanus *Georgius a Geviczko*, vir canitie & senectute conspicuus, ipsis etiam Hussitis carus. Qui demississima oratione Episcopi iram lenire conatus, id potissimum obsecrans petiit, ne durius in cives animadverteret, quandoquidem fluctuoso tempori servivissent potius, quam ab eo voluntate nefaria descivissent. Ad quae Episcopus: *Se magis pro natura ac benignitate sua, quam pro meritis civium, qui nulla necessitate, sed rerum novarum cupidine ducti, a fide ac religione defecissent, civitatem con-*

ser-

servaturum. Tum pactio deditionis facta: *Ut præsidium armatum cum quatuor curribus onustis, quocunque vellet, civitate excederet; civium salus ac fortunæ manerent integræ, nullaque domibus eorum injuria inferretur; qui autem a religione avita desciverant, vel ad eam redirent, vel obstinati alio migrare tenerentur.* His conditionibus ultro citroque acceptis, Cremsirium in fidem ac potestatem Episcopi venit, postquam non nisi quinque septimanis una die minus, sub Hussitarum imperio fuisset. w)

XI. Hoc interim spatio *Albertus* Moraviæ Marchio rursus Luntenburgum tertio jam mense incassum obsidebat. Scilicet castrum istud munimentis & præsidio Hussitico tutum, non nisi fame subigendum sperabatur, quamvis etiam ipse *Sigismundus* Cæsar obsidionem continuaverit. Verum conjectura uterque aberravit. *Procopius* enim *rasus* cum agmine Taboritarum a *Ziz'ka* præmissus per consertos obsessores iterum ferro perrupit, & commeatum in obsessum oppidum importavit. Brevi post etiam *Ziz'ka* Cz'aslaviensi itinere in Moraviam cum universo Taboritarum exercitu ingressus est. x) Quo comperto, *Albertus* copias suas in Austriam misit, ipse *Sigismundum* in Hungariam comitatus, ubi ab eodem tamquam Cæsare & Bohemiæ Rege *Marchionatum Moraviæ* legitimo feudi jure tum primum Budæ obtinuit; ab Hungaris vero paratissimas impetravit copias, quas ad reprimendum *Ziz'kam* abduxit. *xx*) Hic

nam-

w) Dubrav. L. XXVI. fine. Et Pessina l. c. p. 489. seqq.

x) Iidem ll. cc. & Pelzel l. c. p. 368. seqq.

xx) Litteræ investit, quas Cæs. Sigismund. Alberto & Elisabethæ ejus conjugi, filiæ suæ dedit Budæ die

namque obſidionem Iglaviæ ſub primo ingreſſu cœptam ſolvere coactus a civibus; totam illam, quæ Bohemiam verſus protenditur, Moraviæ regionem partim vi, partim minis ſuæ poteſtatis fecit, Telcz'io, Slavonitzio, Gemnicio, & paucis arcibus exceptis. Evancz'itium promtius, quam ab invitis admiſſus, in ſacerdotes & oppidanos veræ fidei tenaciores, crudeliter ſævit. Krumlovii Dynaſtam *Hynkonem de Lippa*, qui ſponte ſua ad eum in caſtra venit, unam Taboritarum cohortem præſidii loco ſuſcipere, ejectisque ſacerdotibus catholicis, novo ſacrorum ritu cum oppidanis uti juſſit. *y*) In Auſtriam quoque, tempeſtate licet frigida, Stokeraviam uſque uſitato more ſuo pervenit. Sed appropinquante cum Hungaricis copiis *Alberto* Marchione, celeriter in Moraviam revertit, cujus interiora peragrare ſtatuit. Aſſumto igitur una *Procopio raſo*, in cujus locum Lunrenburgi ſuffecit *Joannem Kremieſſinium*, vatiniano in Epiſcopum Olomuc. odio Cremſirium contendit. Quacunque inceſſit, caſtella & oppida tum deditione, tum armis occupavit; atque adeo *Quaſſitium*, præterita æſtate a Bohemis fruſtra oppugnatum, armata manu cepit, igni ac ferro ad alios terrendos vaſtavit, præſidiarios cum dynaſta oppidi combuſſit. Idem fatum paullo ante ſubierat monaſterium Oslavanenſe, virginibus ordinis Ciſterc., quas deprehendit, in profluentem demerſis.

XII.

---

die lunæ poſt S. Michaëlis año 1423. Et horum litteræ pariter hoc anno Dominica poſt Michaëlis datæ, quibus fatentur ſe Moraviam in feudum a Sigism. accepiſſe. *Vid. Goldaſt* in Beilagen *pag.* 275. *ſeq.*

y) Dubrav. l. c. — Peſſina M. M. p. 491. ſeqq.

XII. Tandem admoto ad Cremsirium exercitu, castra opportunis locis *Ziz'ka* posuit. Eam quidem urbem Episcopus Olomuc. fido fortique nobilium, quos jure feudorum sibi obstrictos habet, præsidio bene firmaverat; quia tamen auctoribus certis comperit, Taboritas pagis vicinis expilandis potius, quam oppugnationi intentos, de statione sæpius decedere, castra eorum adoriri constituit. Quamobrem etsi numero, viribusque multo inferior, silenti citatoque itinere, ut famam adventus sui præveniret, Olomucio movet, exercitum in duas partes abscindit, in hostium conspectum obscuriore jam cœlo sub vesperum venit. Mox statione vigiliarum oppressa, duobus locis acerrimo impetu castra adgreditur. Taboritæ improviso tumultu territi, alii diffugere, alii arma capere, atque impetum propulsare. *Ziz'ka* ipse magnitudine periculi prope attonitus, *Procopium rasum* cum selectissima, quam sui corporis custodiæ caussa *fraternam* vocabat, cohorte adversus hostes irruentes egredi; cumque nocturnas ingruere tenebras, cæcus ex suis cognovisset, vicinos pagos injecto igne succendi jussit. Episcopus inter promtissimos rem strenue agens, summis contendit viribus, ut hostes perterritos ac confusos urgeret gravius; *Procopius*, quidquid ad subitam vim reprimendam fieri potuit, nihil omisit. Succensis pagis proximis, accensi utrinque ad certamen animi prælio dimicarunt acerrimo, ac pluribus Taboritarum cæsis, *Procopius* nutantem suorum aciem restituere volens, haut leve in facie vulnus accepit. Sed tanto insanivit atrocius, jamque omnis periculi & doloris oblitus, in medios ruebat hostes: dum *Ziz'ka* majorem suorum cladem veritus, militem pariter ac ducem, signo dato, revocavit. Epi-

 scopus

ſcopus hac victoria contentus, tertiam circiter vigiliam, ſublatis ſignis, Olomucium conceſſit; *Ziz'ka* vero ægerrime ferens improviſam ſuorum cladem, dixiſſe fertur: *non tam lenem ſibi in Moravia, ut in Bohemia, ſpirare auram*. Hinc Moraviam *Procopio raſo* commendavit; atque inſcenſo curru temonem Bohemiam verſus converti juſſit. In itinere tamen, quoquo locorum venit, immani quadam truculentia ſæviit, ac ditiones Epiſcopi Olomuc., præſertim Müglicium, & Mirovienſem tractum, cædibus, rapinis, incendiis longe lateque vaſtavit. z)

XIII. *Procopius raſus* victricia Epiſcopi Olom. arma pertimeſcens, reliquias copiarum deduxit Luntenburgum, cujus præfectus *Kromieſſinius* paullo ante, dum excurſionem faceret per Auſtriam, Auſtriacis ab inſidiis pene oppreſſus eſt. At neque hic propitia Taboritis fortuna fuit. Dux enim & Marchio *Albertus* primo ſtatim vere, duabus machinis muralibus, validoque exercitu inſtructus, præſidiarios Luntenburgenſes ad deditionem compulit, pactione prius inita, ut omnes, quo vellent, cum ſarcinis ſuis libere commigrarent. Hi quidem Krumlovium, mox in Bohemiam abierunt; quod *Albertus* ad illud caſtrum oppugnandum contenderet. Obſidionalis autem apparatus Krumlovii Dominum *Hynkonem de Lippa* adeo terruit, ut *Alberto* ſe ſuaque offerret, ejectisque Taboritis, Marchioni fidem jurejurando promitteret. Similiter Evancz'itzio recepto, cetera minora caſtella & oppida, ſcilicet: Geviſſovicium, Kaunitzium, Krhova, Walecz'ium & alia, in Mar-

A. C. 1424.

z) Hajek ad añ. 1423. — Dubrav. l. c. — Peſſina l. c pag. 497. ſeqq. — Pelzel l. c. p. 369.

Marchionis poteſtatnm redierunt. *a*) Pari felicitate in ſubigendis rebellibus utebatur *Joannes* Epiſc. Olom. ſimul ab Oppavienſi Duce, ſimul a *Gregorio de Sternberg*, ejusque patruele *Alberto* (*ille caſtrum Lukovienſe, hic Helſenſteinam tenebat*) adjutus auxiliis. Siquidem *Bocz'konem a Cunſtad* (Bollehradecii, Brumoviæ, & Viſövicii dynaſtam) qui agro Lukovienſi depopulationem intulit, ad Sluſchovitium cecidit, ac Brumoviam fugere, pacemque petere, agris & villis ejus vaſtatis, coëgit. Exemplo illius etiam *Petrus de Straz'nitz*, & *Wenceslaus de Towacz'ow* veniam poſcentes, recepti in gratiam Marchionis, & Epiſcopi fuerunt. *b*) At enim quum nihil ſupereſſet hoſtile in Moravia, præter Cunſtadtam & Pernſteinam arces Huſſitarum præſidio munitas; rurſum *Ziz'ka* permagno cum exercitu movit, *Alberto* Duci & Marchioni eam regionem ut eriperet. In itinere Prz'ibislaviam, caſtrum in finibus Bohemiæ & Moraviæ ſitum, expugnandum ſuſcepit, quum improviſus a *Sigismundo* Cæſare adeſt nuntius, qui Bohemiæ præfecturam, & ingens quotannis auri pondus illi promittit, ſi regnum Bohemiæ Cæſari vindicaverit. Reſponſum a *Ziz'ka* datum in incerto eſt. Nam ibidem peſte abſumtus, cru-

a) Peſſina M. M. p. 502. ſeqq. ex documentis cit.

b) Idem l. c. p. 504. ſeqq., ubi addit, cœnobium Viſovicenſe Ordinis Ciſterc. Epiſcopo hac expeditione deditum eſſe. — Sed ex orat. vernacula (*ap. Dobner mon. ined. T. IV. p.* 275) conſtat *cænobium hoc a Ziz'ka everſum fuiſſe*. Quodſi ita eſt, everſum fuit priore jam anno, quum Ziz'ka ad Cremſirium morabatur, vel eo migrabat; quia is deinceps eousque haut amplius pervenit, ut mox dicetur.

12. *Octobris.* crudelem exhalavit animam; ejus vero cadaver *Cz'aslavia* tumulatum a Taboritis est. *c*)

XIV. Mortuo *Ziz'ka* Hussitæ in quatuor divisi turmas erant, nempe: *Taboritæ*, *Orphani*, *Orebitæ*, & *Pragenses* seu *Calixtini*. Taboritæ legerunt sibi ducem *Procopium majorem*, vulgo *rasum*; Orphanis præfuit *Procopius minor*; Orebitis *Bedrz'ichus* Moravus; demum Pragensibus *Sigismundus Koributus*, ficulnus Bohemiæ Rex. Horum tres priores Austriam & Silesiam, Pragenses cum *Koributo* Moraviam spoliandam sibi sumserant, ac brevi temporis spatio Evancz'itium, aliaque multa in tractu Znoymensi castella partim deditione, partim vi occuparunt. Neque diutius in Moravia cunctandum rati, mature in Bohemiam cum præda redierunt: quum interea Dux & Marchio *Albertus* cum Taboritis & Orphanis in Austria populabundis, ad oppidum Zvetlam conflixit. Quibus pariter in Bohemiam reversis, quidquid in Moravia Pragensium armis priore autumno cesserat, *Al-*
A. C. 1425. *bertus* in suam redegit potestatem, Evancz'itio excepto, in cujus oppugnatione potiorem æstatis partem insumsit. Immo vero obsidione ejus abstinere, seque in tutiora conferre debuit, quum *Procopius rasus*, & *Koributus* ad opem suis
18. *Octobris.* ferendam multis agminibus e Bohemia erumperent, ac Moraviæ oram, tum citra Danubium Austriam omni crudelitate lacerarent. *d*) *)
Ho-

c) Æn. Silvius c. 46. — Pessina l. c. p. 506. — Pelzel hist. Boh. p. 373. seqq.

d) Continuat. Pulkavæ l. c. p. 163. — Hagek ad an. 1427. — Pelzel l. c. p. 374. seqq.

*) Dlugossus hist. Polon. L. XI. p. 452. narrat, *Koributum* jam año 1422. ad capessendum regnum Bo-

Hoſpites efferatos ut ejiceret Cæſar *Sigismundus*, comitiis Norimbergenſibus opera *Pontani Orſini* Patris purpurati a *Martino V.* Pontifice in Germaniam miſſi, expeditionem cruce ſignatorum a Principibus impetravit. Rumor expeditionis hujus, etſi poſtmodum ſuſcepta non eſt, diſcordes Bohemos conſentire fecit, ut Germanis communi obſiſterent auxilio. Junctis igitur viribus Misnenſes, & Saxones ad Auſtam congregatos, clade affecerunt graviſſima. Quo in prælio ſocios & conſortes habuere Moravos, primariæ nobilitatis viros: *Wenceslaum de Cz'ernabora*, *Wenceslaum de Kravarz'*, *Janum de Towacz'ow*, *Bavarum*, & *Joannem fratres de Pernſtein*, ac *Petrum de Straz'nitz*, qui prædarum cupidine jam palam a cœtu Catholicorum deſciverant. *e)* Iſtorum quoque conſilio accidit, ut poſtea nondum adulto vere, *Taboritæ* & *Orphani* in Moraviam effuſi, fidelium in ditiones rapinis, igne, & cædibus crudeliter ſævirent, ac reſiſtente nemine, inter multa oppida & caſtella Napagedlam, Malenovicium, Zlinium, & Hunnobrodam occuparent. *f)*

A. C. 14[..]

1427.

XV. Demum hoſtes infenſiſſimos ex Moravia evocavit nova expeditio cruciata, comitiis Fran-

---

Bohemiæ proficiſcentem iter ſumſiſſe per Moraviam, atque oppidum Uncz'ow, ſitu & munitione tutum, facili negotio expugnaſſe. Welleslavinus ad diem 17. Maji addit, illum Uncz owii ſacram Synaxim, quo Pragenſibus placeret, *ſub utraque ſpecie* ſumſiſſe.

e) Schmid Geſchichte der Deutſchen L. IV. p 139. — Bartoſſek l. c. p. 151, — Peſſina l. c. p. 526.

f) Peſſina l. c. pag. 520. Ex quo patet, *Joannem* Ep. Olom. ſub id tempus Poſonii apud Sigismundum Cæſarem fuiſſe moratum. *Vid. idem Peſſina p.* 506.

Francofurtenſibus contra Bohemos decreta, & opera potiſſimum Cardinalis *Henrici Vintonienſis* jam ſuſcepta. Bohemi enim unitis rurſum viribus, Germanos aggredi ſtatuerunt. Hinc ad Pragenſium ſocietatem acceſſerunt ex Proceribus Moravis: *Zagimacz' de Cunſtadt*, *Wenceslaus de Straz'nitz*, *Hlawacius de Mirow*. Re autem ipſa Germanis e Bohemia ejectis, Bellona ferox barbaram *Orphanorum* turbam iterum in Moraviam traduxit. g) Repentina irruptione novam pluribus intulere calamitatem, fixisque ad Brunam caſtris, urbem hanc oppugnandam ſuſceperunt: ubi tamen omnia conatibus ſuis adverſa experti, ſuppetias a *Taboritis* petere coacti ſunt. E contrario celerem obſeſſis laturus opem Cardinalis & Epiſcopus Olomucenſis *Joannes*, qui haut pridem ex Hungaria ad ſuos revertit, ſine mora militem ſub ſigna evocat, clientesque ſuos omnes, arreptis ſubito armis, *Wiſskoviam* convenire jubet. Nec ſegnior *Albertus* Marchio, quamvis id temporis Poſonii ageret, *Jano Kragirz'io* Luntenburgi Præfecto, *Osvaldo de Hradek*, aliisque præſidiorum in Auſtria & Moravia Præfectis per celeres nuntios præcipit, ut contractis in unum locum militibus, Brunæ ſubſidio venire maturent. Auxilia hæc foris quum parantur: cives Brunenſes eruptione primo diluculo facta, excubitores hoſtium profligant, caſtraque ipſa adorti, *Welikonem* & alios *Orphanorum* duces ingenti pavore, nec parva clade afficiunt. Paria paribus ut referrent metu perculſi hoſtes, *Weliko* intra urbem aliquos partium ſuarum quæſiit ſtudioſos, quibuscum de civitate prodenda communicavit. Sed primarii duo proditorum in urbe capti,

A. C. 1428.

1428. 15. *Maji.*

g) Æn. Silvius c. 48. — Pelzel l. c. p. 381—384.

capti, dignas meditati sceleris luerunt pœnas; hostes autem condicto loco ac tempore in muros acerrimo impetu quum provolassent, virtute propugnatorum repressi, turpiter in castra redierunt. Inter hæc occurrit *Procopius rasus* cum copiis, erigitque *Orphanos* in spem fortunæ melioris. Contra *Episcopus* & *Kragirz'ius de Kragek* exercitum amplius novem millium (*Hungari mille ducenti erant numero*) haut procul Bruna ad Slapanicium deducunt. Postero die sub auroram in hostes fit impetus, ac diu pari utrinque Marte dimicatur acerrime, dum *Osvaldus de Hradek* & *Kuz'el junior de Quassitz*, duabus cohortibus *Taboritas* & *Orphanos* consternarunt; appetens vero vespera certamen diremit. Moravi propius urbem admoverunt, circiter mille desideratis, quorum præcipui: *Albertus de Ludowitz*, *Carolus Lhotzky*, *Wenceslaus de Kaunitz*, *Wolfram de Zeletava*, & *Joannes de Rostak*. Hostes non nisi sexcentis amissis, Moravorum tamen virtuti impares, silentio noctis abscesserunt e Moravia. *b*)

17. *Maji.*

XVI. Brunæ soluta obsidione, Cæsar *Sigismundus* bello sub id tempus cum Turcis implicitus, *Joannem* Cardinalem Olomuc. sanctioris consilii ergo in Hungariam ad se evocavit; *Kragirz'ius* vicina castella & oppida, quæ ab Hussitis tenebantur, victricibus oppugnavit armis. Ac primum adortus *Purlitzium*, sive *Foborz'elitium* facili negotio cepit; Wlassatitium, & Hrussovanium obtinuit deditione; Huñobrodam hostibus eripuit. Præmium virtutis bellicæ fuit munus *Promarchionis*, quo *Albertus* Marchio *Kragi-*

b) Balbin. Epit. p. 473. — Pessina l. c. p. 532. — Pelzel l. c. p. 384.

girz'ium exeunte anno decoravit. *i*) Quum vero Bohemia etiamnum cædibus & sanguine manaret, nec armatæ jam toties expeditiones furorem Hussitarum exstinguerent: Cæsar mutuis colloquiis pacem Bohemiæ & Moraviæ reddendam judicavit. Utriusque nationis Baronum consensu delectus colloquii locus Posonii in Hungaria: quo feria III. Paschatis Cæsar *Sigismundus* cum *Alberto* Marchione, *Procopius rasus* cum *Petro juniore de Straz'nitz*, atque alii Bohemorum, ac Moravorum legati conveniunt. Dies octo continuos actum de pace. Cæsare autem poscente, ut *communionis sub utraque specie* defensores starent judicio concilii Basileensis, quod *Martinus V.* Pont. pridem jam indixerat; legati rebus infectis, unde venerant, redierunt. *k*) Quocirca *Havelius* quidam nobilis Moravus, *Drástil de Cojetin* dictus, provinciam Olomucensem, ac præsertim Episcopi, ecclesiasticorum, ac regularium bona incursibus & rapinis vexavit assiduis: arcem quoque & oppidum Kelcz'ium diripuit. Cardinale *Joanne* in Hungaria ferme animam agente, armarunt se adversus prædonem *Joannes Podstatsky de Prussinovitz*, *Wok*, & *Paullus Sovinecii*, *Milota de Bistrz'itz*, *Getrz'ich de Rosnow*, & *Marquardus de Malenovitz*. Ille tamen Wiskoviam cum manipularibus erumpens promiscuis circum ea loca rapinis indulsit; donec *Albertus de Sternberg*, qui Promarchionis absentis gerebat vices, raptorem in Bohemiam expulit. *l*) Simili fortuna Moravi cum Austriis al-

A. C. 1429.

i) Pessina Mart. Mor. p. 535.

k) Chron. Bartossii apud Dobner mon. ined. T. IV. p. 159.

l) Hagek ad an. 1430. — Pessina l. c. p. 538.

altero anno compresserunt *Procopium minorem*, quum prædis in Austria factis refertus, in Hungariam tenderet. Nam prope Podivinum ab iis undique circumdatus, & acri fusus certamine, tum prædis, tum centum quinquaginta prædonibus amissis, qua potuit, fuga evasit. m) At brevi conversa fortuna est. *A. C.* 1430.

XVII. *Proaopius rasus*, sive *major*, cladis ad Brunam acceptæ haut immemor, eam Taboritarum multitudinem in Moraviam infudit, ut reprimendis hostibus immanitate barbaris esset nemo. Hinc absque remora Trebicensem invasit viciniam, duoque monasteria Virginum *Novorissii* (Neureisch) Ordinis Præmonstrat. & *Daleschitzii* Ordinis Cisterc. direpta succendit. Dein vastitate in agro Brunensi reddita, Olomucensem provinciam omni ex parte populatus, castrum Sternberg, quod *Petri a Sternberg* vidua tenebat, diuturna pressit obsidione, & octo hebdomadum spatio ad deditionem compulit. Sævitum hic more solito; nec tamen saturata hostium rabies, qui longiore tempore Uncz'ovium, Litoviam, omnemque illam regionem pessime divexarant. n) Extremo, quum nova Germanorum expeditio, comitiis Norimbergensibus decreta, Bohemiæ immineret, ad defendendam patriam undique confluxerunt dispersa Hussitarum agmina. 1431. Moravi quoque proceres: *Beness de Daubravitz*, *Joannes de Pernstein*, *Zagimacz' de Cunstadt*, *Pardus ab Horka*, *Hyneck a Lettovitz*, *Joannes de Krz'iz'anow* &c. milites, clientesque suos Bohemis auxiliarios adduxerunt. Id quod ægerrime tulit *Marchio Albertus*,

m) Chron. Bartossii l. c. p. 164.

n) Idem l. c. p. 165. seqq.

tus, qui pariter infesta Bohemis signa inferens, Prz'ibislaviam oppidum non procul Kaurz'imio, copiis suis oppugnabat: posteaquam ingens cruciatæ expeditionis exercitus Bohemiam invasit. Quo iterum in fugam conjecto, *Albertus* impar Bohemorum potentiæ, movit in Moraviam, atque in rebelles Hussitarum fautores graviter animadvertit. Quingentos amplius pagos delevit ferro & igne; permulta oppida vi capta diripuit; propugnacula quædam, præsertim Kijow (ubi quinquaginta rebelles trucidati) in suam redegit potestatem ea potissimum lege, ut in religionis negotio decreta Basileensis concilii sequerentur. *o*) Domuit etiam, ac dissipavit Marchio inconditam fere quatuordecim millium rusticæ plebis multitudinem, quæ in districtu Brunensi bona, fortunasque nobilium pervastare cœpit. Nempe legitimis dominis *censum* duntaxat, *non alia opera servilia* esse præstanda; Corpus vero Christi *sub utraque specie* omnino sumendum, contende-

Augusti.

manibus Hussitarum eripere nequaquam potuit. Comperto enim, *Procopium minorem* cum Taboritis & Orphanis in Moraviam properare, in Austriam celeriter movit. Advenit reipsa *Procopius*, factusque certior de Marchionis discessu, in Austriam populabundus irrupit; plurima autem præda locuples, revertit Evancz'itium Moraviæ. *q*) Sed prudens rei militaris Promarchio *Kragirz'ius*, paullo ante in Moraviam redux, prædoni exhibuit negotium, tamque diu eundem circa Brunam quotidianis exagitavit certaminibus, dum loco cedere coactus, Olomucensem in provinciam, inde in Hungariam abiit. Graviorem dein plagam Taboritis inflixit *Kragirz'ius*, quum spoliatis Austriæ cellaribus, onusti vino plurimo in Bohemiam tenderent. Hos quippe ad civitatem *Waydhof* exercitu Austrio ac Moravo aggressus, ita cecidit, ut quatuor millibus interfectis, septingenti capti Viennam adducerentur. *r*) Sæpius clades hujusmodi etiam alibi locorum acceperant Hussitarum agmina; illæ tamen, ut ut funestæ, nunquam Bohemiæ, Moraviæque pacem peperissent, nisi Cæsar *Sigismundus*, & Concilii Basileensis Patres tum litteris, tum legatione missa magnopere suasissent Bohemis & Moravis, concordiæ caussa Basileam ad Concilium ut venirent. Post multas deliberationes tandem placuit, ut oratores Concilii, & delecti utriusque nationis Egræ convenirent, de publica fide, quam *salvum conductum* vocant, sedulo acturi. Fide non solum a Concilio, sed imperii quoque Principibus data, subdubitantes Bohemi,

A. C. 17. *Ap*

q) Idem l. c. & MS. Pernstein ad an. 1431.

r) Chronic. Bartossii l. c. p. 170. — Pelzel hist. Bohem. p. 395.

tus, qui pariter infesta Bohemis signa inferens, Prž'ibislaviam oppidum non procul Kaurz'imio, copiis suis oppugnabat: posteaquam ingens cruciatæ expeditionis exercitus Bohemiam invasit. Quo iterum in fugam conjecto, *Albertus* impar Bohemorum potentiæ, movit in Moraviam, atque in rebelles Hussitarum fautores graviter animadvertit. Quingentos amplius pagos delevit ferro & igne; permulta oppida vi capta diripuit; propugnacula quædam, præsertim Kijow (ubi quinquaginta rebelles trucidati) in suam redegit potestatem ea potissimum lege, ut in religionis negotio decreta Basileensis concilii sequerentur. *o*) Domuit etiam, ac dissipavit Marchio inconditam fere quatuordecim millium rusticæ plebis multitudinem, quæ in districtu Brunensi bona, fortunasque nobilium pervastare cœpit. Nempe legitimis dominis *censum* duntaxat, *non alia opera servilia* esse præstanda; Corpus vero Christi *sub utraque specie* omnino sumendum, contendebant agricolæ isti, ac propterea ab operis liberi, *Mediocres* dici voluerunt. *p*)

14. *Augusti.*

XVIII. Non multo post Marchio civitates regias: *Olomucium*, *Brunam*, *Iglaviam*, *Znoymam*, *Hradistium*; tum Pohorz'elicium, Gemnicium, aliasque præsidio suo firmavit. Castra & oppida: Evancz'itium, Krumlovium, Gevischovicium, Oslovany, Namiestium, Tassovium, Gevicium, Sternbergam, Tovacz'ovium, Cojetinium, Preroviam, & arcem Trnavkam, e ma-

o) Æn. Silvius c. 48. — Cochl. bell. Huss. L. VI. pag. 243. — Gerard de Roo. hist. Austr. L. IV. p. 164. — Bartoss. l. c. p. 167. seqq.

p) Chronic. Bartossii l. c. p. 169.

manibus Hussitarum eripere nequaquam potuit. Comperto enim, *Procopium minorem* cum Taboritis & Orphanis in Moraviam properare, in Austriam celeriter movit. Advenit reipsa *Procopius*, factusque certior de Marchionis discessu, in Austriam populabundus irrupit; plurima autem præda locuples, revertit Evancz'itium Moraviæ. q) Sed prudens rei militaris Promarchio *Kragirz'ius*, paullo ante in Moraviam redux, prædoni exhibuit negotium, tamque diu eundem circa Brunam quotidianis exagitavit certaminibus, dum loco cedere coactus, Olomucensem in provinciam, inde in Hungariam abiit. Graviorem dein plagam Taboritis inflixit *Kragirz'ius*, quum spoliatis Austriæ cellaribus, onusti vino plurimo in Bohemiam tenderent. Hos quippe ad civitatem *Waydhof* exercitu Austrio ac Moravo aggressus, ita cecidit, ut quatuor millibus interfectis, septingenti capti Viennam adducerentur. r) Sæpius clades hujusmodi etiam alibi locorum acceperant Hussitarum agmina; illæ tamen, ut ut funestæ, nunquam Bohemiæ, Moraviæque pacem pepperissent, nisi Cæsar *Sigismundus*, & Concilii Basileensis Patres tum litteris, tum legatione missa magnopere suasissent Bohemis & Moravis, concordiæ caussa Basileam ad Concilium ut venirent. Post multas deliberationes tandem placuit, ut oratores Concilii, & delecti utriusque nationis Egræ convenirent, de publica fide, quam *salvum conductum* vocant, sedulo acturi. Fide non solum a Concilio, sed imperii quoque Principibus data, subdubitantes Bohemi,

A. C. 1432. 27. *Aprilis.*

q) Idem l. c. & MS. Pernstein ad an. 1431.

r) Chronic. Bartossii l. c. p. 170. — Pelzel hist. Bohem. p. 395.

mi, ac Moravi, duos delegerunt nuntios, qui Basileam irent, de voluntate Patrum acutissime exploratum. s)

XIX. Taboritæ interim & Orphani minime feriabantur a cædibus ac rapinis; sed per Marchiam Brandeburgicam, aliasque provincias remotiores arma, & formidinem circumtulerunt. Occasione hac usi Olomucenses, Litovienses, atque Uncz'ovienses incolæ, junctis viribus Sternbergam, Hussitico firmatam præsidio adgrediuntur. *Nicolaus de Drnovitz*, præsidio præfectus, sustinendæ diutius oppugnationi impar, decima post inchoatam obsidionem die, arcis deditionem fecit; ejus vero cohortis pars Towacz'ovium, pars Gevicium migrarunt. Qua re cognita, *Procopius rasus* in Moraviam irrupit ad eximendos periculo socios. At opinato serius accurrens, vastata miserum in modum Olomucensi, Brunensique provincia; firmata etiam in itinere necessariis rebus Prerovia, in ducatum Oppaviensem abscessit. t) Nequaquam tamen a grassatoribus vacua fuit Moravia. Id genus furfuris hominum facile princeps *Smilo de Moravan* circa festum S. Joannis intempesta nocte cœnobium Gradicense ad Olomucium invasit, Canonicorum aliis trucidatis, in fugam versis aliis, diripuit, ac succendit. Fumante adhuc cœnobio, similes priorum advolant prædatores, ausuque magis temerario, quod reliquum erat, de supellectile prædantur. u) Vasta-

s) Cochlæus bell. Huss. L. VI. ad hunc añ. — Æn. Silv. c. 49. seqq.— Tom. XXX. Concil. edit. Regiæ Parisinæ pag. 360. & 586.

t) MS. Pernstein ap Pessinam l. c. p. 573.

u) Idem l. c. pag. 574. & Bartoss. l. c. p. 174.

ſtatum ita monaſterium, utne deinceps hoſtibus eſſet receptaculo, publicæ poteſtatis juſſu dirutum cum eccleſia fuit, translatis prius ad Cathedralem Olomucenſem reliquiis ſacris, & Marchionum, atque Epiſcoporum ibidem ſepultorum cadaveribus. *x*) *) Plures *Smilonis* graſſationes ſupervacaneum eſt recenſere turbatiſſimo hoc tempore; illa dumtaxat memorabilis, quod nocte S. Michaëlis civitatem Cremſirium cum gregalibus furtim ingreſſus, non paucas domos expilaverit. Quod impune factum haut dubie proditione eorum civium, qui funem cum Huſſitis trahebant. *y*) Tandem ſpes tranquillioris temporis Moraviæ injecta.

XX. Delecti duo in Bohemiam reduces, Baſileæ rem ſerio agi, nec ullum ſubeſſe dolum, ad ſuos quum retuliſſent: habita Pragæ ſunt comitia Ordinum, ac civitatum frequentiſſima. Deliberatum nempe de mittendis ad Concilium legatis tam Bohemorum, quam Moravorum nomine. Saluberrima adverſus *Taboritas* & *Orphanos*, qui legationi prorſus adverſabantur, ſententia præſertim *Meinhardi de Novadomo*, atque aliorum nobilium vicit. Miſſi proinde Baſileam eccle- *6. Decembr.*

x) Annal. monaſt. Hradiſt. ſive Gradic. in Wenceslao Abbate XXV. ap. Adamum Kübner *Memoriale ſæculorum* p. 192., ubi dicitur prædatio accidiſſe die 2. Maji; monaſterium autem ſolo æquatum eſſe in feſto S. Mariæ Magdalenæ aňo 1432.

*) Interim Canonici Hradiſtienſes, ſeu Gradicenſes in ſuburbanis Olomucenſibus habitabant, dum aň. 1461. in monaſterium reſtitutum, murisque cinctum reducti fuerunt die S. Barbaræ ſacra; id quod ſub Georgio II. Abbate XXVIII. accidiſſe refert Adamus Kübner l. c. p. 202. ſeqq.

y) Auguſtin. Cat. Epiſc. Olom. in Cunzone de Zvola Epiſc.

ecclesiastici & politici status viri maxime præcipui, quos *Joannes Rokiczana*, & *Procopius rasus* auctoritate anteibant. Basileæ a Patribus liberaliter accepti, atque in concilium admissi, celebres illos *quatuor Pragenses articulos* probari petunt; postea ipsos quinquaginta dies acerrime non minus, quam pertinaciter de illis disputant. Convicti licet accurate, nihilominus de sententia sua haut moventur, jamque abitum parant; quum suos eis Concilium adjungit Oratores, qui eapropter cum Hussitis colloquium Pragæ haberent. Sed collatis sæpenumero in conventu amplissimo sermonibus, nihil ex pristina voluntate mutarunt Bohemi, Moravique, ceteroquin satis in pacem & concordiam propensi. Hinc rursum oratores tribus cum Theologis Pragensibus Basileam festinant, Concilium ad declarandos quatuor illos articulos flexuri. *a*) Hoc ipsum flagitabat Imperator *Sigismundus*, qui etiam tum Roma, ubi ab *Eugenio IV.* Pont. insignitus corona Imperii fuit, Basileam venerat. Re vera favit sacrum Concilium postulatis, ac demum Oratores cum Bohemis Theologis Pragam reduces attulerunt concordiæ formulam *Compactata* appellatam. Pacta hæc in comitiis regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ lecta, & subscripta, concedunt Bohemis æque ac Moravis *SS. Eucharistiæ sub utraque specie usum*, ea tamen lege, ut sacerdotes populum edoceant, *ab omnibus firmiter credendum esse; sub specie panis non tantum carnem, nec sub specie vini dumtaxat sanguinem: sed sub qualibet specie integrum; totumque Christum contineri. b*) Ve-

A. C. 1433. 6. *Januarii.*

14. *Aprilis.*

30. *Novemb.*

a) Æn. Silvius c. 49. & 50. Cit. Tom. Concil. p. 3. seqq. Chronic. Bartoss. l. c. p. 179.

b) Cochlæus hist. Hussit. L. VII. p. 270. seqq.

Verum a concordia aliorum se removerant *Procopius major* & *minor*, cum Taboritis & Orphanis, in quos ideo Bohemi, Moravique nobiles, coactis denuo comitiis, bellum communi sententia decernunt. Commisso prælio acerrimo, *uterque Procopius cæsus*, eorum asseclæ ferro, flammaque consumti. c)

XXI. Quum hæc in Bohemia: Marchio Moraviæ *Albertus* ad tranquillandum Marchionatum comitia provincialia Brunæ habuit, quibus aderant: Dux Oppaviensis *Wenceslaus*; *Joannes de Lomnitz* Capitaneus, sive Promarchio Moraviæ; *Petrus de Straz'nitz*, *Wenceslaus de Kravarz'*, *Herold de Kunstadt & Tribovia*, *Albertus de Sternberg & Lukow*, *Ciborius de Cymburg & Gitzin*, *Joannes de Cymburg & Towacz'ow*, aliique Moraviæ Nobiles fere universi. Prospero comitiorum exitu confecta est *publica pax* (Landfried) omniumque adsensu & sigillis firmata, his præcipue statutis: " 1) Nemo alteri cuicunque " molestiæ, damnove sit, sed jure agantur omnia; jus autem læsis Marchio, vel Promar" chio, aut Moraviæ Ordines dicant. 2) Si " quis in aliena bona sive politica, sive eccle" siastica vim fecerit; aut fortunarum rapto" res benevolentia, præsidioque texerit suo: tam" quam patriæ vastator, legibus, vel armis pro" vincialibus plectatur. 3) Publici grassatores " meritas dent pœnas; dynasta, nobilis, aut " villicus prædatoriæ manus conservator, ordi" ne, bonisque suis privetur. 4) Præsidiarii " hostiles, qui civitatem, oppidum, castrum, " arcemve injuste occupant, eadem legitimis " reddant dominis; secus auxiliis provinciali-

A. C. 1434. 3. *Martii.*

 " bus

c) Æn. Silvius c. 51. — Pelzel hist. Boh. p. 404—408.

" bus debellandi. 5) Castra, vel arces in pœnam sceleris olim diruta, turbulentis vero temporibus recens exstructa, confestim funditus evertantur. 6) Nummi adulterini eliminentur e Moravia; monetæ adulterator perinde, ac fraudulentus emtor, aut venditor, statutas luant pœnas. 7) Comitia provincialia more majorum bis quovis anno habeantur, ut suum cuique jus tanto certius tribuatur. 8) Quicunque nobilium pacem hanc publicam ruperit, & pacta conventa quinquennio duratura violaverit, ignominia notatus improborum hominum sit loco. " *d*) Hunc in modum repressa prædarum libidine, castra & oppida quædam Moraviæ ad officium, a quo discesserant, paullatim reducta sunt. Bohemi vero habitis regni comitiis, decreverant *Sigismundum Imperatorem* certis conditionibus *Regem* recipere.

A. C. 1435. XXII. Venit *Sigismundus*, ordinatis in Hungaria rebus, cum Marchione *Alberto* in Moraviam, ac Brunæ commorans, splendide accepit Bohemorum legatos, e quibus principes *Meinhardus de Novadomo*, *Alesj de Sternberg*, *Jacubko Moravus* (dictus aliter *Wrz'esovecius*, multarum in Bohemia civitatum dominus) & *Joannes Rokicz'ana* erant. Hi præsentibus nonnullis Bohemis, Moravisque Proceribus, Imperatori Bohemiæ regnum offerunt, modo aliis quoque eorum po-

d) Codex Towaczowiens. ap. Strz'edovsky Apogr. Mor. Vol. III. p. 24., ubi recensentur omnes Moraviæ Nobiles, qui *pacem publicam* subscripserant. Sed *Conradus* Ep. Olom. subscripserit per Delegatum; ipse enim tum in comitatu *Sigismundi* Imp erat, & Ulmæ in Svevia obiit. *Vid. infra hist. eccles.*

postulatis annuat. Annuit ille regni, pacisque desiderio; Concilii vero Basileensis oratores, qui pariter aderant, dubiis in explicanda *formula compactatorum* a Rokicz'ana propositis, plane responderunt. *e*) Quia tamen de illis dubiis magna contentione disputatum, cum alias jam sæpe, tum hic iterum plures hebdomadas fuit; ne qua daretur occasio rumpendæ concordiæ, *Sigismundus* Imp. edidit quamdam *pactionum formulam*, hujus argumenti: " 1) Beneficia in " Regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ " non conferantur per extraneos; sed jus istud " ad Regem, Regnique & Marchionatus in- " colas perpetuo spectet. 2) Nemo extra Re- " gnum, & Marchionatum citetur, ut judicium " subeat; sed quisque judici proprio subsit: " salva tamen appellatione ad Archiepiscopum " Pragensem ab Olomucensi, & Litomislliensi " Episcopis. 3) *Communio sub una specie* in iis " tantum servetur locis, in quibus *communio du-* " *plicis speciei* prius non erat. 4) Episcopi Olo- " mucensis, & Litomislliensis scholares idoneos, " qui velint populo *sub utraque specie communio-* " *nem* præbere, ad sacros ordines promoveant: " idem in Archidiœcesi Pragensi fiat. „ *f*) Ista se tuiturum, Regno, & Marchionatui sancte pollicitus, legatos in Bohemiam dimisit ea lege, ut die S. Nicolao sacra adessent Albaregali in Hungaria. Celebratis denuo Pragæ comitiis, adfuit statuto tempore & loco Bohemorum legatio, nihilque erat reliquum, nisi

 ut

e) Citat. Tomus Concil. p. 594. — Chronic. Bart. l. c. p. 193. — Dubia Rokicz'anæ vid. ap. Goldast. Append. p. 134. & Cochlæum l. c. L. VIII. p. 283.

f) Formula pactionum ap. Goldast. Append. p. 138.

ut pacta omnia publicis de more tabulis ultro, citroque firmarentur. Quocirca ut tandem pacificatio perducatur ad exitum optatissimum, novus Iglaviæ in Moravia conventus, proximo vere celebrandus, decernitur. g) Sed præfinito tempori insperata remoram fecere negotia.

XXIII. Expetitus Bohemorum litteris & nuntiis Imperator, demum Iglaviam advenit cum genero suo *Alberto* Marchione, atque obvium habuit Bohemiæ Gubernatorem *Alessium de Wrz'estiow* cum nobilissimo singulorum Ordinum comitatu. Appulerant etiam Concilii oratores, quos *Henricus de Lichtenstein & Nicolsburg, Joannes Bitovsky de Lichtemburg & Cornstein,* & *Zdenko de Waldstein* honoris, ac securitatis gratia deduxerunt. Immo & omnes fere confluxerunt Bohemi, Moravique nobiles, ut maximi laboris concordiæ finem impositum cernerent. h) Itaque Imperator perinde ac oratores Concilii Basileensis a Bohemis, & Moravis Ordinibus solenni more acceptant pacem, eamque ab omnibus servari mandant secundum pacta jam inita, quorum testes litteras authentica fide munitas vicissim commutant. Tum *Rokiez'ana*, cui promissa Pragensis Ecclesiæ summa dignitas fuit, sedente *Sigismundo* in solio erecto in foro Iglaviensi (adstante *Alberto*, Procerum, atque legatorum corona) cum aliis quatuor Presbyteris nomine Cleri eidem adhærentis obedientiam Romanæ Ecclesiæ pollicetur. Altera die *Philibertus* Episcopus, ex oratoribus Con-

A. C. 1436. 12. *Junii.*

5. *Julii.*

g) Citat. Tom. Concil. p. 595. — Chron. Bartoss. l. c. Goldast. Append. p. 138. & 146. — Æneas Silvius c. 52.

h) Chronic. Bartoss. p. 194. — Æneas Silv. c. 52.

Concilii præcipuus, hæreticos ab anathemate absolutos, in fidelium cœtum aggregat; hortatur ad vivendum pacatis invicem animis; quacunque dissensione interdicit, sive sub una, sive sub duplici specie sacram synaxin quis percipiat. Denique Gubernator Bohemiæ, aliique præsentes legati nomine omnium Ordinum Bohemorum, ac Moravorum exarant de pace confecta litteras, easque in Regno, & Marchionatu promulgandas jubent. Rebus ita feliciter actis, *Sigismundus* Imp. comitibus Bohemis Ordinibus, Pragam proficiscitur ad capiendum Bohemiæ regnum, quod festivas inter acclamationes auspicatur. *i*)

XXIV. Pacata jam & tranquilla penitus Moravia, *Paulus de Milicz'in* Episc. Olomuc., *Waniek*, seu *Wenteslaus de Boskovitz* Moraviæ Promarchio, ceterique Barones, & Nobiles Moravi, Brunæ provincialia celebrarunt comitia, quibus firmato tabularum usu, decernitur, ut patris bona illius filiis, aut filiabus hereditario jure obveniant; vel certe fratri, ejusque filiis cedant. *k*) Ita Proceribus curæ fuit Moraviæ salus & tranquillitas. Hanc tamen iterum ausus turbare *Smilo de Mezavan* prædationibus insignis, Carthusiam *Vallis Josaphat* ad pagum Dolany sitam armata vi ex improviso occupat, initaque societate cum præsidiariis Prerovii, Domaz'elicii & Chropinii, viciniæ toti gravia detrimenta importat. Olomucenses sumtis illico armis,

 ra-

i) Æn. Silv. l. c. — Cochlæus l. c. p. 295. — Goldast. Append. p. 142. seqq.

k) Codex Towac'ow. ap. Strz'edovsky Apograph. Morav. Vol. III. p. 42., ubi nominantur Nobiles his comitiis præsentes.

12. Ju
13. Au
A. C. 1
1. Febr

rapacitatem comprimere satagunt; sed diu obsessum, ac sæpe opugnatum cœnobium recipi haut potuit prius, quam *Smiloni* magna pecuniæ vis solveretur. Id quod deinceps ne fieret, consensu *Alberti* Marchionis, & *Paulli* Ep. Olom. claustrum solo æquatum est; religiosis vero in suburbio Olomucensi assignatus habitationis locus, atque ad sumtus novi ædificii facilius tolerandos concessum a Marchione privilegium, in fundis eorum quodvis metallum fodiendi. *l*) Felicior fuit altera expeditio Olomucensium civium ad liberandam hostibus Litoveliam, seu Litoviam suscepta. *Pardus* enim *ab Horka*, & *Victorinus de Vedanitz* (ille Orphanorum olim Capitaneus, iste filius erat *Genikonis*, qui Litomisslium injusto tenebat dominatu) cum Presbyteri *Bedrz'ichi* latronibus nocte intempesta Litoviam cepit, una dumtaxat turri in potestate civium remanente, quam omni telorum genere tuebantur. Ut primum de capta hac civitate Olomucium pervenit rumor,

Novembr.

ɔnetæ, & Moravici numeri) annui cen-
ɔmine pendendas, diplomate Viennæ da-
ı tempus perpetuum illis remisit. *m*)

XXV. Sub hanc victoriam de prædonibus
iæ partam, Imperator *Sigismundus* valetudine
us, cum Imperatrice *Barbara*, & comitatu
Znoymam Moraviæ venit, ubi conjugem
, quod regnis Hungariæ & Bohemiæ seditio-
iaret, dari in custodiam jussit. Tum ingra-
nte morbo, generum suum *Albertum* Mar-
em, Vienna evocatum, non solum præ-
ɔus Bohemiæ Ordinibus commendavit, sed
ıento etiam successorem suum scripsit, ac
nulto post Znoymæ ex vita abiit. *n*) *Al-*
Sigismundi corpore Waradini humato, tum A. C. 1438.
ʒariæ, tum Romani Imperii coronam fa-
btinuit; ad capessendum vero Bohemiæ
ım, quod factiosi quidam Proceres *Casimiro*
slai Poloniæ Regis fratri obtulerant, Au-
ım & Hungarorum duxit copias. His
ɔt in Moravia rebelles ad officium revoca-
Iglaviæ autem Rosenses, aliosque Barones,
idem præsto fuerunt gratulabundi, bene-
accepit. Tandem advectus Pragam præ-
ıus Ordinibus partium ejus studiosis, majore
n numero, *Philiberto* Archiepiscopatus Pra-
s administratore, & *Alberto* Litomislieńsi
opo, per Olomucensem Episcopum *Paullum*
a Mi-

ıron. Bartoss. l. c. p.
. Et MS. archivi
ɛ Olom. ap. Pessinam
08. Diploma Alberti
ch. die Jovis ante S.
arinæ anno 1437
ınæ datum. — Vi-
iæ hujus testimonium
dicitur etiam esse *vexil-*
lum, quod in curia Olo-
mucensi adservatur.

n) Chronic. Bartoss. l. c.
— Bonfin. R. Ung. Dec.
III. L. III fin. — Pel-
zel hist. Boh. pag. 416.
seqq.

rapacitatem comprimere satagunt; sed diu obsessum, ac sæpe opugnatum cœnobium recipi haut potuit prius, quam *Smiloni* magna pecuniæ vis solveretur. Id quod deinceps ne fieret, consensu *Alberti* Marchionis, & *Paulli* Ep. Olom. claustrum solo æquatum est; religiosis vero in suburbio Olomucensi assignatus habitationis locus, atque ad sumtus novi ædificii facilius tolerandos concessum a Marchione privilegium, in fundis eorum quodvis metallum fodiendi. *l*) Felicior fuit altera expeditio Olomucensium civium ad liberandam hostibus Litovliam, seu Litoviam suscepta. *Pardus* enim *ab Hurka*, & *Victorinus de Vedanitz* (ille Orphanorum olim Capitaneus, iste filius erat *Genikonis*, qui Litomisslium injusto tenebat dominatu) cum Presbyteri *Bedrz'ichi* latronibus nocte intempesta Litoviam cepit, una dumtaxat turri in potestate civium remanente, quam omni telorum genere tuebantur. Ut primum de capta hac civitate Olomucium pervenit rumor, confestim *Paullus* Ep. & primores urbis cohortem virorum fortium Litoviensibus auxilio mittunt: qui muris transcensis, in civitatem irruunt, multisque prædonum interfectis, CL. capiunt, duces ipsos in fugam convertunt. E qua postmodum retracti, jussu *Alberti* Marchionis Viennam abducuntur cum præcipuis captivorum, ceteris suspendio necatis. Olomucenses vero ob navatam strenue Litoviensibus operam hostium equis, phaleris, galeis, ac manubiis Marchio *Albertus* donavit. Quin paullo post 50. marcas (sexagenas grossorum Pragensis

1. *Novembr.*

l) Litteræ publicæ Alberti March. Civit. Olom. & Canonicorum Olom. ap. Pezium Codic. Dipl. T. VI. p. 261. Et Pessina Mart. Mor. p. 604.

ſis monetæ, & Moravici numeri) annui cenſus nomine pendendas, diplomate Viennæ dato, in tempus perpetuum illis remiſit. *m*)

XXV. Sub hanc victoriam de prædonibus Litoviæ partam, Imperator *Sigismundus* valetudine affectus, cum Imperatrice *Barbara*, & comitatu regio Znoymam Moraviæ venit, ubi conjugem ſuam, quod regnis Hungariæ & Bohemiæ ſeditioſa inhiaret, dari in cuſtodiam juſſit. Tum ingraveſcente morbo, generum ſuum *Albertum* Marchionem, Vienna evocatum, non ſolum præſentibus Bohemiæ Ordinibus commendavit, ſed teſtamento etiam ſucceſſorem ſuum ſcripſit, ac non multo poſt Znoymæ ex vita abiit. *n*) *Albertus Sigismundi* corpore Waradini humato, tum Hungariæ, tum Romani Imperii coronam facile obtinuit; ad capeſſendum vero Bohemiæ regnum, quod factioſi quidam Proceres *Caſimiro Wladislai* Poloniæ Regis fratri obtulerant, Auſtriorum & Hungarorum duxit copias. His aliquot in Moravia rebelles ad officium revocavit; Iglaviæ autem Roſenſes, aliosque Barones, qui eidem præſto fuerunt gratulabundi, benevole accepit. Tandem advectus Pragam præſentibus Ordinibus partium ejus ſtudioſis, majore civium numero, *Philiberto* Archiepiſcopatus Pragenſis adminiſtratore, & *Alberto* Litomiſslienſi Epiſcopo, per Olomucenſem Epiſcopum *Paullum a Mi-*

A. C. 1438.

---

m) Chron. Bartoſſ. l. c. p. 199. Et MS. archivi curiæ Olom. ap. Peſſinam p. 608. Diploma Alberti March. die Jovis ante S. Catharinæ anno 1437 Viennæ datum. — Victoriæ hujus teſtimonium dicitur etiam eſſe *vexillum*, quod in curia Olomucenſi adſervatur.

n) Chronic. Bartoſſ. l. c. — Bonfin. R. Ung. Dec. III. L. III fin. — Pelzel hiſt. Boh. pag. 416. ſeqq.

29. *Junii.* a *Milicz'im* regio insignitus diademate fuit. a) *) Sed propterea exortum est bellum intestinum tam Bohemiæ, quam Moraviæ, præsertim provinciæ Olomucensi Oppaviam versus perniciosum. *Wladislaus* enim Poloniæ Rex, ut factionem *Casimiri* fratris sui in Bohemia adjuvaret, duos Palatinos cum sex millibus equitum in Bohemiam misit, ipse superiorem Silesiam longe, lateque vastavit. Præmisso dein equitatu in Moraviam, Oppavia movere constituit; quum cognita suorum in Bohemia clade, & Marchionis Brandeburgici in Bohemia vastatione, consilium mutare cogitur. Equites suos pariter quidem e Moravia revocat, sed magna divites præda, quam expilato circa Fulnekam, Podenstatam, & Vetero-Gitschinium ad Becz'vam usque tractu, celeriter occuparunt.

a) Bonfin. l. c. & Dec. III. L. IV. — Gerard de Roo hist Austr. L. V. p. 171. seqq. — Chron. Bartossi p 202. — Dubrav. hist Boh. L. XXVIII.

*) Inde patet, eo adhuc tempore Episcopum Litomisslii fuisse, etsi bona episcopalia possideret Wilhelmus Kostka. Ejus Episcopi nomen: *Albertus* erutum esse ait Dobnerus ex primigeniis membranaceis litteris. — Hinc Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. in *Joanne Ferreo* Episc. Olom. merito dicit, Joannem hunc fuisse ultimum Episcopum *Litomisslinensem*, qui scilicet bona episcopalia possederit. Post hunc enim nominantur adhuc Episcopi Litomisslienses, qui tamen prædiis caruerunt; siquidem post Wenceslai mortem occuparunt illa Pragenses, cederuntque Borz'eko Dohalecio, tum Genikoni. Deinde eadem possedit Wilhelmus Kostka, ac demum Litomisslium cum bonis episcopalibus acceperunt Pernsteinii, e qua stirpe ultima fuit *Febronia*, Scholarum Piarum Litomisslii fundatrix. *Vid. Dobner mon. ined. T. IV. in notis ad Chron. Bartossii p.* 196. & 202.

runt. p) Illata Silesiæ & Moraviæ damna, *Albertus* Cæsar haut dubie ulturus erat bello, nisi auxilio ejus eguisset Hungaria, quam Sultanus Turcarum *Amurathes* invasit. At enim hac in expeditione, inmodico peponum esu in ventris solutionem incidit, ac Viennam festinans in itinere fatis concessit, nullo relicto herede masculo, sed *Elisabetha* conjuge gravida. q)

A. C. 1439.

27. *Octobris.*

XXVI. Justis funebribus Marchioni *Alberto* peractis, Moravi celeberrimum Brunæ conventum celebrarunt, paci publicæ ut consulerent. Ea de caussa *Paullus de Milicz'im* Episc. Olom., *Joannes a Cymburg & Towacz'ow* Moraviæ Promarchio, & civitatum regiarum delecti, armorum juxta & animorum fœdus inierunt, quo Moravorum perpetua & integra vigeret concordia, alter ab altero malum quodcunque depelleret, unus omnibus, & vicissim omnes uni mutuis adessent auxiliis. Fœdus hoc, donec Marchio novus obtingeret, duraturum alio rursum conventu Brunæ habito repetierunt, atque etiam tabulis, seu diplomate solenni omnium sigillis munito confirmarunt. r) Quarto dein mense a morte *Alberti* Cæsaris, *Elisabetha* genuit filium postumum nomine *Ladislaum*, quem uti legitimum paternarum ditionum heredem, dum ætatem gubernando idoneam attingeret, expectandum judicarunt Moravi; tantum abest, ut de alio Rege, ac Marchione eligen-

Interregnum.

13. *Decembr.*

1440.

27. *Januarii*

p) MS. Pernstein ap. Pessinam M. M. p. 614.

q) Æn. Silvius c. 55. seqq. — Chron. Bartoss. pag. 203. seqq.

r) Litteræ utriusque conventus in cod. Towacz'. ap. Serz cdovsky apogr. Vol. III. p. 27. seqq.

gendo cum Bohemis deliberaverint. *s*) Sed quantumcunque eniterentur Moraviæ Ordines in conservanda tempore interregni pace: eam nihilominus violarunt quidam rapto vivere adsueti, qui rapinis, ac cædibus tum publicas vias, tum pagos & oppida reddebant infesta. Hos in montibus & silvis dissipatos, armis persequi difficile videbatur; eorum igitur ædes ac receptacula alia *Joannes a Cymburg* Promarchio; alia *Bertholdus a Lippa*, & *Joannes Lichtenburgius*; alia denique *Pernsteinii Willbelmus*, & *Albertus* vi expugnata diruerunt, latronibus partim supplicio, partim exilio multatis. Ad opprimendos

A. C. 1441. quosdam nobiles, munitioribus e locis latrocinantes, præter tumultuarium militem conscriptus provincialis exercitus fuit, qui prædonibus Moraviam liberavit, postquam alios ferro, aut laqueo plexit, alios in Hungariam profugere compulit. Istorum accessione, ac præcipue *Joannis Telephi de Rz'iez'an* Baronis Moravi opera usus *Georgius Giskra* Bohemus, pluribus annis Hungariam superiorem contra *Wladislaum*, & Polonos egregie defendit, atque in obsequio *Ladislai posthumi* fortiter continuit. *t*) Mortua

1442. vero Jaurini *Elisabetha* Regina, Bohemi & Mo-
24. *Septembr.* ravi, qui sub ducibus *Giskra*, & *Telepho* stipendia merebant, in regios pagos, & oppida rebellia rapinis, populationibus, ac cædibus ferociter sævierunt: dum pontificii legati *Juliani* Car-

s) Balbin. Epit p. 501. & Ctibor. a Cymburg. de Regim. polit. Morav. ap. Strz'edovsky l. c. p. 57. — Inde refellitur opinio Contin. Pulkavæ T. IV. mon. ined. Dobneri p. 174.

t) MS. Pernstein ap. Pessina M. M. p. 620. — Dlugoss. hist. Polon. L. XII. p. 754 — Philipp. Callimach. de rebus a Wladislao Pol. & Hung. Rege gestis L. II. sub init.

Cardin. & *Friderici III.* Cæſaris opera pax compoſita, omniumque conſenſu arma adverſus Turcam verſa fuerunt. *u*)

XXVII. Optata interim pace fruebatur Moravia, quum ſubitus terræ motus præcipuis ejus urbibus minari ruinam cœpit. Brunæ enim, ac Zabrdovitzii tremore e turribus lateres prolapſos; Olomucii, multisque locis aliis, teſtudines concuſſas referunt: gravius tamen malum benignitas Dei avertit. *x*) Altero etiam anno exitioſa belli civilis fax, priusquam oriretur incendium, extincta eſt. Menſe nimirum Auguſto comitia provincialia Brunæ gerenda *Paullus* Epiſc. Olom. edixit. Stato tempore antevenit aliis *Erhardus Cunſtadæus de Liſſitz*, ac fortuito, vel improvide aperit epiſtolam, ad omnes Moraviæ Ordines datam. Sine mora damnatus eo facinore, media nocte ad candelam capite plectitur prius, quam cognatis ejus potentiſſimis liceret ab eodem vitæ diſcrimen depellere. Itaque ulturi cædem hanc præcipitem Cunſtadæi: *Bocz'ko Smilheimenſis*, *Bernardus Drnovitzius*, *Joannes Zagimacz*, *Smilo Daubravicius*, *Marquardus Lomnitcius*, aliique viribus, & auctoritate plurimum præditi, bellum civile apparant. Verum dexteritas conſiliorum, & *Joannis a Cymburg* Promarchionis prudentia, iratos leniit Cunſtadæos, regionem denuo pacavit. *y*) Unitis rurſum animis, Moravi militaris virtutis experiundæ ſuopte ingenio cupidi, ſub ſigna *Will-*

A. C. 1443. 5. Junii.

1444.

1445.

---

u) Callimach. l. c. p. 487. ſeqq. — Dlugoſſ. l. c. p. 785.

x) Beneſſ. de Weitmile ap. Dobner mon. ined. T. IV. q. 75.

y) Hagek ad hunc an. — Peſſina l. c. p. 628. — Steinbach diplomat. Samlung c. 1. p. 54.

Willhelmi Saxoniæ Ducis, qui adversus fratrem *Fridericum* arma ceperat, magno numero confluxere. Ceteris domi non parum negotii facessivit *Pancratius* quidam e proceribus Hungaris, oppido Sakolka occupato. Inde namque crebris in Moraviam eruptionibus factis, finitimos pagos & oppida diripuit, prædas pecorum & armentorum egit, tantisque incommodis affecit quævis obvia, ut Proceres Moravi mature vim vi propulsare cogerentur. Junctis igitur viribus, Sakolkam, sive Skalitzium obsidione premunt, ac demum præsidiarios ad deditionem compellunt. *Pancratius* quidem occulto itinere foras erupit; illius autem asseclæ necati laqueo sunt, oppidum præsidio Moravorum firmatum. z) *)

XXVIII. Inter hæc mirum quantum Bohemos, ac Moravos tenebat desiderium *Ladislai* Regis, qui tutela *Friderici* Cæsaris educabatur a Comite *Casparo Schlikio*, & *Aenea Silvio*: ille morum præfectus, iste moderator studiorum erat. Hoc consilio edixere Bohemi comitia regni, quibus etiam Moravi aderant: *Joannes a Cymburg* Promarchio, *Albertus a Sternberg & Lukow*, *Chri-*

A C. 1446. 11. Novembr.

sto-

z) Hagek ad hunc an. — Pessina p. 609. — De rebus Moravorum in Saxonia, & Westphalia gestis vid. Bernard. Wittius MS. Westphaliæ Chronico ap. Bolland. in App. ad mens. Januar.

*) Roo hist. Austr. p. 200. scribit Pancratium oppido Skalitz petitum, anno 1449. etiam in Austriam excursionem fecisse. — At præplacet Chronologia Hagecii & Pessinæ, quum Æneas Silvius ep. 93. anno 1446. mense Martio data, testetur, eundem Pancratium jam tum in Hungaria ab Giskra oppressum, oratores misisse ad Cæsarem, qui ejus nomine perpetuam Austriæ pacem spondere nt.

ſtophorus de Lichtenſtein & Nicolsburg, Hynko junior de Waldſtein cum aliis tribus equeſtris ordinis viris. Poſt multa in deliberationem ſuſcepta, diuque agitata, decretum omnium conſenſu fuit, mittendos ad Cæſarem eſſe legatos, qui peterent nomine provinciarum coronæ Bohemiæ unitarum *Ladislaum* in Bohemiam mitti, patriis moribus, & inſtitutis Pragæ imbuendum. Legationem cum Bohemis obierunt Moravi *Henricus de Lippa, & Chriſtophorus de Lichtenſtein*: quorum conſtantiam, ac fidem laudavit Cæſar, eamque perpetuam eſſe voluit; at Principem regium nullibi locorum melius, atque in aula ſua educari poſſe, addidit. Suaſit præterea, Regnum & Marchionatum ipſi ut regerent, dum Regis ætas capeſſendo regimini idonea foret. a) Reſponſum Cæſaris novorum in Bohemia tumultuum occaſio fuit, præſertim quum turbulentus *Joannes Rokizana* priſtino apud *Utraquiſtas*, ſeu *Calixtinos* eſſet loco, & *Georgius de Podiebrad* novis aſſiduo rebus ſtuderet. Contra Moraviæ Proceres ſummis contenderunt viribus, ut firma *Ladislao* fides, diuturna Marchionatus tranquillitas ſervaretur. Poſtea vero quam ſingulare Catholicorum munimen *Meinhardus de Novadomo* per ſummum nefas a *Georgio Podiebradio* conjectus in carcerem eſſet; Moraviæ etiam quies labefactari aliquantum cœpit. *Podiebradio* enim, in Bohemia regiam prope uſurpanti poteſtatem, favebant ex Moravis *Cunſtadii*, ac *Drnovitzii* cum aliis Bohemicæ originis nobilibus; quum alii pariter magnæ auctoritatis nobiles Moravi alieno ab ejus conatibus eſſent animo. Sciſſis diverſa in ſtudia Proceribus, jam jam civiles ſurge-

A. C. 1447

a) MS. Pernſtein l. c. p. 638. — Aen. Silvius hiſt. Boh. c. 58.

gebant fluctus, intestinum cituri bellum, nisi Promarchio *Joannes a Cymburg*, *Bertholdus* & *Henricus Lippæi*, *Ctibor de Landstein*, *Wok de Svvinetz*, *Arcbleb de Kunovitz*, *Hinko de Prussinovitz*, aliique magni consilii & sapientiæ fama celebres, jactatæ olim tot malis patriæ opportuna adhibuissent remedia. Hi etenim conventu Brunæ habito, quo etiam venerant e seditiosis non pauci, statuerunt unanimi consensu, ut, si qui pacta publica pacis servandæ gratia anno 1440. inita perturbarent, eorum bona addicerentur ærario; ipsi, cum liberis, si capi non possent, perpetuo exilio; aut capti supplicio plecterentur. Hac ratione malum imminens, oppressum in herba est, ac pristina provinciæ pax restituta. *b*)

A. C. 1449.

XXIX. Attamen Moravorum quidam, præsertim *Smilo Drnovicius*, *Joannes de Pernstein*, & *Matucha de Rozˊnovv*, *Podiebradio* maxime dediti, in Bohemiam abierunt: quorum ille opera adversus Misnenses, filiorum *Meinhardi* nuper auxiliarios, utebatur. *c*) Quibus domitis, *Podiebradius* Bohemiæ *Gubernator* a Proceribus electus, missis ad Cæsarem legatis, electionem novi Regis minabatur, nisi *Ladislaum* Bohemis traderet. Cæsar itineri Romam accinctus, ut *Ladislaum* tuto haberet comitem, minaces lenivit animos legatione clarissima. Princeps illius erat *Aeneas Silvius*, qui comitiis Procerum Bohemorum, ac Moravorum Beneschovii coactis, ornata & gra-

1450.

b) MS. Pernstein l. c. p. 646. — Cochlæus bell. Hussit. L. X. ad añum 1451. — Pelzel hist. Boh. p. 431—434.

c) Litteræ Petri a Sternberg ap. Pessinam M. M. p. 650.

& gravi oratione persuasit, ut principem regium longiori tutelæ Cæsaris permitterent. Delegerunt tamen nobilium juvenum præcipuos, qui Cæsarem, suumque Regem in Italiam comitarentur. Quo munere ex Moravis functi: *Joannes de Novadomo* Telcz'ensis familiæ, *Willbelmus junior de Pernstein*, *Tobias de Boskovitz*, & *Carolus de Wlassim*. d) Inter hæc plurimum invaluit versuta *Rokicz'ana* auctoritas. Is enim favore *Podiebradii* nixus, pactis Basileensibus nihil pensi habitis, *communionis sub utraque specie* necessitatem, qua dictionibus suis, qua scriptis divulgatis ita impune affirmabat, ut præter Bohemos etiam plerosque Moraviæ Barones, magnamque populi multitudinem in suas partes traxerit. Sed opportune venit in Moraviam *Joannes Capistranus* Ordinis S. Francisci FF. Minorum de observantia, natione Italus, qui præclara dicendi copia, vitæ sanctitate, ac singulari vitia insectandi studio clarus, quoties ad populum dixit, admirationem movit maximam. Nuntius hic apostolicus a *Nicolao V.* Pont. in Bohemiam missus, ut devios in viam reduceret, litteris *Friderici III.* Cæsaris munitus, a Bohemiæ Gubernatore publicam fidem præstolari Brunæ cogitur. Qua in urbe divinum verbum prædicans, duobus semper usus interpretibus est: altero Bohemo, Germano altero, qui latina ejus dicta, lingua vernacula explicarent. Inprimis autem adversus *Rokicz'anam* multis asserebat rationibus, *communionem utriusque speciei* haut esse omnibus necessariam. Id adeo pronis acceptum auribus, ut præter Nobiles plurimos, *Wenceslaus a Boskovitz*

d) Aen. Silvius hist. Boh. c. 58. — Cochlæus l. c. — Pessina MM. p. 651. seqq.

1. *Augusti.* Moraviæ Camerarius, relictis erroribus, veritatem Romanæ Ecclesiæ cum duobus subditorum millibus amplecteretur. *e*)

18. *Augusti.* XXX. Fructuoso lætus labore *Capistranus*, Bruna Wiskoviam, inde Olomucium concessit: ubi a novo tunc Decano *Bohuslao de Zwole* hospitio exceptus, indies docebat populum tanto concursu frequentem, ut amplissimo etiam templo non caperetur. Hinc sæpe in area ante cathedralem ecclesiam, vel in foro urbis, interdum extra urbem (vulgo na Bělidlách) concionari solitum, ejusque audiendi caussa fere centum millia hominum quadam Dominica die concurrisse, ajunt. Nec sine fructu maximo. Testatur quippe *Capistranus* ipse in epistola ad Viennensem Universitatem data, non solum Barones, Nobiles, Sacerdotes, & alios amplius quater mille Moravos in cœtum fidelium a se receptos; sed & innumeros pene eorum, qui dominio Nobilium conversorum subjacent, Hussitarum heresin abjurasse. *f*) *) His laboribus evangelicis intentum, Promarchio Mo-

e) Aen. Silvius in Europa c. 23. — Dubrav. L. XXIX. init.— Amandus Hermann in libro: *Capistranus triumphans* Sect. XVII. c. 2. p. 334. seqq.

f) Epist. Capistr. ap. Cochlæum l. c. L. X. pag. 374. & Hermann. l. c. p. 336. qui ex Archivo Capistranensi ait: ad mensem Majum anni sequentis ultra undecim millia hæreticorum ad fidem catholicam rediisse.

*) Olomucii Capistranus pro Fratribus Minoribus observantibus suscepit conventum in loco, qui olim na Bělidlách, nunc in der Pilten dicitur, populo id postulante, ac præbente sumtus necessarios cum consensu Episcopi Olomuc. — Tum locus iste erat in suburbio, nunc muro communi, vallo, & propugnaculis cingitur. *Vid. Hermann l. c. p. 336.*

Moraviæ *Joannes de Cymburg*, haut dubie impulsu *Rokicz'anæ*, interpellat *Capistranum* severis oppido litteris: *doctrinam ejus veneno aspidum refertam detestatur*; *fideles ab Evangelii veritate seduci queritur*; *malle se potius mori*, *quam dogmatis illius fallacibus consentire*, *adserit*. Cui vir apostolicus paucis diebus ante, quam Olomucium deseruit, hunc in sensum respondit: " Graves, periculosas, & perniciosas accepi " litteras; ignarus tamen, an sincera animi " Tui sensa detegant, quod singularis Tua " rebus in omnibus intelligentia, & circum- " spectio affirmare vetat. Attamen perspicio, " Te pacta Basileensia, aut minimi pendere, " aut curam eorum deponere. Hinc tanto " magis vicem Tuam doleo, ac mœrore ad- " fligor, quanto clarius cognosco, Te vi- " rum ingenio, prudentiaque acutissimum ig- " norare, qualem pactores in his, quæ ad spe- " ciale mandatum attinent, auctoritatem ha- " buerint. Vale interim, dum Te propriis oculis inspexero, ad gloriam sempiternam. „ g) Qua mente hæc acceperit Promarchio, ceteroquin militiæ, pacisque artibus clarissimus, non liquet. *Capistranus* autem Brunam revertit, ac novam in vinea Domini messem concionibus suis collegit. *) Atque hinc factum, ut *Jo-*

25. *Augusti.*

7. *Septembris.*

g) Utraque epistola apud Cochlæum l. c. p. 374. seqq.

*) Hic pariter pro Fratribus observantibus religiosum suscepit domicilium, quod ex piis fidelium eleemosynis in suburbio extra portam judaicam brevi tempore extructum est, teste Hermanno l. c. p. 339. — Sed Magistratus Brunensis ano 1650. adsignavit PP. Franciscanis desolatam quamdam ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ intra muros sitam, non procul ab eadem porta judaica, ubi olim stetit

Joannes Rokicz'ana ad eos animarum fructus indignatione exardescens, acerbas ad *Capistranum* litteras Brunam mitteret. Mox ad dolos, & fraudes conversus, aliis litteris eundem ad disputationem, publicumque colloquium invitabat, definitis quibusdam locis, sibi valde idoneis, scilicet: Trebovia Moravica, vel Broda Teutonica, vel Pellicensi monasterio. Contra *Capistranus* Olomucium vel Brunam, civitates utrique opportunas, colloquii locum esse voluit. *b*) Tandem conciliatoribus viris illustribus. *Wenceslao de Boskovitz*, & *Joanne de Pernstein*, locus disputationis deligitur Crumlovium, Procerum Rosensium oppidum; tempus vero festum SS. Simonis & Judæ Apostolorum. Itaque Bruna discedens *Capistranus*, apud Znoymenses, atque in itinere Crumlovium usque de rebus divinis pari cum fructu ad populum dixit. Sed inde ad alia Bohemiæ loca abire cogitur, quod *Ulricum Rosensem* a *Georgio Podiebradio* monitum esse perceperit, ne oppido reciperetur. Ita technæ patuerunt *Rokicz'ana*, ad quem perinde ac Bohemos Ordines *Capistranus* Ponto longiorem dedit apologiam. *i*)

18. *Septembr.*

XXXI. Isthoc religionis dissidium non minus, quam violentum *Podiebradii* imperium, Bo-

---

stetit Judæorum synagoga. Huc introducti sunt auctoritate Ferdinandi III. Imper. & Leopoldi Guilielmi Archiducis, Episc. Olomuc. consensu. Ecclesiæ novæ año 1654. suprema fuit manus imposita, & año 1673. eadem est consecrata a Carolo Episcopo Olomuc. *Vid. Hermann. l. c. pag.* 343.

b) Hermann l. c. p. 339. & 344. ubi has litteras prolixe refert.

i) Cochlæus l. c. p. 373. — Hermann l. c. p. 365. & 377.

Bohemos novo incendit desiderio *Ladislai Regis*. Ubi primum igitur Cæsar cum eodem Roma in Austriam rediit, pactionibus sese obstringunt quidam Bohemi, Hungari, & Austrii Proceres, statuuntque apud animos *Ladislaum* armis in libertatem vindicare. Accedunt consociationi, invito licet Promarchione, ex Proceribus Moravis: *Wenceslaus de Kravarz in Gitschin, Gesko de Boskovitz in Swoganow*, & *Christophorus de Lichtenstein*. Conflato sexdecim millium exercitu, per legatos poscunt a Cæsare extradi *Ladislaum*. Quo haud obtento, copias in Austriam inducunt, cæsarianam profligant aciem, mœnia Neostadii machinis oppugnant. Cæsar insolentia periculi motus, promisit dimissum iri *Ladislaum*, dum in publico Viennæ conventu statutum fuerit, qua ratione subjectas sibi provincias moderari queat. Præter Bavariæ, Saxoniæ, & Brandeburgi Duces, aliosque Germaniæ Principes, convenerunt indicto die Hungariæ, Bohemiæ, & Austriæ delecti Ordines; accersitus quoque *Joannes de Cymburg* Promarchio Moraviæ, cum octo primariæ nobilitatis Proceribus aderat. Plurima deliberatione habita, id postremo decretum, ut hereditariis in provinciis gubernatio iisdem, qui eam antea gerebant, prorogaretur. *k*) Inde Præfectus Austriæ *Ulricus Comes Ciliæ*, in cuius potestate *Rex Ladislaus* erat, eundem in Hungariam, ubi in cunis jam coronatus est, primum deduxit. Receptis autem Posonii in fidem Hungaris, Viennam rediit, neque adeo celeriter in Bohemiam festinare videbatur. Quare Proceres Moravi, qui officia sua in *Ladislaum* conferre

A. C. 1452.

11. *Novembr.*

1453.

k) Aeneas Silvius hist. Boh. c. 60. — Gerard de Roo l. c. L. VI. p. 208. seqq. — Dubrav. L. XXVIII.

ferre præ ceteris cupiebant, clam egerunt cum Ciliensi Comite, ut, quandoquidem iter in Bohemiam differtur, in vicinam saltem Moraviam Rex veniret, & quemadmodum *Albertus Pater* Moravos prius, quam Bohemos regendos suscepit, suprema Marchionatus gubernacula capesseret. Annuit postulatis Comes, certumque diem profectionis in Moraviam præstituit: id quod postea ægre tulerunt Bohemi.

Ladislaus Mor. March. XVII.

XXXII. Pridie nonas Julii *Rex & Marchio Ladislaus* Brunam contendit, ubi a Nobilitate, Senatu, omnibusque Ordinibus, qui ad medium milliare obviam ei processerant, honorificentissime exceptus, umbellam primariis nobilium sustentantibus, in urbem ac templum S. Petri faustis omnium acclamationibus & applausu deducitur. Altera die, postquam jusjurandum de servandis, tuendisque Marchionatus legibus & privilegiis de more præstitit, etiam ab Ordinibus universis sacramentum fidelitatis exegit. *l*) Pluribus dein diebus Brunæ commoratus, inter alia Olomucensibus diplomate concessit, ut nundinas in Pentecoste haberi solitas in diem Dominicam post octavam Theophoriæ transferrent. *m*) Demum comitiis & Posonii, & Cornaburgi adfuit prius, quam pro dignitate Regis in Bohemiam iter dirigeret. Quo per Moraviam suscepto, Iglaviam venit, a *Georgio Podiebradio* & præcipuis Bohemiæ Proceribus, haud secus magnifice, ac splendide exceptus. Post tres hebdomadas acceptis Bohemorum condi-

31 Octobris.

l) Cztibor de Cymburg de Regim. Polit. Morav. ap. Strz'edowsky Apograph. Vol. III.

m) Diploma feria II. post Magdalenæ datum Brunæ a. ap. Strz'edowsky l. c. Vol. VI. p. 2.

ditionibus, ac fide utrinque data, firmataque tabulis, cum ornatissimo comitatu quater mille equitum (*inter quos nobilissimi quique ex Moravis*) profectus Prtgam est, ubi coronam regni Bohemiæ solenni ritu accepit a *Joanne Episcopo Olomucensi*, adstante præter alios tres Episcopos *Dionysio* Strigoniensi Archiepiscopo & Cardinali. n) *) Sub idem tempus diremta Pragæ est controversia, quam coram *Ladislao* Rege habuerunt Bohemi cum Morrvis Illi nimirum istos accusabant per *Alessium Holiczky a Sternberg*, quod consuetudinem instar legis receptam violaverint, quæ Regem ante, quam regno inauguretur, a provinciis coronæ unitis suscipi vetat. Quum igitur Moravi nuper *Ladislaum* Bohemis citius in Dominum & Marchionem receperint: iccirco factum corrigi, eique denuo, uti a vasallis coronæ Bohemiæ, sacramentum dici poscebant. Respondit *Wenceslaus a Boskovitz* Moravorum nomine, eorumque justam agendi rationem his argumentis probavit: " 1) Moravi " *Ladislao* hereditario suo Domino, eam præsti- " te-

28. Octobris.

n) Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. p. 270.

*) Dubravius hist. Boh. L. XXIX. & ex eo quidam alii scribunt: *Ladislaum* a Dionysio Strigoniensi Cardinali & Archiepiscopo coronatum esse. — At idem Dubravius in serie Episcoporum Olomucensium id Joanni Hazzo Brunensi, Episcopo Olomuc. tribuit his verbis: *Hic* (Joannes Episc. Olom.) *Ladislaum Alberti filium regio diademate imposito in Bohemorum Regem innuxit.* Hinc (*ut ait Ziegelbauer Olom. Sac. P. I.*) Dionysius Metropolita Strigoniensis tantum præsentia sua, ut hospes actum illum reddidit splendidiorem. Certe Ungaricus scriptor Bonfinius Dec. III. L. VII. p. 507. ubi de coronatione Pragensi narrat, eam a Strigoniensi Antistite peractam esse, altum tacet.

" terunt fidem, quam patri illius *Alberto*, ac le-
" gitimis heredibus dederant. 2) Jam inde
" ab infantia *Ladislai* fideles illi constanter in
" officio manserunt; quum Bohemi exteros
" quaesiissent Reges ac Dominos. 3) *Moravi*
" *nequaquam sunt vasalli Bohemorum, sed ingenua,*
" *ac libera natio non minus, quam Bohema.* Non
" igitur Bohemis quocunque modo sunt obno-
" xii, sed solum Bohemiae Regi. 4) Neque
" in regione ac finibus Bohemiae, sed in pro-
" prio Moraviae solo legitimum suum Domi-
" num receperunt: non aliter in posterum fa-
" cturi, si non electum, sed hereditarium na-
" cti fuerint Regem. "

XXXII. Haud aequis accepta auribus haec defensio, novam in disceptationem cecidit. Sed interventu Hungariae & Austriae Procerum, qui *Ladislaum* comitati Pragam sunt, sedata amice controversia, *Alessius Holiczky* comiter appellavit *Moravös*, palam testatus, nihil ab eis praeter aequum & bonum fuisse gestum, quum ante Bohemos officia sua in *Ladislaum* contulerunt; neque illos Bohemis quoquo modo esse obstrictos, sed *Bohemorum fratres & vicinos pari ratione esse liberos.* o) Itaque utrisque factum satis. Moravi palinodia ista contenti, remigrarunt in patriam, ut Bruna in Poloniam magnifice deducerent *Elisabetham*, *Ladislai* Regis sororem, quam Polonorum legati *Casimiro Regi* suo conjugem impetrarunt. p) Verum non multo post Mora-

o) Extractus ex Libro Cztiborii de Drnovitz ad calcem Differt. de primo Marchione Moraviae. — Item apud Strz'edowsky Apographor. Vol. III. p. 57. seqq.

p) Cromerus Rer. Polon, L. XXII. p. 500. & 504. ubi

ravorum delecti rurſum evocati in Bohemiam fuere. Nam Conſtantinopoli a *Mahumete II.* Turcarum Imperatore capta, Hungari egebant ſuppetiis, ut hoſtem finibus prohiberent ſuis. Quocirca *Ladislaus Rex* prima celebravit Pragæ comitia, quibus interfuerunt ex Moravia: *Henricus de Lippa*, *Chriſtophorus de Lichtenſtein*, *Wenceslaus de Boskovitz*, *Joannes de Waldſtein*, & præterea ſex Nobiles. Inter alia decretum unanimi conſenſu eſt, ut Hungaris quantocius mitterentur auxilia, nempe ſex millia peditum, & mille ducenti equites cataphracti. Horum acceſſione *Joannes Corvinus Hunniades*, Prorex Hungariæ, in ſpem gerendæ rei erectus, adverſus Turcas Serviæ infeſtos duxit, atque ad Samandriam de iis memorabilem reportavit victoriam. *q*) Quin & ſymbolam ſuam contulerunt Moravi ad aliam victoriam, quæ ad Belgradum obtenta altero anno per *Joannem Corvinum* fuit. Quapropter dignos cenſuit *Rex Ladislaus* Moraviæ Proceres, quibus eam victoriam notam faceret plenis benevolentiæ litteris, Viennæ datis. *r*) Nec mirum pugnaces Moravos alacrem dediſſe operam rei militari. Siquidem *Rege & Marchione Ladislao*, tanta rerum tranquillitate fruebatur Moravia, quantam viri ætate confecti haud meminerant. In eum ſtatum regio pervenit potiſſimum prudentia Promarchionis *Joannis a Cymburg*, viri religione

A. C. 1454

1455.

1456. 6. *Auguſti.*

---

ubi ait, ex eo connubio natum eſſe *Wladislaum* Marchionem Moraviæ, ſtirpis Jagellonicæ primum.

q) Balbinus Epit. p. 508. ex Cod. MS. Biblioth. Cæſar. Vienn. — Et Aeneas Silv. epiſt. ad Capiſtranum data hoc año Calendis Novembr.

r) Litteræ ap. Peſſinam MM. p. 677. — Dubrav. hiſt. Boh. L. XXIX. — Koo hiſt. Auſtr. L. VI. pag. 223.

ne quidem Calixtini, sed in regendis populis industriæ, peritiæque singularis. Is non solum cum *Bohuslao Episc. Olom.*, qui *Ladislao* Regi a consiliis fuit, sed cum aliis etiam Moraviæ Baronibus in publico Brunæ conventu novum iniit fœdus, ut adversus quoscunque pacis turbatores armatis insurgerent viribus, nec ullo modo quietem Moraviæ turbari spatio proximi biennii paterentur. Quod litteris solennibus firmatum, sane quam opportune contigit: quippe magna rerum conversio secuta. *s)*

22. *Septembr.*

XXXIII. *Rex Ladislaus* ad conjugium, suadentibus provinciarum Ordinibus, adjecit animum. Digna tanto Rege delecta conjux fuit *Magdalena*, Galliarum Regis *Caroli VII.* filia. Ad eam proxime adducendam adornata jam legatio splendidissima, in qua præter alios fuerunt ex Moravis: *Stephanus de Lichtenburg*, & *Gessko de Horka.* Constitutus etiam locus Pragæ nuptiis celebrandis, ad quas *Fridericus Cæsar* & Augusta, ambæ Regis sorores, Duces Bavariæ & Saxoniæ, plerique omnes Imperii Principes invitati. Verum hæc magno quum parantur studio, *Ladislaum* ægritudo invadit. Sederat pro tribunali, *Georgio Podiebradio*, & *Barone de Cz'ernahora* Moravo de natalium splendore adeo litigantibus, ut alter alterum provocaret ad singulare certamen. Interea tristem Regis vultum notarunt omnes, idque signum instantis ægritudinis judicatum: uti reipsa deterius semper habuit, quoad sex & triginta horarum spatio, *Rex ætate ac forma florens, longiore vita dignissimus*, extinguitur. Veneno necatum a Po-

A. C. 1457.

23. *Novemb.*

s) Litteræ in Cod. Towacz'. ap. Strz'edowsky Apograph. Morav. Vol. III. p. 29. seq.

Podiebradio credidere qlerique; ſed hunc a crimine iſto liberant Bohemiæ ſcriptores. *t*) Inſperata *Ladislai* mors incredibili luctu & mœrore complevit Moraviam, ac brevi etiam pace diutina privavit. In Bohemia ſummus Gubernator *Podiebradius* inſignem captivum *Mathiam, Joannis Corvini Hunniadis* filium (quem *Ladislaus Rex,* ne cædem fratris, a quo necatus Ciliæ Comes eſt, ulciſceretur, ſuam ante mortem Vienna Pragam adduci juſſerat) libertati ocyus reſtituit, atque amici loco habuit. Immo audita ejus in Regem Hungarorum electione, filiam ſuam *Catharinam* illi deſpondit, ac demum a filio ſuo *Victorino,* ſplendidoque comitatu Straz'nicium uſque (oppidum in Moravia Hungariæ proximum) deducendum curavit. Huc loci præter *Mathiæ Corvini matrem Eliſabetham* confluxere præcipui Hungariæ Proceres, tum novi Regis ſalutandi, tum ſponſalium firmandorum cauſſa. Appulit etiam ipſe *Podiebradius,* confectæ utrinque ſunt fæderis & connubii tabulæ: alias *Eliſabetha* & Proceres Hungari decem ſubſcripſerunt; alias ſigillis ſuis muniverunt Barones Moravi *Georgius de Kravarz' & Straz'nitz, Joannes de Pernſtein, Joannes Zagimacz' de Cunſtad* cum ſex ceteris. *u*) Redux in Bohemiam *Podiebradius,* interfuit Pragæ comitiis, in quibus de electione novi Regis agebatur Cæſar quidem *Fridericus,* duo Reges, tres Germaniæ Duces, coronam Bohemiæ ambie-

A. C. 1458. 22. *Januarii.*

7. *Februarii.*

t) Aen. Silv. hiſt Boh c 70. ſeq. — Dobner. mon. ined. T. I. p. 218. — Pelzel hiſt. Boh. tertium editæ p. 442.

u) Litteræ Hungarorum & Podiebradii datæ in caſtro Straz'nitz ap. Balbin. Epit. pag. 513. — De captivitate Matthiæ Corvini vid. Bonfinius Dec. III. L. VIII. p 521. uſque ad finem, & Dec. III. L. IX. p. 529—536.

bierant; potissimum tamen adnitente *Rokicz'ana*, illis omnibus præfectur, ac Bohemiæ Rex eli-
2. *Martii.* gitur *Georgius de Podiebrad*, invitis Catholicis, sed repugnare non ausis. Brevi spatio inter-
6. *Maji.* jecto, regium diadema ejus capiti imponitur ab *Augustino Jaurinensi*, & *Vincentio Vaciensi* Episcopis Hungaris. Pragensis enim Archiepiscopatus vacabat, *Protasius* vero Episcopus Olom. nondum fuit a Sede apostolica confirmatus. x)

XXXIV. Ad ornandam regiæ inaugurationis celebritatem invitati de more fuerunt etiam Moraviæ Ordines; at præter Episc. Ol. *Protasium*, & Promarchionem cum filiis *Czziborio* & *Joanne* comparuerunt perpauci, delecti vero civitatum prorsus nulli. Erat nimirum Rex *Georgius* nobili Baronum genere natus, artium civilium, reique militaris longe peritissimus; sectæ autem *Utraquistarum*, *seu Calixtinorum* jam inde a teneris plurimum deditus. Hinc Moravi catholicæ fidei, quam paucis abhinc annis *Capistranus* doctrina sua firmaverat, studio inprimis accensi, aliquamdiu ejus detrectaverunt regimen. Paria fecerunt Lusatiæ & Silesiæ Proceres. Moravos primum sub ditionem suam subjungere statuit *Rex Georgius*, vocatoque sub
6. *Junii.* signa milite in Moraviam contendit. Ex itinere Telcz'io, Slavonicio, Gemnicio, & castro Wranow in potestatem redactis, cum eorum Dynastis Znoymam petiit. Qua in fidem recepta, decretum tota in Moravia promulgandum jussit, ut omnes Ordines sacramentum dicturi, Brunam IV. nonas Julii convenirent. Mox ad eam urbem cum exercitu movet. Ad-

---

x) Balbin. ibid. p. 514. — Cochlæus L. XII. p. 411. — Pelzel l. c. p. 445.

Adventantem Brunenſes, occluſis portis, introitu prohibent; ſequente autem die, quum Rex oppugnationem urbis pararet, intromiſſum excipiunt honore Marchionibus proprio. Horum exemplo pariter ac *Protaſii Epiſc. Olom.* hortatu Olomucium, Hradiſtium, Uncz'ovia, Litovelia dominatum *Georgii* ſubiverunt. Juratum dein Brunæ in verba Regis, poſteaquam & ille ſe jurejurando obſtrinxit ad tuendam religionem catholicam, & Marchionatus Moraviæ jura, libertates, ac privilegia diplomate firmavit. *a*) Attamen civitas Iglavia nondum paruit, *nolens fidem ſuam a fide catholica alieno*, ut dicebat, *credere*. Exarſit Rex iracundia, miſſoque filio ſuo *Victorino* cum copiis, urbem obſidendam curat. Sed Iglavienſes præſidio *Alberti* Archiducis Auſtriæ muniti, obſidionem ad quintum uſque menſem opinione diutius ferunt. Novis tandem copiis e Bohemia adductis, quæ Danubium verſus Auſtriæ fines hoſtiliter vaſtarent; Moravorum Proceres *Henricus de Lippa.*, *Carolus do Wlaſſim*, *Cztiborius & Joannes Cymburgii fratres*, Iglavienſibus Regem placatum reddiderunt. Soluta igitur obſidio hac lege: *Ut cives ſacramentum Regi dicerent, ejusque præſidium in urbem reciperent; liceret autem illis ſub una tantum ſpecie, uti vehementer deſiderabant, ſacram ſynaxim percipere. b*) Hunc in modum ſubacta jam Moravia, Luſatia quoque & Sileſia regiis ſe armis ſubmiſerunt; ſola urbs Wratislavia gra-

4. Julii. Georgius Podiebradius, Rex Boh. & Mor. March. XVIII.

a) Diploma in Cod. Towacz'ow. l c. p. 34. ubi recenſentur Moraviæ Proceres, qui tum aderant. Vid. & Cochlæus l. c. Et Jacobi Picolom. Card. de Georgio Podiebradio hiſtor. narratio ap. Freherum rer. Bohem. ſcriptor. p. 215.

b) Cochlæus l. c. p. 413. — Dubrav. L. XXX.— Peſſina MM. p. 695.

gravius facessivit negotium. Quare firmandis undique rebus intentus Rex, denuo in Moraviam singulariter placabilis excurrit, ac Znoymæ aliquamdiu moratus, de ineundo fœdere consilia cum Cæsare contulit per internuntios. Progressus dein Brunam, inde Hradisstium, ac denique Olomucium: ubi celebre illud diploma dedit Olomucensibus, quod laudes hujus Metropolis haud vulgares complectitur, *c*)

A. C. 1459.

16. Februarii.

XXXV. Hac voluntatis inclinatione propendens in Moraviam Rex *Georgius*, quum suam ad sectam allectaret neminem, nedum a sacris & ritibus ecclesiæ catholicæ quempiam arceret: multo amiciores sibi conciliavit Moravos. Convicit demum eos benevolentiæ suæ, invitato Brunam *Cæsare Friderico*, quocum de mutuis fœderibus, certaque pactorum lege præsens ageret. Advenit Cæsar amplissimo cum comitatu Brunam, cui *Rex Georgius* cum tota pene nobilitate Moraviæ longius processit obviam, & singulari lætitia in urbem deductum, exquisitis adfecit honoribus. Suscepta multis de rebus consultatio; feriis tamen negotiis alia quoque interposita. Ac primum Cæsar omnia regni Bohemiæ privilegia solemni diplomate rata habuit. *d*) *Nicolaum de Lobkowitz*, ejusque conjugem *Sophiam de Zierotin* Ordine Amprisiæ (*Sto-*

28. Julii.

31. Julii.

4. Augusti.

c) Diploma MS. ap. *Stredowsky* Apographor. Moraviæ Vol. VI. p. 1. — — Inter alias laudes Olomucium ibi vocatur: *Inclita, vetus, & celeberrima civitas, ex nomine Julii Cæsaris olim fundata, & Julii mons nuncupata &c.*

d) Diploma Cæs. Frider. Brunæ hoc año datum ap Lunig. Part. Spec. Cont. I. p. 83. tit. *Bohemia.*

alba cum tribus liliis) insignivit. *e*) *)
latus nobilitati dies ad industriam & ha-
em corporis ostendendam in stadio, pa-
equestri, ceterisque ludis: in quibus pal-
ulerunt ex Moravis: *Hostislaus de Ziero-*
orgius de Kaunitz, Hinko de Prussinovitz cum
ndecim Baronibus. *f*) Deinde Cæsar &
nutuam armorum societatem tabulis, &
ando firmant adversus eorum hostes, no-
m excepto Romanæ Ecclesiæ Pontifice. *g*)
ue *Rex Georgius* sedit arbiter controversiæ
em inter, & *Mathiam* Hungariæ Regem.
nim a paucis Hungaris Proceribus Rex
r Mathiam uti legitimum Regem nec-
abuit, eique coronam Hungaricam tra-
olebat. Auditis ergo partibus, *Georgius*
lgato Brunæ decreto statuit, ut servatis
ue induciis, Olomucii ad VIII. calendas
rias anni sequentis adessent. *h*) Ita so-
runensi conventu, Cæsar Viennam pro-
ns, Zidlochovicium (Zelowitz) divertit,
hone juniore de Waldstein lautissimo exce-
ospitio; *Georgius* in Silesiam ad subigen-
Vratislavienses abiit. Stato autem die
Olo-

11. *Augusti.*

12. *Augusti.*

---

mersberg Diplomat.
no - Silesiaco pag.

dinem hunc idem
rsberg vocat: Or-
der Blumentöpfe.
tus est ab Alphon
Aragonum Rege in
em B. V. Mariæ, in
vigiliis, & solenni-
iebus deportandum
nsigne illius ordi-
ola alba cum tribus
Jusjurandum vero
præstabatur de servandis
singulis punctis & capi-
tibus dictæ Amprisiæ.
Vid. diplomat. cit.

f) MS. Pernstein ap. Pessi-
nam MM. p. 701.

g) Lunig. l. c. p. 67. tit.
Cæsar.

h) Schmid Geschichte der
Deutschen L. IV. p. 266.
— Edictum R. Georgii
ap. Pessinam M. M. pag.
703.

A. C. 1460. 25. Januarii. Olomucium venit, dicturus laudum legatis Cæsaris, & *Mathiæ Regis*. At neque præsenti, neque alio Calendis Maji habito Olomucii congressu, quidquam transactum est: quod Cæsarei duris agerent conditionibus, quas Hungari minime acceptabant. *i*) Itaque sacram regni Hungariæ coronam Cæsar non nisi anno 1463. *Regi Mathiæ* reddidit, solutis sexaginta millibus aureorum ab Hungaris. *k*)

XXXVI. Meliore exitu *Georgius* cum Rege Poloniæ *Casimiro* icit fœdus, cujus Orator fuit *Joannes de Cymburg in Gitschin*, Moraviæ Promarchionis filius. *l*) Regem vero Hungariæ *Mathiam* vinculo amicitiæ sibi devinxit, quum secundum pacta Straz'nitzii in Moravia tabulis nuper firmata, *Catharinam* filiam suam 1461. duodennem illi in matrimonium dedit, posteaquam Olomucii pactus cum legatis Hungaris de bonis dotalibus est. *m*) Tot, tantisque fœderibus stabilitum *Georgii* regnum, merito firmum, ac florentissimum fore videbatur: quod tamen discordia convulsit gravissime. Rex enim pravis *Rokicz'anæ* consiliis in defendenda Calixtinorum secta obstinatior, missis Romam legatis, compactata Basileensis concilii a *Pio II.* 1452. Pont. (*olim Aeneas Silvius dicto*) confirmata voluit. Is autem non solum postulationi restitit, sed & legatum suum *Fantinum de Valle* in Bo-

i) Pessina ex litteris publicis in Marte Mor. p. 709. seqq.

k) Roo hist. Austr. p 273. — Bonfin. Dec. III. L. X. p. 559. — Schmid Geschichte der Deutschen. l. c.

l) Pessina l. c. pag. 715. Et Cromerus rer. Polon. L. XXIV. sub finem. — Qui enumerat conditiones ejus fœderis.

m) Balbin. Epit. p. 521. — Bonfin. l. c. p. 548.

Bohemiam misit, ut Rex sacram Synaxim sub utraque specie Bohemis ac Moravis prohiberet. Dici non potest, quam ægre tulerit *Georgius* eam Rom. Pontificis agendi rationem, dumque insuper *Fantinus* in comitiis Pragam coactis vehementius in Regem inveheretur; hic adeo ira efferbuit, ut legatum gravis injuriæ reum, dederit in custodiam, qua undecim hebdomadum spatio tenebatur. Inde perniciosa discordiarum moles exorta. *n*) Interea tulit Rex opem Cæsari *Friderico*, qui una cum conjuge *Eleonora*, & quinquenni filio *Maximiliano*, in arce Viennensi a civibus, atque etiam a fratre suo Archiduce *Alberto* obsessus, extremum adiit periculum. Ad quod depellendum *Georgius Rex* filium suum *Victorinum* cum tribus peditum millibus, & octingentis equitibus in Austriam properare jussit. His ad Znoymam accesserunt Maravi Proceres cum copiis suis: *Hinko de Lippa* Moraviæ Promarchio, *Joannes de Pernstein*, *Joannes de Waldstein*, *Stephanus de Lichtemburg*, *Przibiko de Miliczin*, *Hanussius a Lichtenstein & Nicolsburg*, *Wenceslaus de Bitow*, multique alii Equestris Ordinis viri, ita ut Moravia 2300. pedites cum 400. equitibus Cæsari auxilio miserit. Collectum ita exercitum *Victorinus* magna celeritate ad urbem Viennam admovet, omnique impetu in muros illius provolare jubet. Sed adversa tempestate, atque amplius viginti millibus rebellium obsistentibus, signum receptui datum. Paullo post ipse *Rex Georgius* cum octo armatorum millibus, quæ po-

17. *Novemb.*

n) Cochlæus L. XII. p. 426. seqq. — Pelzel hist. Boh. p. 451 — 454. — De ortu & progressu harum dissensionum fuse agunt Bohemiæ scriptores.

potissimum ex nobilitate Bohema & Morava paravit, celeriter advolans, pacificator evasit. Quamobrem Cæsar e manibus rebellium ereptus, Korneoburgi amplissimas *Georgio Regi* gratias egit, ejusque filios *Victorinum* & *Henricum* auctoritate imperiali *S. R I. Principes* creavit, præter alia privilegia Bohemiæ regno concessa. *o*) Sed & Moravis obnoxium se agnovit *Cæsar Fridericus* dato diplomate honorificentissimo, quo dilaudat navatam sibi operam Promarchionis, Baronum, nobilium, & incolarum Marchionatus Moraviæ, atque *Aquilæ scaccata, qua ipse Marchionatus pro armis, & insignibus hactenus utebatur, colorem album in glaucum sive aureum transmutat. p*) *)

7. Decembr.

XXXVII. Simul atque in Bohemiam *Georgius* revertit, legatum Pontificium *Fantinum* libertati reddidit, factumque suum, datis ad R. Pontificem litteris modestiæ plenis excusabat. Dein mense Junio Brunæ comitiis magna omnium ordinum frequentia habitis, *Victorinum* filium suum *Promarchionem Moraviæ* nominavit. *q*) Summus autem Pontifex ægerrime ferens viola-

A. C. 1463.

o) Cochæus l. c. p. 429. — Dubrav. L. XXX. — Gerardus de Roo. hist. Aust. L. *VII.* p. 256. seqq. — Schikfusius L. II. c. 30.

p) Diploma in Iurib. primævis Morav. ap. Benedict. *Rayhradenses* p. 39. seqq.

*) Nil quidquam tamen in Aquilæ colore immutasse Moravi videntur, cum post in Barthol. Paprocii speculo, quod an. 1593. editum est, in fronte Aquila Moravica *colore albo & rubeo*, quem alias præferebat, scaccata exhibeatur, hodieque obtineat.

q) Cochæus l. c. p. 434. — Pelzel hist. Boh. p. 455. seqq. — Pessina M. M. p. 733. seqq.

latum in legato ſuo jus gentium, Wratislavienſes adhuc *Georgio Regi* adverſos, in ſuam & Apoſtolicæ ſedis protectionem ſuſcepit, pœna excommunicationis in eum lata, qui *Georgio* illos oppugnaturo adſiſteret. Quum autem Rex nihilo minus Wratislaviam ferro ſubigere pararet; Pontifex datis litteris, eundem ſtato die in judicium Romam arceſſit. Sed interveniens mors illius, Regem ab hoc judicio liberavit. r) Succeſſor *Paulus II. Pont* initia Regiminis a novo adverſus *Georgium* claſſico exorſus eſt, jacto belli ſemine ab *Hinkone de Liechtemburg* Dynaſta Moravo. Is Regi ſuo contumax, in caſtro ſuo Cornſtein ſive Czornſtein tota ferme æſtate tum regiis, tum Moraviæ Procerum armis oppugnatus, ſimulatione deditionis a *Victorino* obſidionis Præfecto, trium dierum inducias obtinuit. Quibus in rem ſuam uſus, & commeatum obſidioni tolerandæ neceſſarium intulit in caſtrum, & ejus defendendi cura *Joanni Scharovecio* nobili ac ſtrenuo militi commiſſa, Romam feſtinavit. Fraude *Hinkonis* patefacta, etiam hieme caſtri obſidio continuata; ille autem Romæ Pontifici, ſe religionis cauſſa a Rege oppugnari, tanto perſuaſit opere, ut Pontifex miſſo legato ſuo *Rudolpho Epiſ. Laventino*, datisque ad *Protaſium Epiſ. Olom.* & alios duces litteris, ab obſidendo caſtro militem ocius revocari juberet. s) Verum & *Rex Georgius*, & *Protaſius Ep. Olom.* & ceteri duces Catholici, diſertis affirmabant litteris tum Pontifici, tum ejus lega-

1464. 15. *Junii.*

14. *Septemb.*

1465. 21. *Januarii*

 ga-

r) Cochlæus l. c. p. 430. ſeq. — Bulla Pii II. Pont. data XVII. Calend. Julias ap. Peſſinam M. M. p. 734. ſeqq.

s) Scriptores Boh. & Peſſina M. M. p. 737. ubi litteras Pauli II. Pont. refert. — Pelzel l. c. p. 457. ſeqq.

gato *Rudolpho*, castrum Czornstein non religionis, sed rebellis *Hinkonis* ergo obsideri, qui vatiniano inflammatus odio, imperium Regis unus omnium abnuit. Quibus nihili factis, legatus obsessores diris ecclesiasticis devovendos, eorum civitates & oppida interdicto subjicienda minatur: præmissa ad *Protasium Epis.* & Capitulum Olomucense epistola. *t*) Præcipites parvi penduntur minæ.

24. *Maij.* XXXVIII. Castrum ad deditionem fame adactum, solo æquatur, partem bonorum *Hinkonis* cum arce Bitow *Stephano* illius fratri, partem *Kragirio* duci suo Rex donat. Rebellis *Hinko* Summi Pontificis opem implorat, simul & obtinet. Pontifex enim patentibus, ut vocant, litteris Regem in judicium Romam vo-

2. *August.* cavit hac verborum formula: *Georgius de Podiebrad* 180. *die compareat, Procuratori fidei super hæresis relapsu responsurus.* Quum vero per id tempus etiam Wratislavienses armis regiis pressi, sedis Apostolicæ protectionem crebris peterent nuntiis; Pontifex non expectato semestri, seu dierum statorum termino, *Georgium*

8. *Decemb.* *tamquam hæreticum, regia dignitate privatum*, coram frequenti Cardinalium senatu declarat, eique subditos ab omni subjectionis vinculo absolvit. *u*) Hæc in Bohemiam & Moraviam delata, magnos civerunt motus animorum, ac

A. C. 1466. prope necessariam minabantur seditionem. Idcirco Rex plenas reverentiæ in Sedem Romanam

t) Diversæ hæ litteræ ap. Pessinam l. c. p. 739. seqq.

u) Pessina l. c. p. 441. seq. Et Epistola *R. Georgii* ad Mathiam Regem Hungariæ mon. ined. Dobner T. II. p. 418. seqq.

nam ad Pontificem Maximum litteras misit, quibus urbem Bohemiæ vicinam ac tutam nominari petit, in qua præsentibus Sedis Apostolicæ legatis ad accusationis capita respondeat. Insuper imploravit Reges ac Principes imperii, meliorem Pontifici cogitationem ut injicerent. Sed horum quoque patrocinia nihil valuerunt Romæ. Quin etiam nova inde mandata accepit *Protasius Epis. Olom.*, ut sublato Utraquistarum ritu, *communionis sub una tantum specie usum* in sua diœcesi institueret. Urbes autem Regiæ: Olomucium, Bruna, Znoyma & Iglavia, monitis excitatæ, *ab Georgio ceu hæretico ut deficerent*. At quemadmodum Episcopus responso statui præsenti perquam accommodate, *quod minus id sibi liceret*, sese excusavit: ita urbes Regiæ Moravorum, datis ad *Paulum. II. Pont.* litteris, responderunt in hanc sententiam: " Nobis, nostrisque liberis, si Sanctitati Tuæ " obsecundemus, honoris, famæ, facultatum " omnium jactura imminet. Neque est, cur " ab *Georgio Rege* desciscamus. Quippe illius " imperio tuti, optata fruimur tranquillitate. " Romanæ Ecclesiæ morem in usu Sacramen- " torum omnium omnes sequimur; nec ulli " impedimento sacris nostratibus Regem ex- " perimur. Hoc modo quum servamus juratam " illi fidem, arbitramur, nos observare Serva- " toris præceptum: *Reddite, quæ sunt Cæsaris,* " *Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* „ Quid ageret Summus Pontifex tot ac tantis precibus & argumentis fatigatus? — Quum Rex negaret, se a Compactatis sacri Basileensis concilii ulla ratione recessurum: Pontifex eundem ipso Natali Domini in Basilica S. Petri, *ut manifestæ hæresis reum, Albo fidelium expungit, regia dignitate privat, subditos pœna excommunicationis ad de-*

 se-

fectionem hortatur. Hujus ſententiæ complura apographa in Bohemia, Moravia, & vicinis provinciis promulganda publicis traduntur curſoribus. *x*)

XXXIX. Contra ſingulari uſus moderatione *Rex Georgius*, comitia Pragam indixit, quibus præter alios ex Moravia, *Protaſius Ep. Olom.* adfuit. Decreta ad Summum Pontificem Regis cauſſa legatio, qua duo Bohemi, & *Joannes Tettaur* ex Moravis egregie perfuncti: Roma tamen infecto negotio redierunt. Rex interim dedit operam, ut cum *Mathia Rege* Hungarorum pacem coleret, quam *Matthæus a Sternberg* Dominus in Lukow, factis in Hungariam excurſionibus, & *ſocietas* quædam *fraterna* de Bohemis & Moravis, prioribus annis turbaverant. Revera *Mathias Rex* ſocietatem illam gravi prælio fudit; *Georgius* magnanimitate ſua *Sternbergium Lukovicnſem* compeſcuit. *y*) Quin etiam, ut palam faceret, ſe nec hæreticum, nec hæreticorum fautorem eſſe, in *Fratres Bohemos & Moravos* (aliter *Waldenſes*, item *Picarditæ* dicebantur) alioſque omnes Compactatorum Baſileenſium violatores edictum ferre decrevit; quos per Bohemiam & Moraviam tam ſedulo inquirendos juſſit, ut plerique illorum, præſertim primores, in montibus & ſilvis diſperſi latebras incolerent. *a*) *) Nihilo

A. C. 1467.

x) Ex publicis litteris, quas per extenſum refert Peſſina M. M. p. 749. ſeqq. — Pelzel l. c. p. 459. ſeqq.

y) Peſſina l. c. p. 772 — 790. ubi fuſiſſime enarrat hiſtoriam Mathæi a Sternberg, & ſocietatis fraternæ.

a) Idem l. c. p. 795. — Aegid. Sexrätter Beiträge zur Böhm. und Mähr. Brüderhiſt. p. 116.

*) *Fratres Bohemi*, aliter *Fra-*

hilo minus Roma infaustæ afferuntur bullæ, ac fulmen Pontificium simul *Regi Georgio*, simul

---

Fratres Agnini (Lamm-brüder, ut supra an. 1 20. dictum est) erant reliquiæ Taboriensium & Hussitarum. Quum enim per Compactata Basileensia in Bohemia & Moravia non liceret aliam religionem, nisi *vel catholicam, vel Calixtinorum* profiteri: sub nomine Calixtinorum sese occuluerunt, eorumque adulationibus Magister Rokiczana aliquamdiu favit. Mortuo *Ladislao Postumo Boh. Rege*, tam a magistro suo, quam a Calixtinorum secta secesserant an. 1457; propriis tamen destituti Ministris, ab suis tantum senioribus regebantur. Anno itaque 1467. Lhotæ prope Richnovium primam celebrarunt synodum, Fratres ex Bohemia, Moravia, & Hungaria congregati, numero 70 nobiles & ignobiles viri, quidam etiam Sacerdotes. In eo conventiculo per Schedas, quas ex vasculo quodam adolescens Procopius extraxit, electi fuerunt tres ministri: *Mathias Kunevaldsky*, *Thomas Pr'zelauczky*, *Elias Kr'zenovsky* molitor. Hi tres ordinati sunt sacerdotes a *Michaele Parocho Ziambergensi*, quem sibi legerunt Episcopum. Mox ab isto, simulque a *Stephano* Waldensium Viennæ Austriæ Episcopo, ordinatus est Fratrum Bohemorum & Moravorum episcopus *Mathias Kuuevaldsky*, qui duos reliquos *Thomam* scilicet, & *Eliam* sibi fecit *suffraganeos*. Ita novus coetus initiatus, sive *Unio Fratrum* (Gednota bratrska) coaluit: qui ob Familiairtatem cum Waldensibus, deinceps dicti sunt *Waldenses*. Immo cum illi in Austria, & Marchia Brandeburgica duris haberentur modis, paullatim inde migrantes, Fratribus Fulnecæ potissimum, & Hranitzii in Moravia juncti sunt, atque in *Unionem Fratrum* recepti. Demum quia se a Rokiczana & Calixtinis separaverant, ab illis per ludibrium appellati *Picarditæ* fuerunt, quod nomen jam sub Zizka odiosum fuit in Bohemia. *Vid. Dobner mon-*

ined.

mul iis, qui in ejus officio obstinate manerent, denuntiant. Has *Rudolphus Legatus* Wratislaviæ tum agens, missis quaquaversum nuntiis, promulgandas urgebat; minacibus autem literis *Episcopum Olom. Protasium*, *Georgio* propinquitate junctum, ut ab ejus se consortio sejungeret, graviter hortabatur. Eadem scripsit ad Olomucenses, reliquasque regias civitates Moraviæ, stimulis ubique admotis, ut imperata Pontificis facerent. *Rex Georgius* primum de consilio Canonicorum ac Prælatorum Pragensium, ab omnibus sententiis, pœnis, & censuris, quas Pontifex falsis credulus delationibus tulit, ad proxime futurum generale concilium appellavit. Deinde regnum tuiturus, ut subditos in officio contineret, vim vi repellere constituit. Postremo *Epis. Olom. Protasium*, ne minis Legati Pontificii victus, partes suas deserat, officii debiti amicis admonet litteris, commemorans inter cetera beneficium, quo *Comitatum Hochvaldensem*, Ecclesiæ Olomucensi circiter 70. annis ademtum, restituit. Cui *Protasius*, Romano Pontifici quacunque in caussa cedendum more illius ævi ratus: *Plura quidem se accepisse beneficia, sed non minora præstitisse obsequia; Comitatum illum magnis redemtum pecuniis; neque jam se mandatis Ponficis resistendo esse*, reposuit. Eadem fuit mens quibusdam Bohemis & Moravis, qui solicitationibus *Rudolphi Legati* ad jugum *Georgii* excutiendum audaciores, de alio Re-

A. C. 1467.

ined T IV. *observ. præv.* in *Continuatt. Pulxavæ* — *Item Sexstätter* Beiträge zur Böhm. und Mähr. Brüderhist. *p.* 29 — Denique MS. Biblioth. Archiep. Cremsir. cui titulus: Hlas Strazneho, editum an. 1600. ubi tota ratio unionis Fratrum describitur.

Rege deligendo conſultare cæperunt. Itaque Rex collectum exercitum trifariam diſtrahit: primo agmini Promarchionem *Victorinum*; alteri *Henricum*, filios ſuos duces præficit; tertio eique lectiſſimo ipſe præfuturus. Triſte omnino relatu eſt, quantum damnorum hoc bello perpeſſa Moravia fuerit, quæ in Rom. Pontificis mandata promtior, *Regis Georgii* arma in ſe provocavit. *b*)

XL. Primus ex Moravis bellicum cecinit adverſus Regem *Joannes Boskovitzius*, *Epiſcopi Olom. Protaſii* germanus, qui collecto mille armatorum manipulo, inprimis Brunam occupaturus, civium ad partes ſuas animos inclinavit. Annuerunt illi votis, portam minorem templo S. Thomæ oppoſitam ſtatuta nocte ſe aperturos polliciti, qua ſeditionis incenſor cum ſuis urbem ingrederetur prius, quam miles præſidiarius hoſtem adverteret. Verum ſolertia præſidio Præfecti (*erat is Wolfgangus Kragir'zius, ſtirpis vetuſtæ Baro*) detegitur conſpiratio; præmonitus miles portam obſidet, magnaque clade adfectum *Boskovitzium* in fugam agit. Hic potiundæ urbis ſpe dejectus, ſed caterva *Sovinecii* ducis auctus, ſuburbium ſeu veterem Brunam cum cœnobio Reginæ occupat; paullo tamen poſt Promarchionis *Victorini* adventu territus, Wever'zium verſus celeriter tutiora petit. *Victorinus* capto cœnobio, ubi *Sigismundum a Pernſtein* ſuæ poteſtatis fecit, Czernohorenſem ditionem vaſtando, *Boskovitzium* ad certamen elicuit, ſuisque copiis undique

 cir-

b) Peſſina M. M. p. 792. — Pelzel hiſt. Boh. p. 463. ſeqq.

circumfusum oppressit. Neque autem Victo
occurrere, neque pugnam viribus multo inf
or inire ausus fuisset *Boskovitzius*; nisi aux
mille ducentorum virorum ab Episcopo fr
missa sperasset, quæ *Cztiborius de Towac'*
prope Hradiscam noctu circumventa cecid
c) Denuntiatione duplicis cladis minime
vidus *Episc. Protasius*, suo & Capituli Olon
censis nomine fœdus cum civitatibus: Olom
cio, Znoyma, Iglavia, atque occulte etia
cum Brunensibus civibus contra *Georgium* ini
Easdem partes deinde amplexi complures B
hemorum Procerum, & Capitulum Wratisl
viense cum *Nicolao Oppoliensi*, & *Henrico Fr*
stadiensi Principibus, qui unitis viribus in l
cum *Georgii* cariorem Romano Pontifici Rege
sufficere decreverunt. Horum tamen omniu
vires exequendo decreto erant impares; quu
præter Bohemos etiam Moraviæ Proceres Ca
tholici longe plurimi, ac civitates: Hradist
um, Unczovium, Evan'czitium a *Georgio* st
rent. Quare induciis procurandis fœdera
dant operam, missaque legatione, Regem P
loniæ *Casimirum*, cui Pontifex regnum Boh
miæ obtulit, gliscentis belli civilis arbitru
deligunt. Revera *Casimirus*, alienum recusa
regnum, quinque mensium inducias *Georgiu*
inter & fœderatos conciliavit. *d*)

XLI. Atvero *Mathiam* Hungariæ Rege
ad occupandum Bohemiæ regnum excitarunt
tum

c) Beness. Weitmile ap. Dobner mon. ined. T. IV. ad an. 1467. Pessina l. c. — Prov. fid. Morav. c. 38. p. 178. seqq.

d) Weitmile, Pessina, Pr vin ll cc. — Cromer Rer. Polon. L. XXV. ad h. a. — Pelzel L. p. 468. seqq.

m Summus Pontifex, tum præcipue *Cæsar* *-idericus*, qui juſtam ei pecuniæ vim, & op-rtuna pollicebatur auxilia ad *Georgium* armis -primendum. *Mathias* ſepoſita affinitate ac -moria beneficiorum, promiſſis victus bellum -hemiæ Regi nuntiat. Mox quatuordecim illium exercitum, cui poſtea Auſtriacus & ace ſignatorum miles acceſſit, in Moraviæ nes inducit, caſtra prope civitatem Laam in extra fluminis Tajæ ripa conſtituit, magnis-ue munit operibus. *Victorinus* autem ex Au-ria, quam juſſu Patris vaſtabat, reduxit co-ias, *Georgius* ipſe majores ex Bohemia vires tulit, hoſtique caſtra in ſiniſtra fluminis ri-a oppoſuit. Eam ſtationem integro fere men-e uterque Rex tenuit, etſi utrinque ſæpius de ace ageretur. Quum vero in irritum cade-ent colloquia: *Georgius* Trebiczium verſus ca-ra promovet, atque in Bohemiam contendit, elicto Trebiczii *Victorino* filio cum copiis. Movit etiam *Mathias Rex* cum exercitu, ac Trebicenſi civitate occupata & incenſa, mu-itam arcem, in quam ſe *Victorinus* recepe-t, obſedit. Cognito fratris periculo, *Hen-cus* e Sileſia in Moraviam feſtinat, eoque in inere Unc'zovium, & alia caſtra in poteſta-m accipit. Accurrit quoque *Georgius* ex Bo-emia ſuppetias laturus filio; ſed jam *Victori-s* Trebiczio per medios hoſtes pugnando fugerat. Itaque triplici exercitu, Patris & iorum, in unum coacto, *Mathias* nequaquam ſus acie concurrere, proxima Znoymæ ſuf-gia occupavit, ibique rurſus vallis & foſſis ſe muniit. Caſtris oppugnandis haud im-orari licuit *Georgio*; proin trimeſtres pactus ducias, ad ſopiendas turbas domeſticas in Bo-

A. C. 1468

5. *Junii.*

Bohemiam abduxit exercitum. e) Contra *Mathias*, induciis nequidquam motus, Znoyma in fidem recepta, Brunam in ditionem suam accipit auxilio civium, qui intercepto urbis Praefecto, deditionem sponte fecerant. *Spilbergam* tamen dumtaxat novem mensibus post obtinuit: quod ejus Praefectus *Leopoldus Kragir'zic* (*Wolfgangi patruus*) nec minis, nec promissis oblata etiam totius Moraviae praefectura, a fide *Georgii Regis* dimoveri se pateretur. Quapropter Hungariae Rex duci suo *Blasio Magiary* castrum hoc obsidendum praecipit; ipse reliquo cum exercitu Bruna Olomucium commigrat, ubi communi omnium laetitia velut *propugnator Religionis* exceptus, regio pariter favore omnes amplectitur. Praesertim vero benevolus in Carthusiam Olomucensem, bona illius & subditos in tutelam & praesidium suum diplomate suscepit; quod ipsum postea peculiaribus litteris tutamento Capitanei sui Olomucensis commisit. Multo secus erga Unc'zovium seu Neostadium se praebuit: quod enim civitas arma armis opposuerit, suburbia illius ferro flammaque vastavit. Quo exemplo deinceps totam fere Moraviam in potestatem redegit, praeter munitas quasdam civitates & arces: *Hradisstium*, *Spilbergam*, *Wewer'zium*, *Rac'zitzium*, *Cymburgum*, *Helfensteinam*, *Lukovium*, *Brumovium*, & *Buchlovium*. f)

13. *Julii.*

XLII.

e) Epistola R. Georgii ad Proceres Hungariae data an. 1470. ap. Balbin Epit. p. 552. seqq. — Bonfin. Dec. IV. L. II. — Weleslavin. Kal. ad 5. Junii — Equibus corrigitur Pessinae & aliorum narratio rei gestae.

f) Bonfin. l. c. Pessina M M. p. 841. — Procop. l. c. p. 180. — Pezius T. VI. Cod. Diplom. P. III. p. 222. ubi Regis Mathiae diploma Olomucii h. a. datum 13. Julii, & litterae ibid. 1 Septembris.

XLII. Id genus caſtrorum oppugnatio magno ſtatura tempore & ſanguine quum videretur, *Rex Mathias* in Hungariam circiter finem Septembris rediit, relicto turmarum aliquot ſubſidio civibus Olomucenſibus, qui Gradicenſe cœnobium (*Sſutny quidam ex Georgii ducibus eodem ſeſe clauſerat*) obſidebant; *g*) Anno autem ſequente idèm Rex maturius copias ex hibernis eductas, ad urbem Hradiſſiium admovet, eamque obſidet. At fruſtra omnino. Quippe *Gerardus Obeſſlik* vir equeſtris Ordinis, ac rei militaris peritus, cum 350. præſidiariis, armatisque civibus urbem *Georgio Regi* fidelem tutabatur. Horum conſtantia repulſus *Mathias*, Lukovium verſus diſceſſit: quod caſtrum biduo poſt, quam obſidere cæpiſſet, propugnatorum deditione obtinuit. Caſtrum quoque Spilberga, quam dux *Magiary* obſidione hucusque preſſit, alimentorum inopia ſe ſe dedidit. *h*) Quo nuntio Rex mirifice lætus, ſimul etiam Cremſirii honorificentiſſime acceptus a civibus, Olomucium venit, conventum ſui ſtudioſorum Procerum Bohemiæ ac Moraviæ facturus. Sed comperto ex ſuis, *Georgium Regem* ad tutandos Bohemiæ fines Litomiſslium adveniſſe, *Protaſium Ep. Olom.* ad eum miſit, atque Olomucii colloquium de pace eidem obtulit. Olomucium *Georgius* accedere noluit propter adverſa Epiſcoporum ibi præſentium ſtudia, nempe: *Protaſii Olomucenſis*; *Laurentii Legati Pontificii*; *Rudolphi Wratislavienſis*; *& Joannis Waradinenſis* Proſtanna oriundi. Sternbergam igitur elegit, ubi *Georgius* & *Mathias* Reges clam

A. C. 1469.

4. *Aprilis.*

g) Bonfin. l. c. — Balbin. Epit. p. 552.

h) Continuat. Pulkavæ ap. Dobner p. 188. — Peſſina l. c. p. 843. — Provin p. 181. & 184.

clam arbitris familiarissime collocuti, pacem constituerunt & concordiam. Verum simul ac *Mathias* Olomucium redux de pace constituta meminit, Legatus Pontificius ira incensus eandem rescidit, quod sine auctoritate Pontificis cum Rege haeretico fieri haud potuerit. Immo & anathema intentat *Mathiae*, foedus initum nisi ruperit. Haec & aliorum Bohemiae ac Moraviae procerum, qui aderant, sententia infregit *Mathiae* animum. Discisso enim quocunque foedere, *Bohemiae Rex & Marchio Moraviae* Olomucii palam a populo salutatur, eique Legatus Pontificius coronam ex cimeliis B. V. Mariae imaginis sumtam Brunae imposuit. Vocatus deinde a Silesiis *Mathias*, Wratislaviam venit, ac simul Principes Silesiae, simul Ordines Lusatiae in fidem recepit. *i*)

3. *Maji.*

XLIII. Tanta *Regis Mathiae* inconstantia non parum offensus *Georgius*, ut ei omnem regni Bohemici spem in posterum adimeret, comitia universi regni Pragam indixit. In his tametsi praeter morem infrequentibus, proximo vitae suae fine, regnique statu ob oculos posito, successorem suum constitui postulavit. Nemo non censebat filiorum ejus quempiam ab eo commendatum iri. At *Georgius* boni communis caussa suffragatus plurimum est *Wladislao Casimiri* Poloniae Regis primogenito, in quem vota omnium eo citius inclinarunt, quo propius secundum maternam lineam e stirpe Ca-

i) Scriptores cit. ap. Balbin. Epit. p. 556. ubi MS. hist. Rosensis recitat litteras Regis Mathiae, quarum finis: *Actum Olomucii Sabbato ante festum S. Sophiae an.* 1469. *regni Hungarici* 12. *Coronationis in Regem Bohemiae anno primo.*

Caroli IV. descenderat. Id quod Legati in Poloniam missi *Casimiro* Regi nuntiant, additis inter alias conditionibus: *Ut a morte Georgii duntaxat Wladislaus regnum occupet; nunc autem Casimirus Georgio adversus hostes omnes praestet auxilium, eumque Romano Pontifici reconciliet.* Annuit Poloniae Rex; *Georgius* vero Ducatum Opaviensem, qui sine herede mortuo *Joanne II.* Duce, regiae camerae Bohemorum obvenit, *Victorino* filio suo tradidit, ac novis cum copiis eundem misit in Moraviam. *k*) Hic interea *Mathias* jure supremi dominii utens, privilegia civibus Olomucensibus Brunae confirmavit; acerrime adnisus, urbes & castra omnia in potestatem suam ut redigeret. Coeptis illius obviam ivit fortiter *Victorinus*, dum in insidias incideret. Quum enim Trebiczio Crumlovium Moraviae, ab *Henrico Lippaeo* affine suo invitatus proficiscitur; ab erumpentibus Hungaris captus, Budam Hungariae abducitur in custodiam. *l*) Vice captivi functus est illius dux *Strzela*, qui *Mathiae* vim tamdiu sustinuit, dum *Henricus Podiebradius* ex Silesia in Moraviam armatus irrupit: tum fratris sui captivitatem ulturus, tum suppetias laturus obsesso ab Hungaris Hradischtio. Opposuit quidem *Henrico* Rex Hungariae copias; sed commissa pugna, fusus ac fugatus Hunnobrodam usque movit, seque castris vallatis tenuit. Victoria hac *Henricus Joannem Comitem a Pesing*, & quosdam Proceres ac nobiles duxit captivos; Hradis-

14. *Julii.*

31. *Octobris.*

---

k) Balbin. Epit. p. 556. & 560. Item Henelius Silesiogr. c. 8. p. 296.

l) Diploma Regis Mathiae ap. Strzedovsky Apograph. Morav. Vol. VI. p. 3 — Balbin. l. c. p. 560. — Dubrav. L. XXX.

disſtium obſidionis periculis exemit; perculſum *Georgii* animum redintegravit adeo, ut ſtatutum haberet, anno ſequente in Moraviam proficiſci, indeque *Mathiam*, ſin aliter vellet, armis propulſare. Acceſſit, quod Cæſar *Fridericus*, deſertis *Mathiæ* partibus, adverſus eundem fœdus inierit cum *Caſimiro* Poloniæ Rege. *m*)

A. 1470. XLIV. Exeunte hibernorum tempore, *Rex Georgius* miſit ad *Mathiam* legatos, qui pacis conditiones offerrent prius, quam bellum utrinque exardeſceret. Iſti in Moraviam pervecti, petiere a *Mathia* fidei publicæ litteras, quibus muniti eundem tuto accederent. At is tergiverſari primum, mox phaleratis uti verbis, denique datis nullius fidei litteris, legatos ludere. Quare *Georgius* ipſe in Moraviam adduxit exercitum, junctisque cum *Henrico* filio viribus, opportunis ad Cremſirium locis caſtra poſuit. *Rex Mathias* vallata ad Hunnobrodam caſtra repetiit, quæ tentare plenum aleæ opus fuiſſet. Hinc *Georgius* miſſis ad eum

1. *Julii.* litteris: " 1) Pacem *Mathiæ* offert ea lege, " ut omnia coronæ Bohemicæ propria reſtituat; damnorum autem ultro citroque illatorum compenſatio definiatur *S. R. Imperii Principum* judicio. 2) Quodſi conditiones pacis " abnuat, duellum eidem defert, ante acies " duas paribus armis gerendum. 3) Demum " ſi neque hanc conditionem acceptare velit, " optat cum Rege Hungariæ acie concurrere."

Re-

m) Continuator Pulkavæ l. c. p. 189. — Epiſtola Regis Georgii ad Mathiam data ex caſtris ad Konovitz an. 1470. ap. Balbin. Epit p. 553.

Respondit *Mathias* epistola arguta, in castris ad Hunnobrodam exarata: " Caussam suam " Imperii Principibus subjicere abnuit; duel- " lum quidem acceptat, non tamen [illegible] cum & " tempus nominat; sed neque prælii copiam " se facturum certo promittit, neque in Bo- " hemiam se irrupisse, ait, nisi ob defensio- " nem Catholicæ Religionis, quum Rege pri- " vatum foret regnum. „ *Georgius* interim prælii cupidissimus, castra ad Kunovitzium promovit, acceptoque responso argutiis & aculeis pleno, prolixam ad Proceres Hungaros scripsit epistolam, qua seriem rerum a *Mathia* gestarum enarrat, & graviter de injuriis expostulat. Ita litteris potius, quam gladiis gestum hoc bellum est; neque omnino confectum. *n*) Namque *Mathias* turbis domi prævertendis in Hungariam abscedere cogebatur; *Georgius* in Bohemiam revertit, quod jam serio, opera Electoris Saxoniæ *Alberti*, Romanæ Sedi reconciliari studeret. Nitebatur quidem totis viribus *Rokic'zana* illum a proposito avocare; at Rex cognitis tandem fraudibus, veteratorem pessimum a conspectu suo abegit, statuta ei pœna capitis, si redire ausit. Nec vero redivit amplius; quippe quem infanda mors abstulit. Sed paullo post ipse etiam *Rex Georgius* hydrope, aliisque bello contractis morbis confectus, obiit ante, quam a Romano Pontifice afferri posset responsum. Cadaver ejus Pragenses Canonici in metropolitana S. Viti ecclesia tumulo inferri concesserunt; quod excelsi animi, magnæque fortitudinis Rex iste sub finem vitæ cupierit in gratiam redire cum

24. *e. m*

26. *e. m.*

1471. 22. *Febr.*

22. *Mart.*

n) Balbinus Epit. p. 560. seqq. — Pelzel hist. Boh. p. 474. seqq.

Rom. Pontifice, & S. Communionem sub utraque specie sumserit eo modo, quo illam Basileense concilium Bohemis Moravisque indulsit. Hunc autem ritum tanta pertinacia nunquam defendisset, nisi dolosa *Rokic'zanæ* secutus fuisset consilia. Erat is Pseudo-Archiepiscopus Hussitarum in Bohemia æque ac Moravia, proin & hæreticis Cremsiriensibus *Tenendam* (librum, quid credi, ac teneri debeat) scripsit plenam erroribus. *o*)

27. *Maji.* XLV. Comitiis Cuttenbergæ habitis, electus denuo Rex Bohemiæ fuit *Wladislaus*, *Casimiri* Poloni Filius, quindecim annorum Princeps. Ad eum honorifice deducendum missi in Poloniam Legati, inter quos *Ctiborius a Cymburg & Towazow* (capto *Victorino*, supremus Moraviæ Capitaneus) ac *Bernadus Berkow de Nasydle* Capitaneus Ducatus Oppaviensis, numerabantur. Aderant quidem pariter comitiis Oratores *Mathiæ Regis*, cui Proceres Bohemi *Joannes Rosensis*, *Zdenko Sternbergius*, & *Henricus a Novadomo* non parum suffragiis favebant; præcipue quum & alii Bohemi Proceres regnum Bohemiæ eidem jam Olomucii detulerint. Immo & *Mathias* ipse cum tribus armatorum millibus Iglaviæ eventum rei opperiebatur. Nihilo minus *hostis Bohemiæ & Moraviæ infestus* sententia comitiali audiit. Itaque spe sua frustratus, sine mora in Hungariam ad comparandas majores vires, quas *Wladislao* in Bohemiam profecturo opponeret, recessit. Sub idem vero tempus *Wladislaus* conditionibus per legatos propositis subscripsit; duce *Paullo Iesi-*

nio

o) Balbin. Epit. p. 559. & 562. — Cochlæus l. c. L. XII. — Pelzel l. c. p. 476.

nio cum septem millibus equitum, ac duobus peditum, sine impedimento Pragam venit, atque in Ecclesia Metropolitana coronatus est a *Nicolao Polono Episcopo*: quod Pragenses carerent Archiepiscopo, & *Protasius Olom. Episc.* cum *Mathia* sentiret. *p*) Ea ratione regnum Bohemiae in *Wladislaum* transiit; Moraviae tamen Marchionatum non nisi a morte *Regis Mathiae* plene ac pacate obtinuit. Hic enim duodecim armatorum millia in Moraviam induxit, ut instabilem sibi adversantium fidem direptione bonorum plecteret, ac litem de corona Bohemiae, si faveret fortuna, Marte dirimeret. Hostilem in modum vastatis, qui a *Wladislao* steterant, nobilium praediis, Iglavia in Bohemiam excursiones fecit. At non imparem exercitum, ducibus *Paullo Jasenio & Hinkone a Waldstein*, opposuit *Wladislaus*; Rex autem Poloniae validis copiis Hungariam invasit. Quare *Mathias* ancipiti pressus malo, addictas sibi Moraviae urbes & castra novis firmavit praesidiis, relictaque ad provinciam tuendam copiarum parte, ad Hungariam rediit, e qua non multo negotio Polonos expulit. *q*) Interea castrum Gradicense in Moravia partibus *Mathiae* accessit. Nam *Georgius Sfatny*, inopia annonae pressus, tandem se dedidit obsessoribus Olomucensibus. At civibus splendido exceptis convivio, ita inopiam suam dissimulavit, ut iniquas ab eis conditiones extorqueret: *Liceret nempe obsessis cum sarcinis ad septem curruum pondus in tutum lo-*

22. *Augusti.*

p) Cromerus l. c. p. 593. — Bonfin. Dec IV. L. II. p. 587. — Balbin. Epit. p. 563. & in notis. — Pessina M. M. p 861. seqq.

q) Bonfin. Dec. IV. L. III. — Cromerus & Pessina ll. cc. & pagg. seqq.

locum secedere, acceptis prius quatuor, ac dein totidem millibus florenorum Moravicorum. Solutis, quatuor millibus, patuit vera *Georgii* inopia Olomucensibus; nihilo minus illis tamdiu gravis latrocinando fuit, dum reliquam pecuniæ summam pependissent. r)

XLVI. Nec mirum Olomucenses non minus, quam alias Moraviæ civitates regias, studia sua in *Mathiam Regem* contulisse; quandoquidem Romanus Pontifex illius partibus etiam atque etiam studebat. Nam *Sixtus IV.* telam Prædecessoris sui *Paulli II.* pertexens, non modo reprobavit Bohemorum electionem, sed & Polonum Episcopum, qui *Wladislao Regi* coronam imposuit, anathemate perculit. Eandem pœnam *Wladislao*, ejusque Patri, nisi a cæptis desisterent, minabatur; Bohemos a fidelitate subjectionis absolvit; magno conatu studioque egit omnia, ut *Mathias Rex* regno Bohemiæ potiretur. s) Conatus tamen istos haud magni fecerunt plerique Bohemiæ Ordines, uti & Moraviæ Promarchio *Cztiborius a Cymburg*, qui duas

r) Præter Pessinam p. 866. Adamus Ruebner in Memoriali seculorum in Abbatibus Georgio II. p. 204 & Joanne I. p. 208. — Georgius expugnati monasterii abbas gravia incurrit odia civium Olomucensium, quod olim Regis Georgii partibus favisset; ideoque Oppaviam concessit. Bona vero ejusdem monasterii, concessu Mathiæ Regis, occupavit Joannes de Prostanna, Joannis Episcpi Waradinensis Pater; tum quidam Eques de Bennevetz &c. Donec anno ab alienatione decimo octavo Joannes Abbas Hitzko, favore Wladislai Regis adjutus, in pristinam eorum possessionem rediit. *Vid. Ruebner l. c.*

s) Balbin. Epit. p. 563. — Pelzel hist. Boh. p. 482. seqq.

duas Movavorum urbes, Bohemis Regibus fideles, Hradiſtium nempe & Unc'zovium, in fide *Wladislai* exemplo ſuo retinuit. Hradisſtium præſertim aſſidua fere Hungarorum obſidione preſſum, conſtantiæ documenta dedit; ideoque Rex *Wladilaus* inſigne miſit diploma civibus. " Eo labores & damna, quæ pro tuen- " da fide pertulerunt magnanimi, effert lau- " dibus; ad propulſandos hoſtes ſuos, adver- " ſæque fortunæ eventus ferendos hortatur; " confirmat eorum privilegia a Regibus & " Marchionibus olim conceſſa, ſpeciatim pri- " vilegium *Sigismundi*, *Alberti*, *Ladislai*, & *Ge-* " *orgii* Marchionum *ſuper melioratione armorum* " *ab antiquo habitorum*. Demum auctoritate Re- " gia & Marchionali Moraviæ, incolas Hra- " disſtii præſentes & futuros ab omni appella- " tione, ad judicium civitatis Brunenſis fieri " ſolita, penitus abſolvit, ita ut incolæ ipſi, " omnesque ad judicium Hradisſtienſe ſpectan- " tes, in cauſſis & actionibus ſuis nequeant " aliquo appellare, ſed ſententiis per conſula- " tum Hradisſtii latis & promulgatis, parere " ac ſtare teneantur perpetuis temporibus in " futurum. " r) *) Hæc *Wladislaus* ad devin-

A. C. 1471 20. *Aprilis*

F 3 cien-

r) Paprocius ſpecul. Morav. p. 390. ubi diploma hoc integrum habetur, datumque eſt Hradisſtienſibus h. an. ante irruptionem Mathiæ in Moraviam, quum ille pulſis ex Hungaria Polonis, ipſa hebdomade ſacra anno 1472. Budam ovans redierit, teſte Bonfin. Dec. IV. L. III.

*) Quænam illa ſit *melioratio armorum, ab antiquo habitorum*, non conſtat. *Sigismundus* quidem, duntaxat adhuc Rex Hungariæ, adverſus Janum Croatiæ Banum, Eliſabethæ Reginæ parricidam, primus in Hungaria uſus eſt tormentis bombardarum, globis fer- reis

ciendum beneficiis Hradisftium. Rex autem *Mathias* & favore Romani Pontificis nixus, & desiderio regni Bohemiæ impulsus: majore, quam unquam antea, exercitu Moraviam ingreditur. Adduxit una captivum *Victorinum Podiebradium*, quem priore anno Budæ in arduam Vicegradi arcem transtulit; nunc interposita fide (Parole) libertati ea conditone restituit, ut ei parimonialia bona, *Pardubicium* nempe, *Colinium* & *Nymburgam* traderet, ejusque deinceps partium esset. Isto comite, properat in Bohemiam, dictas civitates ex pacto fidei datæ occupat, necessario munit præsidio. Expavit ad ea *Wladislaus*, hostique objecit copiarum ducem *Joannem a Tanowitz*, qui Nymburgam primo impetu cepit, ac *Mathiam* relegere iter in Moraviam compulit: etsi expugnandis Colinio, & Pardubicio minime fuit. u)

XLVII. Quum uterque Regum, *Mathias* & *Wladislaus*, decretorio abstinerent prælio, eorumque viribus adversus Turcas Rom. Pontifex uti cuperet: *Marcum Barbum Cardinalem* misit, qui pacem inter discordes componeret. Missi ea de caussa Oratores Regum, primo Nis-

I. C. 1473.

---

reis ac pyrio pulvere, ejusque usus sub Alberto Marchione deinceps in Moravia etiam obtinuit, teste Dubrav. hist. Boh. L. XXV sub init. Hinc non vana forsitan conjectura dici potest: Hradisstienses cives ex privilegio sup. *meliorationis armorum* &c. primos quoque bombardis, seu sclopis ferreis, adeoque pyrio pulvere in Moravia usos fuisse. Sic enim sub illud tempus, quo inventus est pyrius pulvis, videntur illi *meliorasse arma ab antiquo habita.*

u) Dlugoss hist. Polon. p. 489. ad an. 1473. — Pessina M. M. p. 862. & 869. seqq.

Niſſam Sileſiæ, dein multos poſt menſes Oppaviam convenerunt; ſed utrobique, magno licet conatu, actum omnino nihil. *x*) Cœpto autem Niſſenſi conventu, *Mathias Rex* civitatem Hradisſtium quindecim millium copiis expugnare induxit in animum, eoque citatis contendit paſſibus. At præcepit cogitatione propoſitum hoſtile urbis Præfectus *Joannes Czikan* (aliter *Slupsky*) ac *Wladislaum Regem* de illo certiorem fecit Celerem inprimis opem tulit *Hanuſſius a Lichtenſtein*, fidus partium *Wladislai* aſſecla. Siquidem non de annona tantum, ſed de minoribus etiam tormentis, pluribus ſulphurei pulveris cadis, atque aliis tolerandæ obſidioni neceſſariis, opportune urbi proſpexit. Advenit *Mathias*, longo caſtrorum ordine Hradisſtium cingit, aggeres in ſiniſtra Moravæ ripa conſtruit. Mox ponte facto, dux *Emericus de Zapolia* cum ſex nigrorum, quos vocabant, equitum turmis flumen transmittit; propius urbem idoneo loco vallum exſtruit, unde pedites ſagittis & ſclopis rem gererent; tormentum grande, aliaque minora duo, admovet, quibus turrium & murorum pinnas diruerent. Tanto apparatu æſtatem totam obſidio fruſtra tenuit, quam pari eventu *Emericus de Zapolia* autumni tempore continuavit. *Mathias* enim in Hungariam profectus eſt Polonos *Fratres acephalos*, Hungariæ finibus infeſtos, domiturus. His reipsa domitis, ſex armatorum millia in ſubmontanam Poloniæ oram immiſit; quod prædones acephalos a *Caſimiro* Rege ſubornatos fuiſſe, ſuſpicaretur. At certior factus Turcas vi

x) Cromerus *Rer. Polon.* L. XXVIII. — Pelzel l. c. p. 484.

1474. 21. Febr. maxima in Bosniam invasisse, triennes inducias cum Polono & Bohemo Regibus paciscitur. Turcis autem sola adventus sui fama profligatis, re bene gesta insolens *Mathias*, paullo post inducias violavit, atque in Moraviam irrupit ad repetendam Hradisstii obsidionem. *y*) Sed denuo rem actam egit.

XLVIII. Nam *Wladislaus Rex* fractam induciarum fidem ulturus, imploravit auxilium Regis Poloniæ, Patris sui. Is non solum quatuor & viginti millia aureorum filio misit ad conflandum exercitum; sed etiam sexaginta millibus Polonorum & Tatarorum irrupit in Silesiam; quod ea provincia, creato Bohemiæ Rege *Wladislao*, *Mathiæ* novo sacramento se obstrinxerit. Non latuerunt illa *Mathiæ Regi*, qui ea propter solvit obsidionem Hradisstiensem, atque ocyus cum Hungaris & addictis sibi Moravis in Silesiam movit. *a*) Parum deinde vigiles, immo incautos Polonos, *Mathias* obruit, atque in fugam egit; sed instaurato a Tataris prælio, ad portas usque Wratislaviæ retroactus, amisit circiter mille pedites fere Moravos, multosque captivos. Ex his præcipui erant Dynastæ Moravi *Wilhelmus a Pernstein*, & *Petrus ab Haugwitz*. Brevi post *Wladislaus Rex* viginti millia pugnatorum

21. Julii.

18. Octobris.

y) Cromerus l. c. p. 602. & 607. — Pessina ex M. S. Hradisstiensi p. 875. seqq.

a) Cromerus l. c. p. 609. Et Pessina l. c. p. 877. ubi ex MS. Hradisst. addit: Hungari præter alia curruum impedimenta ad Hradisstium reliquerunt etiam *tormentum ferreum* ab una parte fractum. Hoc postea cives magna cum lætitia in urbem devexerunt, illudque servant, victoriæ de Hungaris obtentæ monimentum.

rum adduxit, junctisque copiis cum Patre Wratislaviam obsedit. At nullo operæ pretio. Siquidem expeditio hæc, Iagellonicis Regibus perparum gloriosa, talem habuit exitum; Constitutis triginta mensium induciis, & captivis utrinque redditis, quisque Regum migravit in sua. *b)* His tamen induciis a tumultibus bellicis respiravit non nihil Moravia, cujus tum status erat afflictissimus. Etenim ut quævis factio armis potentior fuit, ita eidem succumbere cogebantur subditi; sed paullo post ab adversa factione oppressi, diras subjectionis pœnas dabant. Ita *Wladislai* sectatores, a *Mathia* ejusque asseclis male habiti; vicissim *Mathiæ* rerum studiosi a Bohemis ac Polonis multati jactura rei familaris. Potior tamen Moraviæ nobilitas adhuc sequebatur *Mathiæ* partes; nunc vero *Joannes a Pernstein*, *Hinko junior a Waldstein*, *Joannes a Zierotin*, *Cztiborius ab Horka*, *Hinko de Prussinovitz*, *Henricus Cotulinsky*, & *Wilko Lbotzky*, ad amicitiam *Wladislai* accesserunt. *c)* Iccirco *Mathias* tempore induciarum sæpe Moraviam invisit. Quum Brunæ moram faceret, auctoritate Regia & marchionali firmavit privilegia, & fundationis litteras Carthusiæ Vallis Iosaphat, eique triginta marcas monetæ usualis, ad ærarium publicum spectantes, rescripto gratiæ donavit. *d)* In locum *Zdenkonis a Sternberg*, quem Bohemiæ Præfectum, & civitatum sibi addictarum Gubernatorem nominaverat, *Bohuslaum de Schvamberg* suffecit. Sed hunc postea

21. *Novemb.*

A. C. 1475.

14. *Aprilis*.

b) Cromerus l. c. p. 610. & 612. — Dubrav. L. XXXI.

c) Pessina M. M. p. 870. & Scripp. ibid. citt.

d) Rescriptum R. Mathiæ ap Pezium l. c. p. 223. seqq.

ftea an. 1478. falsis æmulorum delationibus in Brunensi castro Spilberga inclusit, ac probata licet ejus innocentia, non nisi interventu Episcopi Olomucensis libertati reddidit. *e*) Demum *Mathias Rex* nuptias cum *Beatrice*, *Ferdinandi* Regis Neapolitani filia, quam *Joannes*

A. C. 1476. *Waradinensis Antistes*, Moravus Prostannensis, legationis Princeps ex Italia adduxerat, incredibili pompa Budæ celebravit. *f*)

1477. XLIX. Vergentibus autem ad finem induciis, *Protasius. Epis. Olom.*, *Cztiborius a Cymburg* Promarchio Moraviæ, aliique Domini, Prælati, Equites, & civitates Moravorum orabant *Regem Mathiam*, ut eis remitteret spontaneam medii anni bernam sive pensionem, *qua particularem* a Bohemis, Austriis, & Polonis pacem redimerent. Annuit Rex eorum votis, ac dato Budæ mense Martio diplomate concessit: " 1) Ut salvis juribus Marchionum propriis, " pacem quocunque modo conciliarent Mora- " viæ, dum controversia de regno Bohemiæ " finiretur. 2) Pace obtenta in arcibus suis " fruerentur; modo obsequia sua bellica, si o- " pus foret, non detrectarent. 3) Nobiles Mo- " ravi Equites, ubicunque vellent militari mu- " nere fungerentur; castra tamen regia non " subterfugerent. 4) Ab altero etiam volun- " tario tributo, quod annis duobus post pensu- " ros se promiserant, eos liberat, si Marchi- " onatum pactis conventis interim alii trade- " ret, vel eundem pacifice obtineret. „ *g*) Diplo-

e) Balbinus Epit. p. 564.
f) Bonfin. Dec. IV. L. IV. p. 606. seqq.

g) Diploma R. Mathiæ ap. Str'zedovsky MM. SS. Apograph. Mor. Vol. III. p. 14.

plomatis hujus beneficio Moravi cum *Cæsare Friderico III.* pacem inierunt; contra mox ortum *Mathiæ* cum Austriis bellum est. Rex enim *Wladislaus* spendido cum comitatu Viennam veniens, Bohemiæ regnum, eique unitas provincias clientelari jure (*investituram vocant*) a *Cæsare Friderico* solenniter accepit. Id quod ægerrime tulit *Rex Mathias*; quandoquidem potissimum auctore Cæsare, bellum Bohemis olim intulit. Quare cum decem millibus partim Bohemorum & Moravorum, qui dudum conscripti castra illius sequebantur; partim Hungarorum & Rasciorum per Iauriensem agrum in Austriam irrupit. Bohemis, Moravisque præerant *Wilhelmus & Fridericus*, fratres *Tetauri seu Wchinskii*, aliis alii; omnibus *Joannes ab Haugvitz* Moravus: privata autem voluntate, non publico Moraviæ Ordinum consensu. Hujus opera *Mathias*, citeriore Austria in potestatem suam redacta, Viennam ipsam obsedit. Cæsar Lincium se recepit, ubi auxilia a Bohemis & Polonis frustra præstolatus, pacem redemit C L. aureorum millibus. *b*)

10. *Junii.*

L. Neque jam *Mathias Rex* a pace etiam cum Bohemis ineunda alienus videbatur. Ineunte igitur vere, delecti Proceres ex Ordinibus Bohemis, Moravis, & Hungaris frequentem egerunt conventum Brunæ, si quo modo de pace & concordia inter Reges transigerent. Post multas disceptationes, postremo amice transacta sunt omnia ita, ut, si modo acta

1478.

b) Bonfin. Dec. IV. L. V. — Pessina M. M. p. 879. — Schmid Geschichte der Deutschen L. IV. p. 296.

acta referrentur ad Reges, rata fore singula crederentur. At *Mathias* re apud Plsnam in Bohemia per Præfectos præsidii sui, contra *Burianum Wladislai* copiarum ducem prospere gesta, elatus; simul tumultu Pragensium contra legatos suos temere concitato irritatus, acta Brunensia rescidit, armisque litem dirimere statuit. *i*) Mutavit tamen animum a *Joanne Varadinensi*, & *Protasio Olom.* Episcopis placatus, atque alium conventum Olomucii per delectos pacificatores habendum permisit. Ac ipse quidem partium suarum delegit *Georgium* Colocensem Archiepiscopum, *Protasium* Olom. Episcopum, *Stephanum* Comitem Scepusiensem, & *Wenceslaum a Boskovitz* supremum Olomucii Camerarium. *Wladislaus* autem *Henricum Podiebradium* Ducem Münsterbergensem, *Joannem de Cymburg*; *Benessium de Weitmile*, & alios tres: quibus ab utraque parte datus arbiter *Cztiborius a Cymburg* supremus Moraviæ Capitaneus. Singulari horum prudentia pacificatio felicem habuit exitum, neque ad componendam pacem defuit, nisi solenne Regum colloquium in campo inter Olomucium, quo *Mathias* accederet, & *Unc'zovium*, quo Wladislaus se conferret. *k*) Hinc utriusque Regis edicto conventus ad Olomucium indicitur ad diem secundam Julii anni sequentis; nec Reges tantum, sed Antistites etiam omnes, Proceresque cum præcipua nobilitate ad præstitutam diem convenire jubentur. Insolentes interea fiunt utrin-

7. Decembr.

A. C. 1479.

i) Cromerus l. c. p. 626. — Pessina l c. p. 882.

k) Dlugoss. hist. Pol. L. XIII. ad h a. — Goldast. Supplem. p. 331. Sed fusius & explicatius Str'zedovsky Apograph. Morav. Vol. III. p. 43, ubi Præliminaria pacis 30 constant articulis.

utrinque apparatus, a *Mathia* præsertim. *Wladislaus* stato tempore Unc'zovii adfuit, cum Bavariæ & Saxoniæ Ducibus, ornatissimo Procerum Ordine, exercitu florentissimo. *Mathias* verò ob ingentem apparatum cunctantius accessit cum *Beatrice Regina*, ejusque fratre *Francisco Arragonio*, item Præsulibus ac Proceribus Hungaris & Moravis. Postero die constructis utrinque aciebus, in medio intervalli spatio tenditur militare tabernaculum, Regum colloquio destinatum; quod deinde Reges dextris mutuo prehensis, datoque pacis osculo, sine arbitris subeunt. Primum stabili de pace colloquium tres circiter horas faciunt, quo semel atque iterum repetito, controversiam sanctiore diriment fœdere; idque arctius revinciendum esse rati, accitis utrinque Præsulibus ac Proceribus arbitris, & tabulis, & jurejurando firmant. *l*)

2. *Julii.*

17. *e. m.*

21. *e. m.*

LI. Fœderis seu pacis illius conditiones erant: " 1) *Mathias & Wladislaus* titulo *Bohemiæ Regis* utantur; non tamen in litteris ad " se mutuo datis. 2) *Wladislaus* Bohemiam, " *Mathias* Moraviam, utramque Silesiam & Lu- " satiam cum Hexapoli obtineat. 3) Has pro- " vincias ab obitu *Mathiæ*, si *Wladislaus* Bohe- " miæ regno adjungere denuo velit, quadrin- " genta aureorum millia numeret, eamque " summam in Hungariæ aut Moraviæ finibus, " scilicet prope Sakolcam vel Straznitium aper- " to in campo tradat. 4) Si præmortuo *Wla-* " *dislao*, Bohemi suffragiis suis eligant Re- " gem,

Mathias Hung. Rex Mor. Marchio. XIX.

l) Bonfin. Dec. IV. L. V. p. 627. seq. — Pessina l. c. p. 883.

" gem *Mathiam*: Moravia, Lusatia, Hex-
" polis rursum adjungatur regno Bohemiæ si-
" ne pretio seu lytro. 5) Episcopus Olom-
" censis, & Summus Bohemiæ Mareschallus,
" *Wladislaum* æque ac *Mathiam* Regem ac Do-
" minum suum respiciant, eique more patrii
" obsequia præstent. 6) Ut mercatorum u-
" triusque regni, fautorum utriusque Regis,
" civitatum Hradiſſtii & Unc'zovii securitati
" consulatur; sancitur perpetua lex oblivionis
" præteritorum. „ *m)* *) Pace his legibus ultro
citroque firmata, Rex Bohemiæ in castra ad
Unc'zovium; Hungariæ Rex & *Marchio Mora-
via* Olomucium se contulit. Tertia vero die
Mathias cum universis ordinibus ex urbe di
gres-

m) Tabulæ pacis ap. Dobner mon ined T. IV. p. 449. & 456.

*) Doctissim. Pelzel hist. Boh. III. edit. p. 489. addit, pacis illius conditionibus sancitum esse, *ut captivus Princeps Victorinus libertati reddatur*. Quæ sententia *de plena libertate Victorini* secundum Pessinam M. M. p. 885. intelligenda est. Nam Dux iste Oppaviensis, & Münsterbergensis jam an. 1472. patrimonialia sua bona, scilicet civitates tres in Bohemia, Mathiæ Regi tradidit, ut supra ostendimus. Liber etiam fuit, quum permutavit oppidum Colin pro Blystein oppido: cujus permutationis litteras anno 1475. Colinii datas refert Sommersberg Diplomat. Bohemo - Siles. p. 1035. — Liber denique erat, quum statibus Ducatus Oppaviensis formulam jurisjurandi an. 1477 præscripsit, atque ut sibi tamquam S. *R.* I. Principi, in judicio ensis præferretur, mandavit, testibus litteris apud Str'zedovsky Apograph. Morav. Vol. VII. p. 27. seq. — Itaque dato honoris pignore (auf Ehrenrolle) an. 1472. liber duntaxat fuit *Victorinus* usque ad an. 1479. quo, pace Mathiam inter & Wladislaum composita, solutus omni prorsus conditione est, ac plenæ libertati restitutus.

gressus, versus Bohemi castra agmen induxit. Occurit e castris *Wladislaus*, comprehensis ad congressum dextris, socia utrimque agmina junxere, atque Olomucium processerunt. Hic novi Marchionis edicto, lautissima cunctis Bohemorum Proceribus parata erant hospitia, nihilque prætermissum, quod ad honestandos summo honore hospites opportunum videretur. Prope forum duo palatia sibi opposita, sericoque luxu apparata, Reges excipiunt. Temporarium in foro theatrum, scena & orchestra sumtu magnifico instructa; ante scenam hippodromi circique vicem tunc forum præstitit. Dies quindecim convivia assidue celebrata. Epulum nobilibus, viscerationes populo, item Hungarico & Bohemo militi quotidie datæ. Convivium Regum, Principum, & Procerum in foro celebratum; in cujus medio tetragonus stabat abacus, gradatim pyramidis instar ab omni parte consurgens, ejusque subsellia aureis, gemmatis & argenteis vasis, rite dispositis, mirifice ornata spectatorum oculos fatigabant. Inter prandendum personabant modulati vocum cantus, & instrumenta musica; remotis vero mensis, Principes cum matronis illustribus duxere tripudia, non sine magnis populi acclamationibus. In dies ludi scenici & saltationes cum festivitate maxima editæ, in hippodromo equestri certamine pugnatum, magnaque & varia victoribus præmia proposita. Adhæc *Mathias* quotidie invisit *Wladislaum* officii gratia, in regiam suam eduxit, eique familiariter ac jocose, *Beatrice* Regina teste, colloquebatur. Tandem probato hospitali obsequio ut nihil ultra addi, & optari posset; quum solvendus jam esset conventus, splendidum hospitii apparatum, quo *Wladislaum* exceperat, do-

dono eidem dedit; *Beatrix* trabeam auro contextam, & id genus alia, quæ cœlibem decerent Principem, munificentissime adjecit. Neque ipsos duces ac ceteros Principes *Mathiæ* sine donis dimisit. Tam solenni fœdere impositus finis est diuturno *Wladislaum* inter & *Mathiam* bello, amboque Reges deinceps pacem coluerunt. *n*)

LII. Tempore celebrati conventus, *Mathias* Rex ab Ordinibus Moraviæ homagium suscepit, eorumque jura ac privilegia diplomate firmavit; nunc vero commissa *Cytiborio a Cymburg & Towaczow* suprema Marchionatus cura, in Hungariam festine contendit, e qua interim Turcæ circiter triginta hominum millia in captivitatem abduxerant. Hostes barbaros multis quidem cladibus tum hoc, tum sequente anno *Mathias* repressit. *o*) In Moravia tamen multi interim prædones infesta reddere itinera cœperunt. Quin etiam eo audaciæ sensim progressi, ut non viatores modo per insidias spoliatos trucidarent; sed & pagos, oppida, & castella quædam diriperent, exspoliarent templa, colonos opulentiores indignis haberent modis. Horum tabernas (*sic latibula sua vocabant*) quasdam *Joannes a Pernstein* in Brunensi Bohemiam versus districtu; alias *Hinko de Wrbna* in districtu Olomuc. ad Rimaroviam & Wisenbergam; alias denique Episcopus Olomuc. in ditionibus suis exciderunt. Quum autem prædonum e numero quidam essent

A. C. 1480.

n) Bonfinius l. mox cit. — Dubravius L. XXXI. — Pessina & passim alii scriptores.

o) Codex Towaczow. ap. Strzedovsky Apograph. Mor. Vol. III. p. 9. — Bonfin. Dec. IV. L. V. & init. L. VI.

ſent potentiores, origine quidem nobiles, ſed rapto vivere adſueti; eorumque prædatoriæ arces tumultuario a milite expugnari haud poſſent: Promarchio *Cztiborius a Cymburg* provincialem collegit exercitum, cui *Blaſius Magiary*, armorum & caſtri Spilberg in Moravia Præfectus, cohortem DC. peditum ex Bohemis & Moravis veteranis conflatam, ac turmam DCC. equitum Hungarorum adjunxit. Iſtorum virtute, quidquid reliquum erat prædonum, brevi tempore fuit ſublatum: multi propugnando arces & tabernas occiſi, multi profugientes capti, ac vel confeſtim ſuſpenſi, vel poſtea aquis, fame, ſitique enecti. *p)* Vixdum purgata hominum nequam colluvie, antiqua & periculoſa magis, quam unquam alias, exarſit Moravos inter Proceres controverſia de prærogativa publicis in conventibus: deſitura in grave diſſidium, armaque mutua, niſi *Mathias Rex*, Turcico licet impeditus bello, inteſtinum præcaviſſet malum. Is Brunam initio Septembris advectus vocatis in exedram *Protaſio Olomuc. Epiſcopo*, *Cztiborio* Promarchione, antiquitatis patriæ ante alios ſcientiſſimo, aliisque ſex viris ab experientia rerum patriæ plurimum commendatis; ex omnibus *Dominorum ſeu Baronum* familiis quindecim nominavit, quas pro antiquis æqualiter habendas voluit, nimirum: *Cymburgios, Lippæos, Lomnicæos, Novodomæos* (z Hradcze) *Pernſteinios*, *Sternbergios*, *Lichtenſteinios*, *Boskovicios*, *Cunſtadæos*, *Lichtenbergicos*, *Waldſteinios*, *de Peſing* (alias Comites *a S. Georgio*) *Wlaſſimæos*, Sovinecios & *Cragirios*. Tum modum adſignavit & ordinem, quo alter alterum præcedat, vel ſequatur, præſertim in judiciis, aliisque conventi-

7. Septemb.

p) MS. Pernſtein ap. Peſſinam M. M. p. 887.

bus publicis. Primum ſcilicet locum teneat Promarchio Moraviæ; ſecundum Mareſchallus regni Bohemiæ; deinde ſupremi duo Camerarii provinciæ Olomucenſis & Brunenſis, habita ætatis ratione; tum natu major ex nominatis ſupra familiis antiquis; poſtea Seniores usque ad minimum natu. Aliquo ex his mortuo, natu maximus ejudem familiæ ſubſtituitur, qui demortui locum non occupat, ſed ætatis, habito reſpectu ad familias antiquas, ordinem ſequitur. Denique ſuccedunt familiæ, quarum majores aut in ordine Dominorum non cenſebantur, ut *Daubravicii* & *Tvorkovskii ſeu Cravaræi*; aut ſeſſionis jure carebant, eoque a *Georgio Rege* primum donati ſunt, puta *Domini a Landſtein*, *Miliczin* & *Ludanitz*: hi quindecim illos ſubſequantur, ſervato ætatis ordine, idque ad tertiam usque generationem; exinde vero illis ipſis accenſeantur. Eadem ratio eorum ſit Dominorum ſeu Baronum, qui iſto in conventu a *Mathia Rege* ſeſſionis jus obtinuerunt, uti: *Georgius a Weitmühl*, *Georgius Funkl*, & *Henricus* ejus filius. *q*)

LIII. Pacandæ hunc in modum Moraviæ intentum *Mathiam*, ſocer ejus *Ferdinandus Arragonius*, Siciliæ Neapolisque Rex certiorem fecit, Hydruntum Apuliæ oppidum a Turcis fuiſſe captum; ſe autem barbaro viginti millium hoſti omnino eſſe imparem. *Mathias* illico *Blaſium Magiary* cum ea cohorte peditum, quam in Moravia habebat, adjunctis aliis mille viris, &

q) Codex Towaczow. ap. Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. III. p. 72. — Addit Pfeifer Paproc. enucl. p. 67. Bohemiæ Mareſchalli dignitatem fuiſſe hereditariam Lippæis Crumloviæ Moravicæ Dominis.

& quingentis equitibus, ſocero in ſubſidium miſit. Qui e Signienſi Dalmatiæ portu (Zeng) ſolventes, Hydruntum feſtinarunt, eoque dein expugnato, a Turcarum metu liberarunt Italiam. Permulti quidem Moravi hujus victoriæ comites ac participes erant; vix tamen eorum tertia pars rediit in patriam. *r*) Hanc interim tranquillam regimine ſuo reddidit Promarchio *Cztiborius*, rebus omnibus præcellentiſſimus: etſi quidam ex nobilibus Moravis privato conſilio militarent ſub ſignis *Mathiæ Regis*, *Tobias* enim *Boſkovitzius*, *Wilhelmus Tettaur*, & *Hanuſſ Haugvitzius* ſtipendia merebantur in bello, quod Rex & Marchio noſter Cæſari *Friderico III.* ea potiſſimum de cauſſa intulit, quia dimidiam pecuniæ ſummam, qua pacem anno 1477. redemit, nequedum voluit numerare. Quum vero heroës illi egregia cum laude operam ſuam *Mathiæ* navant in Auſtria: *s*) ejus conſenſione fit Brunæ conventus omnium Ordinum Marchionatus Moraviæ, & Oppaviæ Ducatus. Concordiam nempe *Protaſius Epiſ. Olom.* & Promarchio *Cztiborius a Cymburg* cum *Victorino Podiebradio*, Oppavienſi Duce, inſtaurarunt his præcipue legibus, jam olim obſervatis: 1) Ducatus Oppavienſis ſervet jus petendi, cum opus fuerit, ſententiam (Ortel) a Marchione Moraviæ. 2) Tempore incurſionis hoſtilis privatæ, ut factum ſub Marchionibus *Iodoco*, *Sigismundo*. & *Ladislao* pupillo, utraque provincia ſibi mutuum præſtet auxilium. 3)

A. C. 1481.

28. *Octobris.*

Flu-

r) Bonfinius Dec. IV. L. VI. p. 639. ſeq. Et litteræ Bertholdi a Lippa ad Wilhelmum de Pernſtein ap. Peſſinam p. 891.

s) Bonfinius Dec. IV. L. VI. ubi cauſſas belli hujus, & res ab illis Ducibus præclare geſtas recenſet.

Fluvius Odera limes sit Marchionatus Moraviæ & Ducatus Oppaviæ. Hinc oppidum Odera cum ditione sua, quatenus cis flumen est, Hranicium scilicet ac Gitschinium versus, intra limites Moraviæ censeatur. *t*) Isthæc utrorumque Ordinum consensu firmata, & *Mathias* rata habuit. Simul etiam colonias Waldenses, qui ex Marchia Brandeburgica a quodam *Petro Tkadletz* evocati in Moraviam anno priore fuerant, severo decreto ex oppidis Fulneca, Hranicio, totaque Moravia ejecit. Recesserunt illi in Moldaviam; sed quietas ibidem sedes haud experti, biennio post in eadem Moraviæ oppida irrepserunt. *u*)

A. C. 1481. 16. *Januarii.*

LIV. Altero dein anno *Mathias Rex & Marchio* singulari favore ac benevolentia prosecutus civitatem Cremsirium, Buda eidem misit honorificum diploma, cujus præcipua excerpsimus: " Considerantes, inquit, fidem, fideli-" tatem, & constantem perseverantiam consu-" lum, juratorum, ceterorumque civium, ac " totius Communitatis civitatis Cremsiriensis; " quod etsi præteritis disturbiorum tempori-" bus frequentes hostiles invasiones, variaque " crudelitatis genera crebro experti, multis " etiam & pene ineffabilibus impedimentis la-" cerati, quassatique fuerint, tamen nulla gra-" vitate vel magnitudine periculorum, nulla-" que crudelitate hostili frangi & a fidelitate " nostra divelli potuerint, sed semper stabili, " invictoque animo in cœpto fidelitatis propo-" si-

t) Stez'edovsky Apogr. Mor. Vol. VII. Oppav. p. 28.

u) Hlas Strażneho MS. Biblioth. Archiep. Cremsirien. p. 142. Vid. not. ad an. 1467.

" sito constantissime perseveraverint. His igi-
" tur, aliisque optimis rationibus placuit; ut
" eidem civitati, & ejusdem incolis Nostræ Re-
" giæ liberalitatis munificentiam in his præ-
" cipue ostendamus, quæ ad auctoritatem &
" famam nominis eorumdem augendam & de-
" corandam plurimum conferre videmus. — —
" — Consuli, juratis, & civibus præsenti-
" bus & futuris annuimus & concedimus, ut
" amodo perpetuis successivis temporibus, sigil-
" lo civitatis eorum *universas & quaslibet litteras*
" *cera coloris rubei sigillare* valeant; hujusmodi
" autem sigillo in cera rubea quibuscunque
" litteris appenso, vel appresso vigor & fides
" adhibeatur &c. „ Quum autem non nulli
forent in Moravia diversi status & conditionis,
qui eam prærogativam, regiis civitatibus so-
lum id temporis propriam, limis intuebantur
oculis, quin potius invidia quadam ducti, op-
pugnabant; *Mathias Rex* diplomate alio, Budæ
pariter dato, privilegium civitatis Cremsirien- 15. Febr.
sis firmavit, atque inter cetera ait: " Conces-
" simus, ut Vos & Communitas vestra *more &*
" *instar aliarum civitatum Nostrarum Regalium Li-*
" *berarum* rubea cera in sigillis utentium, in
" cunctis litteris, privilegiis, & litteralibus
" instrumentis, & aliis quibuscunque rebus sub
" vero sigillo vestro authentico emanari solitis,
" *hujusmodi rubea cera* in perpetuum uti & per-
" frui, ac eadem libertate gaudere valeatis —
" — — nunc ipsam libertatem eadem auctori-
" tate Nostra roborando de novo vobis ita con-
" cedimus, ut non obstante in hac parte quorum-
" piam hominum contradictione, juxta vim & te-
" norem aliarum litterarum nostrarum ipsa liber-
" tate

vior fuit in *Iaroslaum a Boskovitz* Moravum, *Tobiæ Boskovitzii* fratrem. Vir ille simul elegantia morum, simul litterarum cognitione apprime clarus, in rebus Moraviæ erat *Mathiæ* a secretis in sanctiore consilio. Sed uti meritis suis permagnam Regis gratiam tenuit; ita in multorum invidiam venit, qui dicta ipsius & facta in malam accepere partem, suisque technis regias fefellerunt aures. Accidit, ut *Mathias* ipse Viennam Austriæ cingeret obsidione, unde ad expugnandum Ebersdorfium prætorianas duxit copias. Vix castris ad oppidum locatis, in domuncula quadam cum *Iaroslao Boskovitzio*, aliisque Proceribus & amcis suis accumbit, ecce tibi! emissa ab oppidanis ferrea glans parietem argilla modice incrustatum, qua ipse accubuit, parte transforat. Rex metu perterritus, patulas præbet aures invidis, qui suspicionem sceleſti consilii tanto facilius in *Iaroslaum* conferunt; quod is Ebersdorfii Præfecto amicus, ab eodem quasdam litteras haud ita pridem accepisset. Ignarus calumniæ *Iaroslaus*, indicta caussa, suspectus de proditione sit Regi, qui occultam vindictæ cupidinem in aliud tempus interea differt, atque Ebersdorfio in potestatem suam redacto, ad prosequendam Urbis Viennensis obsidionem revertit. Urbe Calendis Junii tandem potitus, in proditores & parricidas ut quæreretur, edixit. Mox Cancellarius Regi perquam familiaris *Iaroslaus* in vincula conjicitur, ac datus in quæstionem, quod non patravit, crimen fateri tormentis cogitur: *Se nempe cum oppidi Præfecto collusisse; ne falleret ictus, regiæ sellæ præsignasse locum in speciem metæ; sub Viennensem denique obsidionem civibus commeatum ex Moravia & Bohemia adulterinis litteris sæpe misisse.* Paullo post rogatus eadem, prorsus negabat

15. Januarii.

1. Junii.

se

se insidiarum esse conscium; confessionem suam vi extortam, omnino irritam; seque penitus insontem nihil unquam in Regem fuisse molitum, pro tribunali iterum, atque iterum affirmabat. Adhæc non posse equuleo se resistere, ac mori malle potius, quam tormenta morte acerbiora perpeti, ajebat. Rex, cui facinus sat compertum videbatur, missis internuncio & custodiæ Præfecto, eum admonet: *Veniam si exposceret, certo se daturum.* Contra ille nunquam induci potuit, veniam ut peteret; capite multari maluit, quam supplicando confiteri crimen, labemque nomini suo adspergere. Commotus ea obstinatione Rex, judicum sententia damnatum, capite plecti jubet Viennensi in foro. Educitur Cancellarius, cujus mortem Senatus, Populusque Viennensis æquis spectare oculis haud potuit. Multi lictorem clam hortabantur, ut ne lethali vulnere feriret cervicem. Hanc iste sive ex composito, sive casu, nequaquam amputavit, ictumque e media cervicis parte in humerum deflexit. Quum repetere vellet, lapidibus a populo petitus, stricto cum ense fugit. *Iaroslaus* in proximas delatus ædes, profluvio sanguinis celeriter vitam posuit. *Tobias a Boskovitz & Czernahora* tum fraternæ mortis indignatione, tum bonorum suorum multatione a Rege alienus, confugit ad Cæsarem, qui eidem summum exercitus imperium detulit. *d*)

 LVII.

d) Bonfin. Dec. IV. L. VI. sub finem — Pessina l. c. p. 899. — *Tobiam Boskovicium*, insignem Equitum Præfectum, ab obsidione Cæsaris liberasse Hamburgum anno 1481. Regis Mathiæ oppidum Neostadio Austriæ proximum; ejusdem Regis jussu, expugnasse Claustrum Neoburgum, & oppidum, cui a Divo Hippolito nomen est, narrat Bonfinius l. c.

1486. LVII. Rex *Mathias* firmatis Viennæ Oppaviensium privilegiis, Budam concessit. *e*) Altero autem anno exercitum duxit in Austriam transdanubianam, & oppido Laa obsidium fecit. Hujus deinde cura *Sigismundo Comiti S. Georgii*, & *Joanni ab Haugvitz* Moravo commissa, in Moraviam contendit, Iglaviæ conventui (*diætam* vocant) Calendis Septembris cum *Wladislao* Boh. Rege adfuturus. Reipsa *Wladislaus* splendidissimo cum comitatu Iglaviam venit, cui obviam processit *Mathias* cum Proceribus Moravis & Hungaris, atque in urbem deductum *Sigismundus Quinque ecclesiensis Episcopus* nomine Hungarorum, & *Cztiborius a Cymburg Promarchio* Moravorum nomine: ille sermone latino, hic bohemico salutarunt. Frequentissimus conventus ad diem usque mensis undecimam protractus. Nullo non munerum genere Rex & Regina honorarunt *Wladislaum*, suoque prandio plerumque exceperunt cum Proceribus Bohemis & Moravis, quorum e numero erant: *Cztiborius a Cymburg*, *Joannes de Novadomo Telczensis*, *Henricus a Lichtenstein & Nicolsburg*, & *Wilhelmus de Pernstein*. Pristinam duo Reges confirmarunt amicitiam; hereditariam inter se mutuo pacti successionem sunt; denique fœdus, cui *Casimirus* quoque Rex Poloniæ accessit, adversus Romano - Germanicum imperium icerunt: eo quod *Wladislai* Bohemiæ Electoris suffragium in electione *Maximiliani I.* Romanorum Regis, Francofurti habita, petitum non fuerit. *f*) Præter ea res Moravicæ, Olo-

Margin: Augusti. — Septembris.

e) Diploma ap. Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. VII. p. 31.

f) Bonfin. Dec. IV. L. VII. Anonym. ap. Pessinam p. 894. — Pelzel Hist. Boh. p. 493. seq.

Olomucii non dum terminatæ, ad pactionem venerunt. Depacti nempe sunt Reges, ut quædam Moraviæ arces, pagi ac prædia, olim tempore belli *Mathiam* inter & *Wladislaum* legitimis possessoribus abrepta restituerentur; vel certæ pecuniæ summam, qui ea tum insidebant, illorum Dominis numerarent. Sic arx Trebicz'ensis Abbati & conventui Benedictinorum inde pulsorum; Gradicium ad Olomucium pariter Abbati & conventui Præmonstratensium reddantur. Buczovicium vel Dominus Georgius recipiat, solutis Kropacz'io possessori quater mille aureis; vel duntaxat bis mille aureis ab hoc pendendis contentus sit. Zlinium, quod ceu caducum ab *Mathia* Rege donatum *Tettauro* est, eidem maneat. Hluka a *Mleczkio loci Domino* egregie defensa, pupillo ejus cedat; Rex autem *Wladislaus* illi, qui interim *Regis Mathiæ* donatione eam possidebat, pendat mille quingentos aureos. Similia fere sancita de Brodka, Zdanicio, Damborzicio, Mir'zinio, Branczicio, & aliis: ita nihilo minus, ut hæc omnia unius anni spatio impleantur. Reliqua tum statuta præcipiunt: Ut Bohemi & Moravi ejusdem valoris moneta utantur; ne debitores pro libitu creditorum plectantur; ne Moravi coram tribunalibus Bohemorum, & vicissim retardentur &c. g) *g. e. m.*

LVIII. Compositis rebus, alter in Bohemiam, ad obsessam Laam alter ex Regibus concessit. Gliscebat vero jam inde a pluribus annis nobiles inter & cives perquam gravis dissensio. Barones enim & Equites arcebant quosvis cives ab emendis bonis & prædiis, ne-

g) Codex Towaczo w. l. c. p. 4. seq. & 7. seq.

nequaquam passi, ut publicas in tabulas emtio referretur; cives contra prohibebant nobilibus emtionem domorum in civitatibus, aut pridem jam emtarum possessores multis adfecerunt molestiis. Inde persæpe jurgia & contentiones, quandoque plagæ, cædesque exortæ. Egit apud Regem *Joannes Varadinensis*, Episcopatus Olomucensis administrator, malo remedium ut adferret. Itaque jussu regio pars utraque colloquium Brunæ instituit, & conciliatis invicem controversiis omnibus, amice tandem convenerunt. Conventio hæc publico instrumento comprehensa, regiaque autoritate postmodum firmata, provincialibus inserta fuit tabulis. Uterque nimirum Ordo Dominorum & Equitum depacti cum regiis Moraviæ civitatibus: ut deinceps conservandæ pacis ergo liceat illis domos civicas emere ac possidere; his e contrario ditiones & prædia rustica, jure tabularum provincialium munita. Sed possessores domorum nobiles jure urbico; possessores vero prædiorum cives, jure provinciali utantur, utne prædium aut domus, siquis filiorum id genus possessoris religiosum amplectatur statum, cœnobio hereditatis nomine obvenire valeant. *b*) Quum hæc in Moravia; Rex & Marchio Noster oppida Laam & Retzium in Austria expugnat, Egburgum vero obsidet. Tum a Legato Regis Galliæ ad ineundum fœdus contra *Maximilianum Friderici Imp.* filium & Rom. Regem invitatus, in Galliam legationem sane honorificam decernit. Muneri isti obeundo maxime idoneum ea tempestate delegit *Joannem Varadinensem Antistitem*, qui anno se-

Octobris.

---

b) Codex Towaczow. l. c. p. 142. — Pessina M. M. p. 888. — Acta liter. Adaucti Voigt p. 313.

ſequente cum Legato reduce in Galliam Orator profectus, legationem tanta ubique pompa geſſit, ut nihil id temporis magnificentius usquam gentium ſpectatum eſſe referatur. Quod vero caput rei, non fœdus modo cum Rege Galliarum icit, ſed omnia etiam ſibi mandata confecit ex ſententia. *i*) — *A. C.* 1487.

LIX. Nec tamen ideo Moraviæ Ordines, quam an. 1477. cum *Friderico Imp.* junxerant, pacem ruperunt. Quin potius eandem rurſus ad biennium prorogare ut poſſent, rogarunt *Mathiam* Regem, obſidione Neapolis Auſtriacæ occupatum. Annuit ille benevolus, datoque hanc in rem diplomate, feſtum S. Michäelis Archang. ſtatuit, unde biennium iſtud computandum foret. *k*) Bono Moraviæ maximo renovata pax iſta fuit. Rex enim aſſiduum aluit bellum in Auſtria, neque biennium illud pervixit. Paucis ante obitum ejus menſibus, cives Hunnobrodenſes eidem Viennæ commoranti ſupplicarunt, ut confirmaret ipſorum privilegia, quæ graviſſimis bellorum injuriis amiſerant, quum civitas & curia aliquoties exuſta, & funditus everſa ab hoſtibus eſt. Rex perpenſa Hunnobrodenſium civium fide, quam belli, pacisque tempore non ſibi tantum, ſed anteceſſoribus quoque ſuis magna ſemper conſtantia ſervarunt; antiquas eorum libertates atque immunitates non ſecus, ac ſi exuſta privilegia ſpeciatim exhibita fuiſſent, novo confir- — 23. *Aprilis.* — 1490.

i) Bonfin. Dec. IV. L. VII. in fine.

k) Codex Towaczow. l. c. p. 31. — Datum diploma ad Novam civitatem ante S. Georgii feſtum diem.

firmavit privilegio. *l*) Paullo post *Rex Mathias*, omni Austria Hamburgo Schadviennam usque edomita, Viennæ ante obiit sine hærede legitimo, quam inducias cum *Friderico Cæsare*, *Alberti* Saxoniæ Ducis opera factas, subscriberet. *m*) Cognita illius morte Procerum regni Hungariæ alii *Joannem Corvinum* Ducem Oppaviensem, nothum *Mathiæ* filium; alii *Wladislaum Regem* Bohemiæ; quidam Rom. Regem *Maximilianum*; non nulli denique *Joannem Albertum*, *Wladislai* Bohemi fratrem, Regem cupiebant. Communi dein consensu destinata electioni est dies quinta decima Maji. *n*) Interea Moraviæ & Silesiæ Ordines, Schœnbergæ congregati decreverunt, se se unanimes futuros in acceptando Rege sive Hungariæ, sive Bohemiæ; modo utrisque omnia jura & privilegia confirmet. *o*)

5. Aprilis.

Wladislaus Boh. Rex II. Mor. Marib. XX.

LX. Plures post deliberationes, *Wladislaus* Hungariæ Rex declaratur, suffragante potissimum omni studio *Beatrice Regina vidua*, quæ nuptias illius appetebat. Hunc igitur Moravi & Silesii uno animo, uti vasallos decet, suspexerunt. In ipsis dein limitibus Hungariæ, quum ad capessendum regnum venisset, concinna & ornata eum salutavit oratione *Joannes Varadinensis*, Moravus, supremus regni Cancellari-

l) Chronicon Hunnobrod. ap. Dobner mon. ined. T. II p. 286.

m) Schmid Geschichte der Deutschen P. IV. p. 307. — Bonfin. Dec. IV. L. VIII. p. 672. — Hic p. 667. ait, *Victorinum Podiebradium* cum quibusdam oppidis in Slavonia Ducatum Oppaviensem, volente Mathia Rege, commutasse.

n) Bonfin. Dec. IV. L. IX.

o) Decretum ap. Dobner mon. ined. T. IV. p. 465.

larius & Olomucensis Episcopatus Administrator. Coronam Hungariæ solenni quidem ritu obtinuit tandem *Wladislaus*; sed dictis ex competitoribus præcipue *Maximilianus* & *Albertus* uno fere tempore eidem bellum intulerunt, quod anno sequente componi dumtaxat potuit. Sub signis *Wladislai* militarunt præter Bohemos etiam Moravi tum pedites tum equites cataphracti, atque istis *Joannes a Zierotin*, & *Joannes a Puczhardt de Wodierad* Moraviæ nobiles præfuerunt. *p*) Pax demum conclusa cum *Alberto* est his præsertim conditionibus: Hungariæ regnum *Wladislaus* teneat; Ducatum vero Oppaviensem a *Joanne Corvino* seu permutatione, seu parata pecunia redimat, suoque fratri *Alberto* cum civitate Carnovia tradat; quoad id præstiterit, eidem tria florenorum millia singulis annis numeret. *q*) Paullo serius cum Cæsare composita pax fuit; ideoque miles Cæsareus ex improviso in Moraviam irrupit, nec nisi abacto ingenti pecoris grege, præsertim ex ditionibus Nicolsburgensi, Brz'edzlaviensi, & Gödingensi, præda onustus in Austriam rediit. Inultum id nequaquam tulerunt Moravi, præcipue vicini Equites, variis antea bellis exercitati: *Protivecz*, & *Philippus de* Zastrjžißl, hic in Kygow, ille in Czegkovitz; tum *Paullus Kautsky*, *Arnestus Kuz'el*, *Joan. Zabradeckdy*, *Joan. junior Borz'ita*, *Wenceslaus Hodiczky*, *Bohuss Obessik*, *Joan. a Czertorey*, rebus sub *Mathia Rege* præclare gestis illustris; *Herolt* ac *Ladislaus* fratres *Joannis de Cunstad*, Hodoninen-

21. *Septembr.*

1491.

28. *Septembr.*

---

p) Bonfin. Dec. IV. L. IX. & X. — Pessina, M. M. p. 903.

q) Tabulæ fœderis ap. Sommersberg Diplom. Bohemo — Siles. p. 1056.

nensis Dynastæ filii. Hi conjunctis viribus & animis in hostium cumulum sat validum ad Cahnoviam acri impetu irruunt, ac præda extorta, dissipatos & fugientes partim cædunt, partim capiunt. Inde ad populationem vicinæ regionis conversi, a cædibus quidem & incendiis jussu ducum abstinent; totum nihilominus circa Marchekam tractum vastabundi percurrunt. Hoc modo ultione sumta, & magna rerum omnium congesta præda, ovantibus similes impune ad sua revertuntur. *r*)

LXI. Posthæc *Wladislaum* inter & Cæsarem concordia inita, & pax stabilita Posonii est: qua illi Hungaria, huic Austria cessit. Interfuit autem nomine *Maximiliani* tractationi pacis *Tobias a Boskovitz & Czernabora*, supremus militiæ Cæsareæ Præfectus, qui privatæ etiam rei suæ non immemor, ut ditionibus suis in Moravia, quas *Mathias Rex* an. 1485. contra fas publicavit, restitueretur, præter alias postulationes caussam egit, atque obtinuit. Hinc inter alia concordiæ capita insertum & illud: *Rex Wladislaus Tobiæ de Czernahora* villas & prædia, quæ *Mathias Rex* vi abstulit, intra mensem restituat. Duo insuper millia florenorum, quæ olim *Mathias Rex a Domino Tobia* mutuatus est, eidem vel heredibus ejus intra annum reddere teneatur. Similiter duo millia florenorum ex quinque millibus, queis castrum Schœnberg *D. Tobiæ* obligatum est, Rex spatio duorum annorum illi solvat; quum tria millia liberaliter remiserit. Quod vero ad impensas in ædificia castri Spilberg factas attinet, earum rationem *Tobias* Capitaneo Moraviæ reddat; sub-

Decembr.

r) Pessina M. M. p. 905. ex scripp. cc.

ſubductis vero calculis, Rex intra annum pecuniam repræſentet. *s*) Pacatis eo pacto rebus, *Wladislaus* continuis ſeptem annis adeo in Hungaria reſedit, ut nequidem vicinam in Moraviam, nedum Bohemiam viſeret. Hoc interim ſpatio publica quies & tranquillitas in Moravia floruit; quædam proinde ſolum notatu digna ad eam id temporis attinent. Plures inter Moravos in Hungaria meruerunt præcipui: *Baltazar Tettaur, Michael Podmaniczky, Petrus Horeczky*, qui egregiam in re militari operam præſtiterunt. *t*) *Fridericus III. Imp.* ſupremum Auſtriæ Mareſchallum Linzii creavit *Christophorum a Lichtenſtein & Nicolsburg*, paulloque poſt vita functus, gubernacula Imperii *Maximiliano I. Rom. Regi* permiſit: quicum *Rex Wladislaus* pacem coluit. *u*) Poſteaquam in Moravia occaſione conventionis an. 1486. exorta quædam ſunt dubia circa forum & exercitium juris ſive urbici, ſive provincialis: Rex & Marchio noſter eadem ſuſtulit, miſſo Buda Moravis edicto de rebus inter Dominos, Ordinem Equeſtrem, & civitates controveſis. *x*) Adhæc Promarchioni *Cztiborio a Cymburg* fatis functo, ſuffecit *Wratislaum a Pernſtein* impigræ prudentiæ, priſcæque ſeveritatis virum. *y*) Hoc etiam anno *Bocz'ko Kuna a Cunſtad & Buchlow* a nobili viro *Artlebo de Wiczkow* reluit oppidum & mo-

A. C. 1492.
A. C. 1493. 19. *Auguſti.*
1494. 6. *Julii.*

s) Concordia hung. inter Frider. III. Maximil. & Wladisl. ap. Sambucum in Append. Bonfinii p. 20. ſeqq.

t) Bonfin. Dec. V. L. III. — Peſſina l. c. p. 906.

u) Dobner mon. ined. T. IV. p. 472.

x) Acta litt. Adaucti Voigt p. 314.

y) Pfeifer Paprocki enucl. p. 47. additque Joannem & Cztiborium *Cymburgios* eſſe dictos ab arce *Cymburg*, vicina limitibus Hungariæ.

nasterium Visovicense, reductisque religiosis ord. Cisterciensis non modo monasterium hoc Schmilheimense a prima sub *Zizka* eversione dirutum & desolatum, sed & templa ad Parochialem S. Laurentii aedem spectantia, restauravit liberaliter ac munificentissime. z)

LXII. Quum *Wladislaus* Rex & Marchio non reviseret huc usque Moraviam, audaciores quidam nobiles dilapidatis bonis patriis, unam spem salutis & fortunae reliquam in multa armorum licentia posuere, atque ad furta, rapinas, latrocinia converterunt animos. Quocirca missi ad Regem Proceres, ut malo mederetur, orabant. Is Posonii dedit mandata Promarchioni *Wratislao de Pernstein*, armata vi latronum audaciam ut reprimeret. Paruit ille felici exitu, & Ordinum Moraviae adjutus viribus, intuta quaevis itinera liberavit praedonibus. Quosdam enim captos, nulla generis aut nobilitatis ratione habita, meritis plexit suppliciis; praecipuis vero sex illorum receptaculis dirutis, publicae tranquillitati prospexit. a) Fruebantur illa Moravi, Bohemis diu multumque discordibus. Quorum discidia ut componeret *Wladislaus*, tandem ingressus iter in Bohemiam est. Tum quidem Moraviam mense Februario solum transiit, Brunam scilicet, Trebiczium, & Iglaviam. At quadrimestri spatio Pragae transacto, iter Olomucium versus direxit, regiis ubique honoribus & hospitiis exceptus:

1495.

1497.

z) Dobner l. c. p. 42. — Cunstadaei postea honoris caussa, monasterii hujus *Dominos* sese appellarunt, certatimque isthic sepulturas delegerunt, uti etiam ipse *novus fundator Bocz'ko* triennio post mortuus.

a) Bonfin. Dec. V. L. V. p. 748. — Pessina l. c. p. 909.

tus: Litomiſslii a *Bohuslao Koſtka*, Treboviæ Moravorum a *Ladislao de Boskovitz*, Litoveliæ a *Carolo & Georgio* fratribus Wlaſſimæis, Dominis caſtri Auſov. Olomucium ingredientem fine Julii, Proceres & Magiſtratus quique ſuo ordine, Prælati vero & Canonici ſacris induti veſtibus, umbella purpurea auro intexta ſuſceperunt honorificentiſſime, ac per plateas feſta ubique fronde exornatas ad eccleſiam Cathedralem S. Wenceslai, peractis vero precibus, in prætorium duxerunt: admodum frequente populo, lætis acclamationibus Regi fauſta, fortunataque omnia precante. *b*) Dies XIV. hic moratus, inter alia publice acta cognitioni novæ ac vix auditæ præſedit. Civis Wratislavienſis ampliſſimus negotii ſui gratia in Poloniam profectus, in oppido quodam divertit ad cauponem, qui 500. aureos hoſpiti clam ſubducit. Furti accuſatus, tormentorum metu fatetur, ablatum reddere paratus; neque aliud quidquam hospes optabat. At vero Iudex & Decuriones oppidi inſtare, legibus eorum ut ſatisfiat, quæ ſanciunt: *Ut accuſator ſuis ipſe manibus furem in furca ſuſpendat; ſin nolit, a fure ſuſpendatur.* Exanimatus his verbis hoſpes, infamiam ſupplex deprecari, totamque illam ſibi ereptam pecuniam donare gratuito Iudicibus, modo abire incolumi liceat furi. Quum vero nihil proficeret ſive precibus, ſive donis: facere, quam pati, quod neceſſitas jubebat, maluit. Mox tamen ad Regem Poloniæ Cracoviam properat, qui legis hujus barbaræ non teſtem modo ſe exhibuit, ſed litteris quoque regiis ab omni infamia illum purgavit. Has & *Wladislaus Rex* ſuo firmavit diplomate, addita multa, ſi-

b) Peſſina M. M. p. 913. ſeq.

quis facinus illud eidem opprobraret. Wratislaviam reduci eousque profuerunt Regum litteræ, ut pœnæ metu municipes objectatione abstinerent; mansit tamen adsperſa nomini ejus perpetuæ nota infamiæ: hinc alio sub prætextu motus senatu fuit. Suffragantibus demum amicis, legitur Præfectus sive Capitaneus, qui nobilibus ad forum Wratislaviense pertinentibus, judicium faceret. Eam enim dignitatem si obtineret, in pristinum honoris gradum restituendus videbatur. At nobilitas admodum turpe censebat subire judicium hominis, aut ei adsidere in subselliis, cujus nomini tanta hæreret infamiæ macula. Hanc igitur caussam *Rex Wladislaus* Olomucii ita judicavit, ut præfecturam ille tum gereret, postea quam a civibus rursum adlectus in senatum fuerit. Verum nec ea Regis sententia tanti fuit, ut contra morem, institutumque illius temporis vel Senatoris, vel Præfecti munere ornaretur; proinde vitam privatam quasi inhonestus finiit. c)

LXIII. Per idem tempus Rex *Stanislao Turzoni*, qui electus Olomucensis Episcopus Roma rediit, investituram, ut ajunt, quoad temporalia contulit; Moraviæ vero præfectura *Joanni Mezericio de Lomnitz* data, in Hungariam abiit. Ab ejus discessu pristina fruebantur pace Moravi; præsertim quum Promarchio *Lomnitzius*, quidquid adhuc locorum a latrociniis infamium hinc inde fuit super, provincialium ope armorum expugnavit ac diruit. d) Sed nova Regis absentia plurimum effecit ærario illius in Moravia.

A. C. 1499.

c) Dubrav. hist. Boh. L. XXXI.

d) Idem l. c. — Pessina M. M. p. 915.

via. Nam licet edicto caverit, ne castra & prædia cameræ suæ propria oppignorarentur, minus venderentur; ad extremum tamen, amissis regiis oppidis, arcibus vectigalibus, nullum isthic reliquum habuisse censum testatur *Dubravius*, *Wladislai* æqualis. *e*) Erupit & aliud malum Moraviæ intestinum, solitoque perniciosius. Nam *Waldenses* sive *Piccarditæ* jam inde ab anno 1483. quo e Moldavia redierant, stabilem in Moravia sedem, firmumque domicilium nacti, permissu *Wladislai* mitissimi Regis adeo vires sumserant, ut in longa posterorum tempora frangi, debellarive minime potuerint. Favebant tum eorum partibus *Cymburgii*, *Kaunitii*, *Daubravicii*, quidam ex *Boskovitziis*, *Lomnicæis*, & *Zierotiniis*; præcipue vero femina nobilis *Martha de Boskovitz*. Hinc non amplius, quemadmodum *Georgio & Mathia* Regibus, in subterraneis latebris & specubus, sed palam in domibus ac templis (*Zbor* dictis) cœtus agere, suosque errores gignere ac divulgare non dubitarunt. *f*) Advertit Piccardorum secta post alios longe plurimos *Augustinum de Olmütz*, cognomine *Kesenbrotum*, artium & decretorum doctorem, Præpositum Olomucensis & Brunensis Ecclesiarum, Regi *Wladislao* a secretis epistolis. Is quondam ex itinere Prostannam divertens, multasque illic domos recens erectas in suburbanis admiratus, a *Waldensibus Fratribus*, quos vulgo *Piccardos* vocant, exstructas intellexit. Cognovit etiam *Joannem Nigrum*,

A. C. 1500.

 Pro-

e) Dobner mon. ined. T. IV. p. 474. — Dubrav. L. XXXII. p. 265.

f) MS. Hlas Straznebo p. 142. — Pessina l. c. p. 930. — Errores Piccardorum vid. in hist. Mor. Eccles. ad an. 1499. *Refert* eos etiam Pelzel hist. Boh. p. 521. seq.

[illegible] [illegible] ob egregias animi dotes [illegible] [illegible] [illegible] professum in Waida- [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] perdocto errorem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], hoc & [illegible] annis [illegible] [illegible] [illegible] quatuor ad [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] & ponderis.

1500. Auctor [illegible] [illegible] *[illegible] Regi*, ut *[illegible]* [illegible] publice praescriberet: qui [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] Regis [illegible] [illegible] [illegible]. g)

LXI. Nec multum sollicitus Rex [illegible] quid in [illegible] ex [illegible] suo fieret, quasdam in [illegible] terras loco Ducatus Oppaviensis *[illegible]*, Slavoniae & [illegible] Principi assignavit, ac homagio ab Oppaviensibus [illegible] [illegible], [illegible] eorum privilegia

[illegible] Julii [illegible]. [illegible] [illegible] ex pace cum *Alberto* Polonae Rege [illegible] [illegible], eundem Ducatum Oppavi-

g) Codex [illegible] anno 1550. ap. [illegible] de [illegible] [illegible] [illegible] p. 74. Et *Jak. Gottlob* [illegible] in Augustino Olom. c. 4. p. [illegible].

*) *Augustinus [illegible]* Olomucii an. 1467. natus, quum bonis excultus artibus praecipue jurisconsultorum prudentia floreret, summam apud *Wladislaum* Regem iniit gratiam. Hoc suffragan- [illegible] nunquam sacris [illegible] esset, Ecclesiae [illegible] Praepositus [illegible] [illegible] est con-

[illegible] [illegible] Rom. [illegible] [illegible], qui pro *[illegible]* *[illegible]* [illegible]. Hinc inter hos Candidatos dissidium duravit ad annum 15[illegible] quo tandem Augustinus pacifice obtigit Praepositura. — Epistolae [illegible] ad Joannem Nigrum his annis fuerunt datae: Prima an. 1500. altera & tertia an. 1501. postrema an. 1503. — Plura de Augustino in sequentib. & in hist. litteraria. *Vid. Ziegelbauer Olom. Sac. P. II. p. 37.*

paviensem *Sigismundo* illius fratri tradidit. *h*) 29. *e. m.*
Anno sequente rursus Bohemiam & Moraviam Rex invisit; sed cito reversus in Ungariam, frequentibus Matris *Elisabethæ* monitis, serio tandem ad nuptias animum adjecit, quas cum *Anna Ludovici XII.* Galliæ Regis pronepte Budæ regali celebravit luxu. 1502. 6. *Octobris.* Nata ex eo connubio est filia *Elisabetha*, dicta deinde *Anna*, quæ labentibus annis *Ferdinando I.* nupta, Augustissimam domum Austriacam sobole fœcundissima locupletavit. *i*) Sed magno interim desiderio heredis masculi tenebatur *Wladislaus*. Anxiis etiam curis animum ejus impleverunt, qui adversus *Piccardos* edictum regium urgebant. Præsertim vero *Augustinus Olomucensis*, quum privatis epistolis suis nihil proficeret, binas *ad regiam majestatem de heresi Waldensium* dedit litteras, quibus effecit, ut Rex altero edicto in eos animadverteret. *A.* [illegible] 1503. Utroque edicto *fratres Waldenses aut Piccardos* pelli ex urbibus regiæ ditionis, magistratu moveri, interdici concionibus jubet. Præcipit utrisque Presbyteris, Catholicis nempe & Calixtinis, ut *Piccardos* in numero eorum habeant, *qui de Deo, Sacramentis Ecclesiæ, ac præcipue de Communione Corporis & Sanguinis Christi perverse, dæmonis capti nequitia, sentiunt.* Denique monet fideles Ecclesiæ, omni penitus commercio cum hominibus ejus furfuris ut abstineant.

h) Diplomata ap. Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. VII. p. *35. seq.

i) Pessina l. c. p. 916.— *Beatrix Ungar. Regina Vidua*, utpote sterilis, consensu Hung. & Boh. Procerum, repulsam nuptiarum a Wladislao anno 1491. accepit, atque in Italiam abiit. *Vid. Nicol. Isthvanfius Regni hung. hist. L. I. p. 5. & L. III. p. 29.*

neant. *k*) Verum ob caussas supra memoratas, quanta priori, tanta mandato isti auctoritas fuit. Quo tamen adspersam eluerent maculam, & iram Regis placarent Waldenses, *Confessionem fidei suae* eidem in Hungariam miserunt. *l*) Favit praeterea caussae eorum, quod impliciti bello Bavarico fuerint Moravi. Duces enim Bavariae *Rupertus & Albertus* hereditatis ergo arma sumserant: illius partes Bohemi & Moravi, hujus autem Caesar *Maximilianus* susceperant. Ex Moravis *Joannes Czernohorsky a Boskowitz, Joannes junior Mezeritzky a Lomnitz & Hunnobroda, Wenceslaus a Zierotin & Buchlow, Joannes & Georgius fratres Tettauri de Malenovitz,* cum M D. peditibus, & CCCC. equitibus, trajecto ad Passavium Danubio, tendebant Braunoviam, quae eorum adventu se *Ruperto* dedidit. Non multo post ad Ratisbonam consertum cum Caesareis praelium acerrimum, in quo deserti licet mox principio ab suis foederatis Bohemi & Moravi; hostibus tamen aliquoties repulsis, ad extremum undique cincti, tantam acceperunt cladem, ut vix ducenti evaserint. Caesar utrorumque virtutis heroicae testis, captivos omnes honoris caussa sine lytro dimisit. *m*)

1504. *Augusti.* *Septembr.*

LXV. Attamen usus victoria, bellum in Hungaros maximum apparabat: quod proximis

k) MS. Hlas Straž. p. 143. — Böhmius l. c. p. 78.

l) MS. mox cit. p. 170. Et Confessio Wald. ap. Freherum Script. Boh. T. II. p. 238. — *Wladislaus* responsum dedit ad Martham de Boskovitz, binasque litteras Doctoris Augustini adjunxit. *Vid. ap. Freb. l. c. p.* 249. *Excusatio F. F. Waldensium* &c.

m) Hagekus ad h. a. — Pessina l. c. p. 918. seqq.

mis in comitiis ſtatuiſſent apud animum, *ne in poſterum, absque herede maſculo Rex Wladislaus ſi decederet, alienæ gentis & ſanguinis Regem eligerent.* Apparatus ille quo evaderet, ignari Moravi ad defenſionem patriæ militem ocius comparandum cenſuerunt. Moraviæ Promarchio *Lomnitzius*, miſſis per *Brunenſem*, *Znoymenſem*, & *Hradiſchtienſem diſtrictus* nuntiis, ex nobilibus viritim unum quemque; ex civitatibus quintum; decimum ex colonis, inſtructos equis & armis eſſe juſſit, ut alterum per nuntium certiores facti, ad diem & locum præſtitutum adeſſent. Cæſar autem initio Maji Poſonium obſedit. Ergo Moravi Duces cum duobus peditum millibus & equitibus octingentis Skalicium verſus magnis feſtinant itineribus, atque in ſiniſtra Danubii ripa e regione Poſonii caſtra ponunt, Regis & Marchionis juſſa præſtolaturi. Sed velocem belli finem attulit natus *Wladislao* heres maſculus, cui nomen impoſuit *Ludovico.* n) Incredibili eam ob rem affectus gaudio *Wladislaus*, ſubito tantum non opprimitur dolore. Paucis quippe a partu filii hebdomadis *Anna Regina* e vivis exceſſit. Cujus immaturo interitu Rex tanto majorem fecit jacturam, quanto diligentius illa incubuit conſervandis regiis cenſibus & vectigalibus. o) Quapropter commodum *Cæſar Maximilianus* Viennæ Præfectum *Joannem Cuſpinianum* Budam miſit: partim ut ſalutaret *Wladislaum*, deque nato non ita pridem *Ludovico* lætitiam, quam Cæ-

1506.

1. *Julii.*

A. C. 1507.

n) *Roo* hiſt. Auſtr. L. XII. p. 430. ſeq. — Iſthvanfius *Regni Hung.* hiſt. L. IV. p. 34.

o) Dubrav. hiſt. Boh. L. XXXI. qui adſerit, Aulicos nimia *Regis* bonitate ad quæſtum ſuum abuſos nimium fuiſſe.

ſar animo ingentem conceperat, declararet; partim ut regis animum ob immatura Conjugis fata moerore confectum, verbis & oratione consolaretur. Poſtulabat præterea ab *Wladislao* aliquos ex amicis ſecretioribus ad Cæſarem mitti, quibuſcum de fœdere ſanciundo, eoque affinitate mutua confirmando conſultare poſſet & decernere. Ad ſpartam hanc ornandam *Joannem Moravum*, antea Epiſcopum Varadinenſem, *Mathiæ Regi* omnium conſiliorum olim arbitrum, ſed jam Hradiſſtii inter Monachos S. Franciſci privatam agentem vitam, *Wladislaus* ſine ulla dubitatione delegit. Hic ad Cæſarem profectus, omnia ut ſemper, ex animi ſententia perfecit, ita tamen, ut occultum magni momenti negotium ad illud tempus, quo *Principum* conventus inſtitui poſſet, aliquamdiu *prorogaretur*. *p*) Nihilo minus Rex ſolito jam diutius luxit deceſſum Reginæ, totumque animum dedit moerori. Eo quum tabeſceret, nec pullas mutaret veſtes, aut barbam raderet; circumſtat eum magna conſolatorum frequentia ex Proceribus Hungaris, Bohemis, Moravisque Budam congregata, afflictum Regem ut erigeret. Qui tamen ſolita ſibi taciturnitate ſolatium omne reſpuit. Poſtridie igitur omnes redeunt, quorum nomine Præſul Strigonienſis: *Ad lætum*, ait, *nuntium lætus decet Regem habitus: quem ſi induis, exoptata feres, ut Ludovicum Regem Hungariæ & Bohemiæ, tibique conſortem vel in hac puerili ætate videas.* Tum demum Rex: *Tam grato, inquit, nuntio libenter in habitu quoque mutando ſubſcribimus*; proditque mox purpuratus, lautusque & attonſus ad prandium.

p) Iſthvanf. l. c. L. IV. p. 25. ſeq. Et MS: Anon. ad h. a. ap. Peſſinam l. c. p. 922.

dium. Quamquam Hungari ſubito mutarunt voluntatem *Ludovicum* coronandi, Patre adhuc ſuperſtite; neque niſi a Bohemis & Moravis impulſi, coronam anno ſequente eidem imponendam promiſerunt. *q*)

LXVI. Bohemicam quoque coronationem differre neceſſe fuit. Diviſi enim varias in factiones Bohemi Ordines, regnum armis impleverunt; e Sacerdotibus vero alii *Calixtinorum*, alii *Piccardorum* partibus favebant. A Piccardis præſertim, ut ſectam corroborarent ſuam, magno adlaboratum opere fuit. *Orationem Excuſatoriam fratrum Waldenſium* Regi *Wladislao* ad Hungariam miſerunt, qua conantur rationem reddere, cur a Romanæ Eccleſiæ coetu deſciverint. Pluribus etiam ratiunculis fulciunt, quo maxime erant infames, errorem de SS. Euchariſtia minime adoranda. Quia vero *Auguſtinus Olomucenſis*, ut minus vigiles hominum mentes ad juſtam in *Piccardos* ſeveritatem excitaret, binas ſuas litteras ad Regem *Wladislaum* de hereſi Waldenſium pridem datas, evulgaverat; divulgarunt pariter ſectæ ſuæ defenſionem hoc titulo: *Excuſatio Fratrum Waldenſium contra binas litteras Doctoris Auguſtini datas ad Regem*. Ac prima quidem parte nituntur ſua defendere dogmata, altera queruntur adverſus *Auguſtinum*, quod contumelioſius fuerit in *generoſam, venerabilemque Virginem, Virginem Martham*. *r*) *) Quum ita Piccardi erigunt ca-

A. C. 1507.

1508. 11. *Januarii*.

q) Dubrav. l. c. — Iſthvanfius L. V. p. 37.

(*r* Dubrav. l. c. Freher. Script. Boh. T. II. p. 245. ſeqq. & p. 249. — Bœhmius l. c. cap. 4. p. 76.

*) Ex duabus his epiſtolis, ab Auguſtino vulgatis, al-

caput; Dominus autem *Georgius Kopidlansky*, ob cædem fratris sui civibus Pragensibus plusquam offensus, turbis Bohemiam miscet: tutum *Wladislao Regi* non erat coronationem *Ludovici himuli* petere. Præmisit igitur in Bohemiam legatos cum plena potestate, viros tractandis Bohemorum animis nimis quam idoneos, scilicet *Joannem Moravum*, & *Stanislaum Turzonem* Olomucensem Episcopum, quem honoris & dignitatis gratia, utpote *S. R. I. Principem* primum legationis locum tenere jussit. Frequentissimus omnium Ordinum conventus, quem Piccardi

25. *Julii.* *Sanctojacobæum* appellant, Pragæ adfuit: quum legati conscenso suggestu, litteras in fidem publicam sibi datas, & mandata Regis exponunt. Tum ante omnia jubet Varadinensis, Baronum & Equitum literas cum signis exhiberi, quibus nomen quisque suum, fidemquè in societatem novi fœderis adversus cives obligavit. Tacentibus primum universis, mox non paucis tergiversantibus, exstare eas negantibus non nullis; urget ille sapienter & considerate, seque regia auctoritate usurum minatur,

altera jam an. 1506. die 14. Novembr. Budæ exiit; altera vero sine die & consule, quod ajunt, ad annum hujus seculi octavum a viris doctis refertur, teste Bœhmio l. mox cit. — Quod autem Balbinus Epit. p. 574. ait: *In Martham plurimæ sunt invectivæ Doct. Augustini — — Tum etiam Bohuslai de Lobkovitz*: refellit idem Bœhmius l. c. p. 74. seqq. aitque, ab Hassensteinio sive Bohuslao de Lobkovitz nihil tale de industria profectum, licet in epistolis passim iras, animosque prodiderit. Tum subdit: *Ita quidem intelligo, nec Augustinum in Martham dictis pepercisse; at invectivas plurimas, non nisi uno ex Balbino inaudivimus.*

tur, nisi mandato regio morem gesserint. Imperata demum faciunt coryphæi, afferuntque litteras in membrana longa & lata exaratas. Legatus eas quidem explicat; sed neque scriptura lecta neque signis inspectis, membranam cultro discindit, signaque præcisa ita dispergit, ut recolligi non possent. Stupentibus omnibus, erat in illo conventu, qui diceret: *Quin detrahimus huic monacho bardocucullum, & imponimus ei trabeam; quando tam insignem agit de nobis triumphum?* At Legatorum gravis & moderata dicendi copia fregit audaciam hominis; omnium vero animos ita devinxit, ut sedata discordia, regni tranquillitas reduceretur. Actum etiam fuit jussu Regio *de Piccardis, ut præstitutum intra tempus cogerentur ad alterutram partem, Romanam aut Calixtinam, discedere:* convenitque inter Ordines, ut mandatum istud publicas in tabulas, imposita transgressoribus multa, referretur. s)

LXVII. Abeuntibus e Bohemia legatis, secutum in eandem sententiam est regium edictum adversus *Piccardos* in festo S. Laurentii Buda missum, quod iccirco Sancto — laurentianum vocarunt. t) In Moravia tamen Piccardorum fautores, præsertim *Joannes a Zierotin, Fulnecæ Dominus*, mandatum hoc parvi fecerunt, nimia Regis bonitate confisi. Id quod inultum reliquit *Wladislaus*. u) Siquidem litteris suorum edoctus, omnia per Bohemiam quieta es-

10. *Augusti.*

s) Dubrav. l. c. p. 262. — MS. cit. Hlas Strajn. p. 156. seq. — Pessina l. c. p. 914. seq. — Pelzel hist. Boh. p. 504.

t) Edictum ap. Lunig Cont. I. P. II. de Bohemia p. 244.

u) MS. Hlas Strajn. p. 115.

esse; peractis Epiphaniæ solemniis, in viam se dedit cum *Ludovico & Elisabetha* sive *Anna*, quod nomen huic imposuit a morte Reginæ, ut defunctæ desiderium leniret. Septum ornatissimo Hungarorum comitatu Regem quum Brunæ aliquamdiu substitisset, *Stanislaus Episcopus Olom.* aliique Moraviæ Proceres deduxerunt Pragam, ubi *Ludovico* Bohemiæ coronam solenni ritu Episcopus Olomucensis imposuit. Reliquam anni partem Rex in Bohemia transegit. *x*) Altero autem anno urgentibus reditum Hungaris, itinere per Moraviam solito reversus, divertit Cremsirium ad *Stanislaum Episc. Olomucensem*, ac liberaliter splendideque acceptus, in tertium usque diem diversatus *ibidem* est. Magnopere tamen erat anxius ob *pestem* in Hungaria pullulantem, cui liberos suos committere metuebat. Quo periculo sollicitum recreat *Stanislaus*, quum ultro ac libenter hospitium sive Cremsirii, sive in arce sua Viscoviensi regiis offert prolibus, donec in Hungaria contagio remiserit. Tam promta officii exhibitio, uti multis, ita inprimis Regi fuit quam gratissima, de qua & gratias egit. At supervenit interpellator Trencz'inio Cremsirium, *Joannes Comes Scepusiensis*, qui ducentis comitatus equitibus, gravius Regi minatur, Hungaros illum Budæ aditu prohibituros, absque liberis in Hungariam si redeat. Itaque cum liberis iter continuavit. *y*) Verum ingravescente in Hungaria pestilentiæ vi, in Moraviam rediit, & Hunnobrodæ a festo S. Wenceslai usque ad Epi-

1509.

Martii.

1510.

x) Pessina l. c. p. 925. — Pelzel l. c. p. 505. seq.

y) Dubrav. hist. Bohem. L. XXXII. Qui testis auritus & oculatus est, utpote *Stanislai Episcopi* tum Cancellarius.

Epiphaniam Domini una cum filio Rege *Ludovico* resedit. Invitatus postea a Silesiis, magno Procerum Moraviæ, Hungariæ, & Bohemiæ numero cinctus, Wratislaviam Hunnobroda movit. Ex itinere divertit Hradisstium, ibique templum P. P. Franciscanorum, ac sepulcrum *Joannis Episcopi Varadinensis*, ministri sui quondam fidelissimi, visitavit. *a*)

A. C. 1511.

LXVIII. Wratislaviam advectus, *Ludovico* filio suo homagium ab Silesiæ Ordinibus exegit. Sed orta Bohemos inter & Hungaros gravis est disceptatio, utrisque Silesiam ad se pertinere contendentibus. Bohemi quidem & Moravi eam semper Bohemici juris provinciam fuisse, dicebant; proin *Ludovico* qua Bohemiæ Regi, fidem dari oportere ab Silesiis. Contra Hungari allegabant pacis Olomucensis pacta, quibus cautum erat, ut ne Silesia ab obitu *Mathiæ Regis*, nisi deposita certa auri summa, ad coronam Bohemiæ rediret. Re ancipiti homagium est dilatum. *b*) Litem sub judice reliquit pariter *Sigismundus* Poloniæ Rex, *Wladislai* germanus, ante regnum Dux Oppaviensis; eundem tamen Ducatum paullo post restituit *Wladislao* Hungariæ & Bohemiæ Regi. *c*) Hoc ipso tempore *Wladislaus* in Hungariam discessit: quo discessu, veluti signo accepto, qui-

29. *Januarii.*

14. *Martii.*

a) Chron. Hunnobrod. l. c. p. 287. — Pessina l. c. p. 928. — *Joannes Varadin.* an. 1509. die 17. Jun. obiit Olomucii, sed Hradisstii sepultus est. *Vid. Cruger. ad diem* 17. *Junii.*

b) Jacob Schikfus. Chron. Sil. L. I. c. 38. p. 180.

c) Litteræ Sigismundi ap. Strzedowsky Apogr. Mor. Vol. VII. p. 41. datæ Cracoviæ die 14. Martii an. 1511.

quidam nobiles per Moraviam & Silesiam, decoctis propriis, studium omne converterunt ad rapiendum aliena. Quia vero pressi in una provincia, migrabant in aliam, e Bohemia videlicet in Silesiam, vel Moraviam, & vicissim; quo tandem opprimi possent latrocinia, Proceres regni & provinciarum, mandante Rege, Glacium convenerunt. Facta consociatione, statutum habuere omnes: Ne uspiam deinceps pateret latronibus hospitium aut perfugium; sed ubivis locorum oppugnarentur armis, vel capti meritis afficerentur poenis. Adfuerunt illi conventui ex Moravis: *Promarchio Lomnitzius*, *Joannes a Pernstein*, & *Joannes a Zierotin*.: a quorum reditu denuo publica Moraviae pax restituta. *d*) Sed privata quaedam controversia fuit *Augustino Olomucensi* Praeposito, & supremo regni Hungariae Secretario cum Baronibus & Equitibus Oppaviensis Ducatus. Cupiebant illi caussam domi prius, quam ad tribunal Moraviae ex veteri privilegio devolvatur, cognosci & judicari. Respondit vero *Augustinus*, se non unum, alterumve e nobilibus reos agere, sed Barones & Equites omnes; proin caussam mox in prima, ut ajunt, instantia apud Moravos judicandam. Stetit ab *Augustino* Rex *Wladislaus*, ac paullo ante conventum Glacensem utrique illi Ordini Oppaviensi ad IV. Nonas Febr. anni sequentis constituit vadimonium Olomucii, ubi illud Barones & Equites Oppavienses coram Promarchione, & Ordinibus Moraviae stiterunt. *e*) At vero decretorum

1512. 4. Decembr.

d) Pessina l. c. p. 932. — Pelzel l. c. p. 507.

e) Litterae regiae ap. Serzedovsky Apograph. Mor. Vol. VII. p. 46. dat. Budae feria II. post festum S. Martini a. 1512.

rum Doctor, & insectator Piccardorum *Augustinus* eodem anno Olomucii subita morte obiit III. Nonas Novembr. quum validus atque integer cœnandi caussa discumberet. Id quod Piccardi genio suo cœlestis iræ signum acceperunt. *f*) *)

A. C. 1513.

3. *Novembr.*

LXIX. Nec ullus posthac efficacia quadam Piccardos, primarum partium defensoribus tutos, insectari potuit, quoad *Wladislaus* Rex vixit. Iste enim deinceps in id toto incubuit animo, ut affinitatis pacta, quæ olim *Joannes Varadinensis* an. 1507. magna ex parte transegerat, felicem ad exitum adduceret. Eum in finem celebratus Viennæ est conventus *Maximiliani Cæsaris* ac trium Regum: *Wladislai* & *Ludovici* Hungariæ Bohemiæque, ac *Sigismundi* Poloniæ. Paucis post diebus *Maria*, Cæsaris ex *Philippo* filio neptis, *Ludovico Wladislai* filio desponsa est: vicissim Cæsar alterutri ex nepotibus, *Carolo* aut *Ferdinando*, ejusdem *Philippi* fi-

1515.

22. *Julii.*

f) Ziegelbauer Olom. Sac. P. II. p. 37. — MS. Hlas Strażn. p. 157.

*) Boehmius l. c. obitum *Augustini Moravi* statuit anno 1510. — At pace viri doctissimi ac de Augustino Olomucensi optime meriti, ne ab anno adsignato recedamus, vetat tum diploma *Wladislai Regis* supra productum; tum inscriptio, quæ in Ecclesia Metropolitana Olomucensi, ubi sepultus ille est, in tabella ærea marmori rubro inserta hodieque reperitur, hujus tenoris: *Augustinus de Ollmütz, Juris Pontificii ac liberalium artium Doctor, Olomucensis & Brunensis Ecclesiarum Præpositus, hic ad vocem tubæ Archangeli quiesco, ab anno Incarnati Dei* 1513. *Tertio Nonas Novembris. Vixi annos* 46. *menses octo.* Vid. Ziegelbauer l. c.

filiis, *Annam Wladislai* filiam in matrimonium collocandam promisit ea lege, ut regnum Hungariæ extincta *Ludovici* stirpe, ad Cæsaris nepotem *Annæ* conjugem, eorumque liberos, jure hereditario recideret. (*g* Confectis ex voto rebus omnibus, *Wladislaus* cum *Ludovico* in Hungariam, *Sigismundus* per Moraviam & Silesiam in Poloniam remigrant. Hic in transitu simul ac reditu ab *Stanislao Præsule Olom.* exceptus splendido est hospitio, cum frequentissimo Procerum comitatu. Ac primum quidem Gremsirii, dein Viscoviæ; sed utroque in loco tam hospitaliter, ut ipse Rex ingenue fateretur, Vienna usque Cracoviam a nemine quoquam se lautius, liberaliusque habitum, atque ab Episcopo Olomucensi. *h*) Inter hæc *Joannes Mezericius de Lomnitz*, Supremus Moraviæ Præfectus Viennæ mortem occubuit; hinc muneri illius *Rex Wladislaus* præposuit *Joannem de Pernstein & Towac'zow*, virum e familia Moravorum tum ditissima, quæ hoc Rege ex monasteriis Trebicensi, Prostannensi, & aliis maxima divitiarum suarun incrementa accepit. Indixit etiam *Wladislaus* conventum Provincialem initio anni sequentis Olomucii agendum. In 1516. eo Rex, *Stanislaus Episc. Olom.* novus ille Promarchio *Pernsteinius*, atque omnes Moraviæ Ordines sanxerunt pacem publicam (Landfried) annis quindecim duraturam. Præter alia jam olim statuta decernitur: " Ius diviti æque ac " pauperi tribuatur, ac præter bina comitia " quot annis usu recepta, agantur conventus " ex-

g) Contractus matrim. ap. Balbin. Miscell. Dec. I. L. VIII. p. 101. Et Diarium Joan. Cuspin. de congressu Cæs. Aug. & trium Regg.

h) Dubrav. hist. Boh. L. XXXII.

„ extraordinarii, quoties necessitas postulaverit.
„ Armis provincialibus coerceantur pacis tur-
„ batores, reipublicæ exitiales, damnosi ac sce-
„ lerati homines. Nemo injuriam ab exteris
„ sibi illatam propria vi ulciscatur, sed eam
„ deducat in judicium Promarchionis vel Re-
„ gis. Mandata Regis aut Promarchionis omnes,
„ cujusvis status vel conditionis, expleant; re-
„ belles autem statutis plectantur pœnis. Nul-
„ lus prædones, fures, aliosque sceleratos exci-
„ piat hospitio; neque arces novæ sine consen-
„ su regio aut provinciali exstruantur &c „
i) Soluto conventu, *Wladislaus* Budam rever-
sus gravi correptus morbo est.

LXX. Ingravescente ægrotatione, extre- 9. *Martii.*
mas ad Moraviæ Ordines dedit litteras, mitis-
simi animi sui testes: 1) Periculoso teneri se
morbo nuntiat, filiumque suum *Ludovicum Re-
gem*, Marchionatus heredem magnopere com-
mendat Moravis, ut eidem perinde, ac sibi
inviolatam præstent fidem, subjectionem, au-
xilium. 2) Petit, ut berna, sive tributo spon-
taneo, castrum *Spilbergam* redimant, atque æs
alienum, quo Rex quibusdam Moravis ob-
stringitur, dissolvant. 3) Paterno hortatur ani-
mo, ut pacis & concordiæ studiosi *Promarchi-
onem Joannem Pernsteinium*, ceterosque juri di-
cundo præpositos colant & observent. 4) Ad
ultimum Moravis obedienter ac pie sibi sub-
jectis, fausta precatur omnia, atque adeo mo-
lestiæ vel injuriæ, siquam eis fecit, veniam
flagitat. *k*) Nequedum allatis in Moraviam

 his

i) *Pax publica* h. a. facta Olo-mucii die Mercurii post festum Epiphaniæ ap Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. III. p. 151. seqq.

k) Litteræ R. Wladislai h. a. Budæ die 9. Martii datæ ap. Strzedovsky l. c. p. 536. seq.

his litteris, *Wladislaus* acerbioribus podagræ doloribus confectus, anno ætatis 62. fatis cessit: vulgo appellatus *Rex* Dobrze, i. e. *Bene*, quod hoc vocabulum justo frequentius usurparet. *l*) Successit Patri filius *Ludovicus* in regnis Hungariæ & Bohemiæ, ac tanto magis in Marchionatu Moraviæ, quanto diligentius Moravorum fidei & amori commendabatur. Quia vero ob immaturam ætatem regendo minus erat idoneus, Patris voluntate educandus erat a *Georgio* Marchione Brandeburgico. In Hungaria publico consilio, cui & Moravi aderant, Palatinus est creatus, in administranda republica Regi ad manum futurus. Hinc anno sequente missa in Bohemiam legatio, quæ summam imperii potestatem Regi vindicaret. Princeps legationis fuit *Joannes a Zierotin* Baro Moravus, politicis in rebus magni usus & consilii. Sed quum negarent Bohemi, posse quempiam imperare Bohemiæ ante, quam ad leges patrias servandas jurejurando se obstringeret: tum regni illius, tum Moraviæ administratio penes Proceres mansit pæne quinquennio. *m*) Hoc interim spatio revixerunt latrocinia, quæ potissimum districtum Olomucensem & Brunensem rapinis infestum reddebant adeo, ut viatoribus, nisi multis simul & armatis, intutum esset iter. Ad opprimendos latrones summo adnisus studio *Pernsteinius* Promarchio, exscindere eos stirpitus nequaquam potuit; adeo succreverunt in dies, & numero etiam identidem adoleverunt.

[Margin: ...i. e. m. — ...lovicus ... & Boh. Mor. ...b. XXI. — 1517.]

LXXI.

l) Dubrav. l. c. — Pessina. l. c. p. 1936.

m) Pessina M. M. p. 935. seqq.

LXXI. Obtenta dein Moraviæ Præfectura, *Archlebus de Boſkovitz* non ſolum ferro & igne, ſed aliis quoque mediis malo medelam attulit. Nam communibus Procerum viribus prædatoria expugnavit latibula, duo autem præcipua: *Daleczinium* prope Pernſteinam, & *Hohenſteinam* haud procul Trebovia Moravica, exuſſit ac funditus diruit. Præterea legem veterem olim a Regibus & Marchionibus latam, conſenſu Ordinum renovandam ac promulgandam juſſit: qua poteſtas fiebat omnibus etiam privatis, ut in ſuo quisque fundo comprehenſum cujuscunque ſtatus latronem aut caperet, aut interficeret. Licebat ea cauſſa armatos homines cogere, loca opportuna præſidiis firmare, quin & nova exſtruere. Denique magna etiam præmia ſunt propoſita iis, qui aut vivos magiſtratui ſiſterent, aut interfectorum capita adferrent. *n*) Hoc modo repurgata Moravia eſt colluvie raptorum, qui nec a morte *Archlebi Boskovitzii* emerſerunt, quum *Joannes I. Cuna a Cunſtad* Moraviæ Præfecturam pari cum laude ſuſtineret. *o*) Iccirco repetitis legationibus rogatur a Bohemis & Moravis *Rex Ludovicus*, iſtas ut provincias tandem inviſeret. At metus Turcarum Belgrado imminentium ita eum in Hungaria tenuit occupatum, ut vix nuptiis celebrandis tempus vacaret. Has nihilo minus celebravit Poſonii cum *Maria* ſponſa, *Ferdinandi I.* Archiducis ſorore; & viciſſim *Ferdinandus* cum *Anna Ludovici* ſorore Lincii. Sed pro temporis turbulenta conditione, non plane regio apparatu fuere ſolennia nuptiarum. Amiſ-

A. C. 1519.

1521.

n) Peſſina ibid. Codex Czriborii a Drnovitz ap. Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. III. p. 189.

o) Otto Steinbach Dipl. Sammlung. P. I. p. 55.

so autem Belgrado, cum *Solymannus* Turcarum Imperator movisset in Thraciam, *Rex Ludovicus* una cum *Maria* conjuge in Bohemiam iter suscepit. Brunam advectus mense Martio, aliquamdiu substitit, ubi delecti a Senatu populoque Olomucensi, ut antiqua eorum privilegia firmaret auctoritate sua, rogarunt. Rex motus Olomucensis urbis inter alias Moraviae civitates praerogativa, uti & civium Olomucensium fide, quam Patri suo olim praestiterant: voti eos compotes fecit, atque inter cetera nominatim illud privilegium confirmavit, quo idoneos viros quot annis in Senatum adlegere, & sui in locum substituere, Consuli ac senatoribus ab antiquo licebat. *p*)

1522.

LXXII. Pragam deinde comitati Regem sunt amplius viginti Barones Moravi; non tamen solito Regum itinere per Iglaviam: quod hanc primam omnium Moraviae civitatum *Lutheri* placita jam tum amplexam esse, audierit. Immo postea Olomucium ex Bohemia misit edictum regium, quo non Iglavia solum, sed tota etiam Moravia *Lutheri* sectam proscripsit. *q*) Auctor & impulsor mandati hujus dubio procul fuit *Stanislaus Turzo Episc. Olomucensis*, qui Reginae *Mariae* coronam Bohemiae imposuit, assistentibus: *Iacobo Wratislaviensi*, & *Ladislao Waciensi Episcopis* in Metropolitana Pragae ecclesia. Hinc politico regni statu ordinato, Rex die

Junii.

p) Pessina l. c. p. 944. — Diploma Ludovici R. datum Brunae h. an. die Jovis ante Dominicam *Oculi* ap. Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. VI. p. 4.

q) Pessina p. 945. Et Chron. MS. Joann. Kranich Civis Olom. an. 1599. ap. Strzedovsky l. c. Vol. X. p. 37.

die 16. Februarii Praga discedens, Olomucium ante Dominicam Palmarum venit, comitatu cinctus ornatissimo: *Georgio* Marchione Brandeburgico; *Friderico* Lignicensi, *Carolo* Münsterbergensi, *Casimiro* Teschinensi Ducibus; Nuntio Apostolico, *Ferdinandi* Archiducis Legato, & Fratribus sex Mezricensibus. Ipso Palmarum die Rex in Cathedrali Ecclesia sacris, & supplicationi cum Regina aliisque Principibus adfuit; in cœna autem Domini aderat *lotioni pedum* (*mandatum* dicimus) quam Episcopus peregit. Sed & Regina *Maria* tribus & viginti pauperibus pedes abluit, singulis novos donavit thoraces, ac mensæ accumbentibus inserviit. *r*) Peractis Paschæ solenniis, *Ludovicus* Iglavienses ad se vocatos, verbis accepit gravissimis: quod spreta religione catholica, ad nova Ecclesiæ contraria *Lutheri* placita transierint; jussu regio *Paullum Speratum*, qui eis mutandæ religionis occasionem attulit, civitate non ejecerint; quin potius mortuo sub id tempus catholici ritus Parocho, illum publice primario in templo dicentem pro concione, audiverint. Pœnas igitur & supplicia eis minatur, nisi resipiscant, & pulsis novarum opinionum præconibus, avitam majorum fidem ac doctrinam rursus amplectantur. Morem se gesturos promiserunt Iglavienses. At *Speratus* male factorum conscius, Iglavia clam erupit, ac Trebicii apud Parochum ejusdem farinæ hominem delituit. Postea quum ope nobilium quorumdam nixus, palam in oppidis & pagis dissereret novam *Lutheri* doctrinam; Bitessii captus, Olomucium deducitur. Ibi

A. C.

I 4 con-

r) Chron. MS. ibid. p. 38.

convictus de hæresi, cum Quæsitores (inter hos *Joannes Dubravius* Episcopo tum a secretis consiliis) nihil in eo sanando proficerent, Regis sententia damnatus ad rogum est. Verum *Wokone Sovinecio*, Supremo Moraviæ judice; *Heraldo* item & *Wilhelmo* Cunstadæis, & non nullis Calixtinæ fidei Proceribus intercedentibus, pœnam exilii dumtaxat subiit. Tametsi vero *Speratus* Wittenbergam abiit, & libri lutherani cum novo sectæ illius testamento Iglaviæ combusti in foro sunt; hæc tamen civitas sacris a *Luthero* institutis addicta multo diutius fuit. *s*)

LXXIII. Olomucio Rex cum Regina Cremsirium divertit, suaque hic *manu* litteras ad *Joannem* Ducem Oppoliensem scripsit, ut fidem faceret *Stanislao Ep. Olom.* ad eum misso: qui oraturus erat, ne Dux orbus & senex, ac bene locuples, alium quam Regem bonorum suorum heredem relinqueret. In Hungariam redux, *Casimiro* Duci Tessinensi ducatum Oppaviensem confirmavit, quem huic *Wladislaus* Rex novem abhinc annis contulit ea lege, ut jurejurando testaretur, se eundem Ducatum Regi Hungariæ acceptum ferre. *t*)

Decembr.

Mor

(*s* Chron. MS. l. c. — Pessina p. 946. seq. — Schmidl hist. Soc. J. Prov. Boh. L. I. p. 56. seq. — Hoc ipso anno feria II. ante Pentecosten Iglavia quanta quanta incendio conflagravit, præter monasterium S. Crucis, & aliquot domunculas post Parochiam; homines autem 25. perierunt. Incendium istud mulieres quædam ebriæ, placentulas pinsendo, improvide excitarunt. *Vid. Pessina ibid.*

t) Dubrav. L. XXXIII. — Diploma ap. Sommersberger l. c. T. II. p. 1065. & 1068. Datum Posonii h. an. die 8. Decembr.

Mortuo autem *Joanne I. Cuna de Cunstad*, supremam Moraviæ Præfecturam detulit *Joanni de Pernstein & Helfenstein. u*) Quo partes agente suas, pacata & tranquilla fuissent omnia, nisi plebs contra Senatum Iglaviæ movisset seditionem. Ejus componendæ caussa Rex misit e Camerariis suis *Zebrzidum de Bolelusk* Equitem Moravum. Sed effera plebs salubria suadentem adeo non audiit, ut etiam suspectum Senatus fautorem palam conclamitaret; insuper ejus effigiem infami columnæ affigeret cum inscriptione: *Hic est Rex Polentariorum*: intelligens Senatores, quos inter potiores erant Polentarii. Abeuntem quoque e civitate, contumeliosis insectari verbis, sibilis, & cachinnis non verebatur. Facinus istud Rex tulit ægerrime, jamque parabat pœnas eo dignas, nisi *Wenceslai de Berka, Cztiborii a Drnovitz, Joannis senioris de Sternberg & in Kvassitz*, atque aliorum, qui sub id tempus a Statibus Moraviæ missi Budam fuerant, intercessissent preces. His oratoribus, venia Iglaviensibus data. *x*) Tanto autem severius animadvertit in *Piccardos* & *Lutheranos*, quorum doctrina clam & palam indies magna faciebat incrementa. Namque impulsore Antistite Olomucensi *Stanislao*, Rex Budæ edicto sanxit: Ne usquam in regno & provinciis coronæ Bohemiæ unitis ulla religio, præterquam *catholica sub una & sub utraque*, secundum compactatorum legem toleraretur, statuta exilii pœna, qui secus fecerint; pœna vero capitis, qui nova in regnum dogmata inferrent, eaque in vulgus spargere au-

A. C. 1525. 25. Maj

 de-

u) Otto Steinbach. l. c. p. 55. seq.

x) Pessina M. M. p. 948.

derent. *y)* Neque dubium, quin Rex juvenis quidem, studio tamen religionis catholicæ & sinceræ in Deum pietatis præstans, novas in Moravia opiniones stirpitus exegisset, dummodo sivissent fata eundem diutius vivere.

LXXIV. Irrupit enim in Hungariam *So-*
1526. *lymannus* Turcarum Imperator, ducentis armatorum millibus stipatus. Frequentibus nunciis *Ludovicus* a Bohemis & Moravis auxilia petebat. Accurrerunt quidem aliqui; exiguo tamen numero, reliquis tardius, ac necessitas urgebat, arma capientibus. Maxime quum primæ in Hungaria auctoritatis dignitatisque Præsul, audiente *Dubravio* hæc ad *Stanislaum* Olom. Episcopum: *Non opus est multos nobis subsidio ut mittatis milites; rumorem tamen spargite, quasi plurimos missuri. Qui percrebescat, si complura militibus vexilla sint admista; siquidem ad vexilla militum nostrorum, Turcæ numerum ineunt.* Metuebant fortassis Hungari; ne exterorum auxilio Rex victoria potitus, eorum deinceps arbitrio regnaret. Iamque Turcæ appropinquabant, quibus Rex non multo amplius quinque & vinginti millium opposuit exercitum. Potissimi ex ducibus præsertim Bohemi & Moravi suadebant Regi plusculum fervido, utne prælio decerneret; sed aut copias ex Bohemia, Moravia, & Silesia adventantes sibi adjungeret, aut castris palude & natura loci munitis, teneret militem. At enim Hungarorum Proceres inconsulto poscebant studio prælium, jactando gloriosius, nullo unquam tempore accidisse, ut Turcarum impetum Hungari non fer-

y) MS. Plaß Strajn. p. 160 — Pessina p. 948.

ferrent. Itaque conſeritur ad Mohac'zium infelix illud prælium, quo Hungari a Turcis ad internecionem cæſi, in fugam aguntur. Terga vertentibus ceteris, Rex pariter fuga ſalutem quærit. Quum autem Caraſſum paluſtrem & cœnoſum rivum tranſire, ac ripæ aggerem ſuperare conatur, equo reſupino, in altum lutulenti amnis limum corruit, ac ſimul armorum pondere, ſimul equi colluctatione oppreſſus, miſerabili caſu interiit ætatis anno viceſimo. Perierunt quoque ex Moravis: *Joannes a Wickow*, *Sigismundus Kropac'z a Noviedomy*, *Hinko a Zaſtrzizl & Prahſchitz.* Die prælium conſequente aderant auxiliares copiæ: e Tranſilvania, Slavonia, Bohemia & Moravia. Poſtremas has ducebant: *Joannes a Pernſtein*, *Joannes junior a Sternberg*, & *Bernardus junior a Zierotin.* Sed actum erat. Quare itinere, quo venerant, citato gradu redierunt. Regia conjux *Maria* ad primum funeſtæ cladis nuntium cum theſauris, quos citatim colligere potuit, Buda Poſonium, dein Viennam ſe recepit. Quadriennio poſt a fratre ſuo *Carolo V. Cæſare* gubernatrix Belgii dicta, ſpartam hanc ornavit annos ipſos quinque & viginti. Tandem extremum clauſit diem in Hiſpania an. 1558. quo eundem fratrem ſuum, abdicato imperio, ſecuta eſt. z)

29. *Auguſti.*

CON-

z) Stephan. Broderith de clad. Mohac'z. append. Bonfinii p. 757. — Dubrav. hiſt. Boh. L. XXXIII. — Peſſina p. 949. ſeqq. — Adauct. Voigt Böhm. M. B. P. III. p. 360.

CONTINUATUR SERIES PROMARCHIONUM SIVE MORAVIÆ PRÆFECTORUM AUT CAPITANEORUM.

Circa an. 1420. Henricus de Kravarz *ab H[...] tis an. eodem ad Pragam occ[...]*
1421. Petrus de Pernſtein.
1428. Joannes Krairz de Kragek.
1434. Joannes de Lomnitz — [...] *Strzedovsky Sac. Mor. biſt. p. [...] omiſit.*
1437. Wenceslaus de Boskovitz.
1440. Joannes de Cymburg & To- wac'zow.
1462. Hinko ſive Henricus de Lippa.
1464. Victorinus Podiebradius, Dux Münſterbergenſis.
1469. Cztiborius de Cymburg & To- wac'zow.
1494. Wratislaus de Pernſtein.
1496. Joannes Mezericius de Lom- nitz.
1516. Joannes I. de Pernſtein & To- wac'zow.
1519. Archlebus de Boskovitz.
1521. Joannes I. Cuna a Cunſtad.
1524. Joannes II. de Pernſtein & Helfenſtein ad an. 1530.

VARIÆ ADNOTATIONES AD QUINTAM PERIODUM HISTORIÆ MORAVIÆ:

Status Moraviæ politicus. I. Afflictus licet nimium, ſimul turbis Huſſiticis, ſimul diuturnis bellis Moraviæ Mar- chi-

chionatus; retinuit tamen priſtinam regiminis formam, ſuaque jura provincialia. Ac rei quidem publicæ habenas moderabantur *Marchiones, Status Moraviæ*, ac variis præfecti muniis tum Domini ſeu Barones Moravi, tum Equeſtris Ordinis, aliique idonei viri. Id genus munia partim *regia*, partim *provincialia*, quantum ad hiſtoriæ patriæ notitiam attinet, præcipua erant: 1) *Supremus Provinciæ Capitaneus*, ſive *Promarchio* (Heytman) conſtitutus a Marchione, vel interdum a Statibus Moraviæ, ex antiquiſſima Dominorum familia: qui Marchionis vices in gubernanda Moravia geſſit, publicisque invigilabat juribus, judiciis, utilitatibus. 2) Supremus regni Bohemiæ *Mareſchallus* (Marſſalek) hereditario jure ex familia Moravica Dominorum *de Lippa* deſignatus. Is Regi, ſeu coronæ Bohemiæ imprimis obſtrictus, in Moravia provincialibus aderat judiciis, atque inter nobiles cauſſam injuriarum judicabat. 3) Supremus Moraviæ *Camerarius* (Komornik) alter Olomucenſis, Brunenſis alter: quorum auctoritas tam in judiciis, intra præſcriptos eis limites, quam circa Tabulas publicas eminuit. Uterque ex antiqua Dominorum familia, eaque ſaltem quadraginta millibus florenorum locuplete, creabatur. 4) Supremus Moraviæ *Judex* (Sudi) tum Olomucenſis, tum Brunenſis Dicaſterii. Ambo cum aliis provinciæ, ut vocant, officialibus vi annexæ muneri ſuo poteſtatis ferebant ſententiam, (Nalez) eamque ex tabulis deſcriptam partibus dabant. Ambo legebantur ex Ordine Dominorum, facultatibus ſaltem quinque millium florenorum præditi. 5) Supremus Curiæ Marchionalis *Director* (Hofrichtyrz) in nobiles Marchionis Vaſallos certis in cauſſis vicaria jurisdictione inſtructus. 6) *Subcamerarius*

pro-

provincialis (Podkomorzy) regiarum in Moravia civitatum regimini præpositus. 7) Supremi provinciæ *Scribæ* præsertim officio fungebantur circa Tabulas publicas.

Præter hæc munia regia & provincialia, fuerunt & alia minoris dignitatis. Nam *Camerarius*, *Iudex*, & *Scriba provincialis*, sibi ipsi deligebant ex Ordine Equestri minores Officiales cognomines, ut in functionibus muneris eos adjuvarent, aut minoris fori caussas cognoscerent: hinc Camerarii, Iudices & Scribæ *minoris judicii* dicebantur. *Consules aut arbitri provinciales* (Zemssti Konsselowe) lites inter privatos, a quibus vocabantur, ad minuenda judicia provincialia componebant in quavis regione, idque ante Taboritarum tempora. *Burggravii Provinciæ*, turbis in domo Provinciali, dum paterent Tabulæ Marchionatus, excitandis præcavebant; aderant quoque testium productioni, hereditatibus, executionibus, juramentis certæ formulæ &c. Ab his diversi erant *Burggravii Castrenses*, aut *Castellani* castrorum Marchionalium & Cameralium bonorum Præfecti. Marchionatus *Pocillatores*, *Subpincernæ*, *Dapiferi*, *Subdapiferi*, *Venationum Præfecti* &c. Marchionibus suam commodabant operam. -- *Episcopi Olomucenses*, tamquam secularis etiam fori Principes, suos in caussis politicis jam antiquitus habuere Officiales, præcipue *Feudales Iudices*, & *Iudicii Feudalis Præfectos*, qui illustribus eorumdem Præsulum clientibus seu Vasallis jura dabant. Denique *Oppavienses Duces*, etsi regionis ejus incolæ usque ad vicina nobis secula inter Moraviæ cives accenserentur, peculiares tamen sibi legebant Præfectos, & Offi-

ci-

ciales, videlicet: *Supremos Ducatus Oppaviensis Capitaneos, Camerarios, Iudices* &c. a) *)

Iura & Consuetudines Moraviae.

II. Politica Moraviae jura, ac judiciales consuetudines, forensi explanare calamo, alienum ab instituto nostro est; summa persequimur capita. Ad haec pertinent: *Iura provincialia, jura feudalia Marchionalia, jura feudalia Episcopalia, jura feudalia Mareschallica, Ecclesiastica, urbica* seu *municipalia*, ac demum *jura servilia.* Praeter alia antiquitatis monumenta his de juribus agunt: 1) *Codex Towac'zowiensis* sive Liber *Cztiborii a Cymburg de Regimine Politico*, bohemico sermone exaratus rogatu Ordinum Moraviae, quibus ac praesertim *Protasio Episc. Olomucensi*, inscriptus est. Constat vero duabus partibus: altera libertates, altera Moraviae jura antiqua refert. Id quod & praefatio, & clausula libri testantur, quae sic sonat: *Finiunt libertates & jura Marchionatus Moraviae.* Te-

a) Codices MMSS. Cztiborii a Cymburg, & Cztiborii a Drnovitz ap. Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. III. Item Apparatus Chronicorum Moraviae ejusd. Strzedovsky T. III. MS. ubi omnia haec munia fuse describuntur.

*) Combinatis tribus Silesiographis: *Schükfusio, Henelio* & *Sommersbergio*, certa Oppaviensium Ducum chronologia statui haud potest; eorum igitur series ita se habet: *Nicolaus I.* Ottocari II. Boh. Regis nothus; *Nicolaus II.* prioris filius; *Joannes I.* Nicolao II. genitus; *Wenceslaus I.* prioris frater; hujus frater secundo loco natus *Premislaus*; istius filius *Wenceslaus II. Wenceslaus III.* prioris filius; *Joannes II.* frater Wenceslai III. *Victorinus* Georgii Boh. Regis filius. *Joannes III.* Mathiae Corvini Hung. Regis nothus. *Albertus*; *Sigismundus*; *Casimirus*. Vid. scripp. citati.

Teſtatur auctor ſe adfuiſſe Brunæ, quum *Ladislaus Poſtumus*, & *Georgius* Boh. Reges ibidem in Marchiones recepti ſunt; proin obſervaſſe, libro huic inſerta: Patriæ conſuetudines, publica pacta, cauſſarum provincialium transactiones, & varias pro temporum ac rerum ratione conſtitutiones regias. Annum, quo codex iſte in publicum exiit, in quatuor diverſis exemplaribus ſe non reperiſſe, fatetur *Joannes Strzedovskius*; cenſet tamen circiter annum 1481. fuiſſe in lucem editum. *b*) *) 2) Eadem jura continet alius liber *D. Cztiborii a Drnovitz* familiæ Cunſtadeæ: qui Codicis de Regimine politico inſtar gloſſæ, ut ajunt, haberi poteſt

b) Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. III.

*) Opinionem ſuam Strzedovskius ita conatur evincere: Ineſt huic codici diploma *Mathiæ* Hung. & Boh. Regis, & Marchionis Moraviæ datum an 1480. quo ſtatuitur ordo ſeſſionis in comitiis; proin ſcriptus non eſt ante an. 1480. — Ex præfatione autem conſtat, codicem hunc eſſe dedicatum *Protaſio Olom. Epiſc.* & ejus Patri *Wenceslao a Boskovitz*, ceterisque ſtatibus; adeoque non eſt editus poſt an. 1482. quem nec Epiſcopus, nec ejus Parens vivendo abſolverunt: ille quippe die 25. Auguſti, hic vero die 14. Octobr. obiit. — Itaque ſequitur Codicem circa an. 1481. primum lucem aſpexiſſe — Nec obſtat, quod in codice illo reperiantur quædam res ſerius accidiſſe. Nam ea ſunt addita poſt *Cztiborium a Cymburg*: quum quilibet deſcriptor aliqua ſibi bene viſa addiderit; ſicut quatuor illi codices, in quos Strzedovskius incidit, ſinguli aliter finiebant. Quin auctor ipſe in dedicatione ſua id innuit, dicens: Siquid præterea invenerit, ſe ſuo codici adjecturum. *Vid. Strzedovsky l. c. in Nota Codici præmiſſa.*

ſt. Oſtendit enim *Wladislao II. Ludovico*, & *Ferdinando* Regibus Boh. & Moraviæ Marchionibus, antiquarum conſuetudinum non nihil fuiſſe imminutum, refertque anni 1561. acta quædam. Eſt autem hic *Cztiborius II.* frater *Bohuslai II. a Drnovitz*, qui an. 1528. in Moravia ſupremus provinciæ Iudex fuit. c) 3) Commemorandus etiam venit *Codex Iurium Provincialium*, quibus jura feudalia nituntur. Conſtat 384. capitibus, atque in fronte præfert ſcutum bipartitum *Stanislai Turzonis* Epiſcopi Olomucenſis. In argentea ſuperiore area leo dimidius prominet; inferiore autem tres ſtellæ: ſcuto incumbunt Tiara & Pedum Epiſcopale. Sumtibus enim hujus Episcopi datus Litomiſslienſibus typis an. 1538. codex eſt. 4) Eodem anno, atque iisdem ſumtibus excuſus typis Olomucenſibus exſtat *Joannis Olivetzky* liber, cui titulus: *Iura Feudalia*, quorum ſcilicet norma regebantur Olomucenſis Epiſcopatus Vaſalli. Huc quoque pertinent *Sententiæ Iudicii feudalis*, extractæ ex libris variorum Epiſcoporum Olomucenſium: *Joannis Mraz*, *Paulli de Miliczin*, *Stanislai Turzonis* &c. d)

Laudatis e codicibus antiquas patriæ conſuetudines quoque diſcimus, easque ſtrictim attingere juvat. De obitu Marchionis certiores fecit Ordines Promarchio, miſſis quaquaverſum nuntiis, Brunam ut convenirent. Quo facto, vitæ illius memoriam luculenta refricuit orati-

 one,

c) Strzedovsky Apogr. Morav. III. Vol.—Otto Steinbach Dipl. Sammlung P. I. p. 60.

d) Strzedovsky Apogr. Mor. Vol. V. feudali.

one, seque Magistratu abdicabat. Ordines vero eundem illi, vel alii obtulerunt, promissaque obedientia, fiebat *pax publica* Landfriede) dum novus Bohemiæ Rex eligeretur. Seu recens electus, seu hereditarius Moraviæ esset *Dominus*; mittebantur ad eum legati singulorum Ordinum, viri nempe eximii e Dominis, Prælatis, Equitibus, & civitatibus electi: qui eundem de provinciæ statu, antiquis libertatibus, & receptis consuetudinibus edoctum, orarent, ad diem certam ut veniret in Moraviam, Brunæ potissimum recipiendus, ut Marchionem decet. Ac hereditarius quidem Rex ante coronationem Pragensem; electus vero externus, post illam invitari consuevit. Die præstituta a Rege, jussit Promarchio Moraviæ Ordines rursum Brunæ adesse, & quidem quatriduo vel quinque diebus citius. Venienti deinde Regi occurrebant equo insidentes ad unum milliare; tum pedites ad Regem accedebant, quem osculo manus, Promarchio autem brevi sermone salutarunt. Mox equis conscensis, Rex stipatus Ordinibus, civitatem versus processit, eique rursus obviam venit processio rite ordinata, scilicet: Tribus Opificum, Clerus regularis æque ac secularis, Abbates & Episcopus. Votis ac salutatione factis, inter concentus hymni Ambrosiani Rex ad templum S. Petri; dictis autem precibus, in hospitium deductus ab omnibus fuit.

Postridie in conventu Moraviæ Ordinum, Regem in solio sedentem, Promarchio concione alloeutus, testabatur omnes adesse, homagium facturos. Hinc litteras sigillo regio munitas Cancellarius palam legit, quibus Rex *jura, libertates, & consuetudines Marchionatus* confir-

firmabat; hac autem confirmatione Promarchioni tradita, manus Evangelio superimponens, se eandem servaturum jurabat. Post hæc Promarchio munere abdicato, in Ordinem Dominorum se se retulit. Rex vero: *Eja! inquit, fecimus, quod nostrum fuit; jam vos fidem & obedientiam spondete.* Respondebant omnes: *Lubentes, volentesque.* Verum *Barones, Prælati*, & *Equites* nudam solummodo promissionem subjectionis & obedientiæ faciebant; civitatum delecti jurejurando fidem Marchioni, ejusque heredibus pollicebantur, elevatis duobus digitis. Accepta sponsione, Rex ante omnia constituit *provinciæ Capitaneum seu Promarchionem*, datis eidem suis litteris, quibus officii partes explicatæ, & assignatum illi salarium fuit. Delegit quoque sibi *Consiliarios*, quibuscum bonum commune procuraret; ceteris muniis regiis ac provincialibus idoneos præposuit nobiles: qui omnes Regi fidelitatem ex formula jurabant. Rege tamen minorenni, communibus Ordinum suffragiis eligebantur *Promarchio* & *Subcamerarius*, actorum rationem Regi postea reddituri.

Quodsi Rex vel Marchio comitiis, aut provinciali judicio præfuit; altiore sedebat loco, ita ut capita aliorum illius genua æquarent. In medio consedit infra Marchionem Promarchio; ab sinistra Camerarius, & judex Olomucensis in Olomucensi, Brunensis in Brunensi judicio: a dextris Mareschallus, tum ceteri Domini & Equites dextra, lævaque secundum ordinem ætatis. *Episcopus Olomuc.* pro arbitrio poterat adesse judicio provinciali; si vero natus e statu Dominorum fuit, de jure sedebat ad dextram Promarchionis, non quidem ut Episcopus, sed ut Dominus, ac primo etiam

loco subscripsit. *Dux Oppaviensis* in judicio Moravico jus sessionis habuit, etsi Ducatus ipse proprio uteretur judicio. Quodsi Moravus Oppaviensem reum persecutus est judicio; causa ibidem examinata & probata, mittebatur in Moraviam Olomucium vel Brunam; ubi decisa in judicio provinciali, Oppaviam remittebatur, exsequenda sine ulla appellatione. Generatim in quovis judicio concedebatur *duellum* provocatis: idque vel equitibus, vel peditibus, capitis aut pignoris periculo. Immo consensu partium Promarchio locum, diem, modumque duelli præscripsit. Sic an. 1517. equestri duello certarunt Olomucii: *Joannes Tetaur*, & *Joannes Ssvalsky*; item *Wenceslaus Tettaur a Tettau*, & *Wenceslaus Ragezky a Mirovia* &c. Denique ad servandum discrimen statuum, titulus Ordinis Dominorum seu Baronum erat: Urozeny Pane, aut Urozenemu Panu; titulus Ordinis Equestris omisso Pan vocabulo: Urozeny Wladik, aut Urozenemu Wladiku neb Panossy. Item hoc modo: Urozenemu Wladikowi, Panu Janu milemu &c. *e*)

Tabulæ Moraviæ Marchionatus. III. Duplices in Moravia sec. XIV. fuisse *Tabulas publicas* (Landtafel) Olomucenses nempe &' Brunenses, evincunt Scriptores patrii. Originem *Tabularum Olomucensium* retulimus an. 1348. historiæ polit. quo etiam tempore *tabulas Brunenses* esse cœptas, vero est simillimum. Nam ex Tabularum antiquarum extractu patet, binos jam anno illo fuisse libros provinciales,

e) Codices MMSS. Cziborii a Cymburg, & Cziborii a Drnovitz, e quibus illa omnia sunt excerpta.

ales, five Tabulas (Deſky Zemſky). *Olomucenſes* incipiunt a Libro Domini *Joannis de Kravarz*; *Brunenſibus* initium dedit Liber Dom. *Erhardi Puſchka de Cunſtad. f)* In has Tabulas ſtatuta regia & provincialia, pacta & contractus publici, ſententiæ judiciales, aliaque notatu digna referri conſueverunt: & quidem *latina lingua* Primoribus Moravorum non incognita. Verum an. 1480. conſenſu Promarchionis *Cztiborii a Cymburg*, atque omnium Moraviæ Statuum, relationes in Tabulas fieri cœperunt ſermone patrio, ſive *lingua Moravica*, Bohemicæ tum ſimillima. Erant ſub id tempus Olomucii *Wenceslaus a Boskovitz*, Brunæ *Wilhelmus a Pernſtein*, ſupremi provinciæ Camerarii; a quibus primordium ceperunt Tabulæ idiomatis patrii has præcipue ob cauſſas: 1) Ad minuendum laborem Scribarum provincialium, quum ſtatuta & acta judicialia e ſermone moravico in latinum vertenda eſſent. 2) Ut relationes tabulares facilius & clarius intelligerent etiam illi, qui latinæ linguæ non fuerunt periti. 3) Potiſſimum quod interpretes ad verbum non exprimerent de latino omnia, ſed ad mentem ſuam non pauca detorquerent. *g)* Singulis enim comitiis & judiciis provincialibus legebantur Tabulæ, quoad ea nimirum, quæ inſerta proximis fuere comitiis. Id quod olim finito provinciali judicio factum; ſed *Wladislao & Ludovico* Marchionibus, ſub principium datus lectioni huic locus. Similiter Marchionibus iſtis, exoleverunt ſuperflui ritus, quibus Tabulæ provinciales e crypta capituli Canonicorum ſeu

f) Analecta Abbatis Zarens. Ottonis Steinbach.

g) Codex Towac'zow. ap. Strzedovsky l. c. Vol. III. p. 85.

Olomucii, seu Brunæ per *Camerarium*, *Iudicem*, & *Scribam provincialem* reverenter levari; ab occurrentibus Promarchione, Dominis & Equitibus excipi; finito autem usu, cistæ variis sigillis & seris muniendæ imponi; denique pari cum cerimonia pristinum in locum deferri solebant. *b*)

Divisio Moraviæ in circulos.

IV. Prima eaque certa Marchionatus Moraviæ in circulos partitio firmis adstrui documentis nequit. Divisa enim a *Carolo IV. Imp.* an. 1356. in duodecim circulos Bohemia, Moraviæ Marchionatus in duas solum provincias *Iodoco* & *Procopio* Marchionibus dividebatur. Hinc *Joannes Str'zedovsky* ultimis vitæ suæ annis admodum sedulus Apographorum Moraviæ compilator commemorat quidem regios Capitaneos, districtibus Moraviæ præpositos (*in Apparatu suo Chronicor. Moraviæ T. III. MS.*) sed ingenue fatetur, de prima eorum institutione nihil certi rescire sibi licuisse. Vestigium tamen aliquod Moraviæ partitionis exhibet privilegium *Wladislai II* Boh. Regis an. 1472 civibus Hradisstiensibus datum, quo eos a judicio & appellatione ad civitatem Brunensem penitus absolvit. *i*) Immo Pessina (*Mart. Mor. p.* 62.) arbitratur, *Wladislai* hujus tempore, Carolinæ in Bohemia partitionis exemplo, Moraviam divisam fuisse in quinque districtus: *Olomucensem*, *Brunensem*, *Znoymensem*, *Iglaviensem*, & *Hradisstiensem*. Sed eam divisionem tum demum factam esse oportet, quum *Wladislaus* a morte Regis *Mathiæ* an. 1490.

---

b) Idem Codex l. c. ubi Tabularum usus, ritus, formulæ scribendi &c. enarrantur.

i) Vid histor. polit. l. c. N. XLVI.

1490. tranquillam totius Moraviæ possessionem obtinuit. Quæ opinio vel inde firmatur, quod Codex Towac'zoviensis de *regiis districtuum Capitaneis* non meminit: etsi præcipua etiam minora in Marchionatu munia recenset. In provincialibus autem statutis variorum comitiorum, *Ferdinando I.* Boh. Rege & Marchione Moraviæ, sæpe nimium fit mentio de circulis, tamquam de re usu recepta. Sed isti potissimum nominantur: *Olomucensis*, *Brunensis*, *Znoymensis*, *Hradisstiensis*, & *Gitschinensis*. In comitiis Brunensibus an. 1596. & 1597. leguntur pariter quinque Moraviæ circuli; at præter quatuor priores, nominatur *Iglaviensis*, omisso *Gitschinensi*. Hujus igitur loco serius aliquantum successit *Preroviensis*; ut adeo temporibus nostris Moravia complectatur sex circulos, ac totidem *regios districtuum Capitaneos*, nimirum: *Olomucensem*, *Preroviensem*, *Hradisstiensem*, *Brunensem*, *Znoymensem*, & *Iglaviensem. k*)

Fodinæ & monetæ Moravicæ.

V. Quum fodinæ metallicæ pluribus in Moravia locis magna colerentur industria; *Sigismundus* Rom. & Boh. Rex *Hartvico de Lichtenstein & Nicolsburg* facultatem Brunæ an. 1421. concessit cujusvis generis metalla in ditionibus ejus Moravicis fodiendi. *l*) Sed paullo post cultura fodinarum pulcherrima, insanis Hussitarum turbis Moraviæ perniciosis, pene intercidit, neque pristinum splendorem recuperasse legitur. Metallici quippe circa Iglaviam per-

K 4 in-

k) Vid. Apparat. Chron. Mor. l. c. & Liber Diætalis MS. ap. Strzedorsky Vol IV.

l) Dobner mon. ined. T. IV. p. 418.

inde, atque alia Moraviæ montana, obrutis venis ditioribus (ergiebigste Fundgruben) studio religionis sumserunt arma, junctique Cæsaris & provincialibus copiis, aut militiæ perierunt plurimi, aut pauci admodum redierunt. m) *Albertus* quidem Marchio noster Religiosis Carthusiæ Vallis Josaphat an. 1436. indulsit, ut eorum in fundis aurum, argentum, aliudve metallum foderent, quo sumtus novi ædificii in præurbio Olomucensi facilius ferrent; non tamen excitavit priora fodinas colendi studia. n) Parumper ea demum incaluerunt, quum *Ladislaus* Boh. Rex & Morav. Marchio Brunensi Urbi an. 1457. dedit privilegium colendi fodinam Schalschitzii prope Romarovium, immo *denarios & obolos cudendi*. o) Brunensis hæc moneta, in Domo Provinciali (Landhaus) cusa, inter arcana rei nummariæ latet. Plus quam verisimile autem est, Moravos illo pariter ævo & Bohemorum, & vicinarum regionum moneta fuisse usos; postea vero invaluisse nummos argenteos, grossos, denarios, & hallenses, quos *Georgius Rex & Marchio* monetali diplomate (Münzordnung) an. 1470. cudendos jussit, atque in Bohemiæ regno, eique unitis provinciis, communes esse voluit. Nec dubium, quin moneta jussu *Mathiæ* Regis & Marchionis nostri an. 1471. cusa Wratislaviæ, in Moraviam illata sit, quod simul de *Wladislai* & Lu-

m) Otto Steinbach. Kurze Geschichte p. 62. seq

n) Litteræ publ. ap. Pezium Cod. Diplom. T. VI. p. 216. & Pessina M. M. p. 604.

o) H. Peithner Versuch über die nat. und polit. Geschichte P. II. p. 255.

Ludovici Regum & Marchionum monetis sentiendum est *p*) *)

VI. Non minus turbis Hussiticis, quam bellis *Mathiam* inter ac *Georgium* & *Wladislaum* Reges perquam diuturnis, plurimum detrimenti cepit *Agricultura* Moravorum. Nam assiduæ hostium incursiones nimium sæpe vastitatem reddiderunt in agris, granaria, cellasque penuarias exhauserunt, pecorum & armentorum prædas egerunt maximas. Hinc rei frumentariæ inopia & fames secuta, quæ præsertim an. 1371. adeo afflixit Moravos, ut misera plebs tenerioribus arborum frondibus, corio, felibus, atque id genus præter naturam cibariis vesci cogeretur. *q*) Anno 1482. pestis colonos plurimos agris eripuit; eaque an. 1507. ita rursum sævit, ut vel Iglaviæ amplius mille ducentos homines necaret. An. 1501. insolitæ fluminum in-

Agricultura & Mercatura Moravorum.

p) Adauct. Voigt. Beschreib. der Böhm. Münz. II. Band. p. 282. 307. 338. & 361. seqq.

*) An. 1486. post festum natæ Virginis inter Mathiam Hungariæ & Wladislaum Bohem. Reges Iglaviæ convenit, ut, quoniam Regis Mathiæ provinciæ *Moraviæ* & *Lusatia* confines forent Bohemiæ Rex Wladislaus quidem eandem, quam cudebat; Mathias autem in Silesia & Lusatia propriam, sed bohemici valoris ac ponderis monetam cuderet, ita ut nullum, nisi imaginum discrimen esset, haberetque uterque Rex, ad evitandum omne subditorum damnum, argyrognomonem suum (Münzwardein) in monetaria domo alterius. Unde patet, id temporis monetas duorum Regum promiscue in Moravia fuisse usitatas. *Vid. decretum apud Strzedowsky Apogr. Mor. Vol. III. Provinc. p.* 7.

q) Bonfin. Dec. IV. L. III. Pessina M. M. p. 861. seqq.

inundationes, posteris autem annis cataractæ nimbosæ in multis Moraviæ locis uberem coloni spem pessumdederant. Denique an. 1511. terræ motus pleraque granaria frumento referta subruit perinde, ac multarum ædium ruinas edidit. r) Nec meliore loco per illa tempora turbulenta fuerunt res *mercatorum & opificum.* Reddita Moraviæ demum pace emporia & mercatus paullatim aperiri, ac sensim ad spem quæstuosæ mercaturæ reviviscere. Inprimis an. 1505. inter frequentes Moraviæ mercatus Hunnobroda celebritate floruit mercatorum prædivitum, qui mercibus centies mille florenis æstimatis negotiabantur. Opificum vero & Artificum omnis generis tanta abundavit copia, ut quidquid operum affabre factorum seu Pragæ, seu Viennæ fuit, Hunnobrodæ pariter id temporis veniret. Ad hæc celebres opulentæque nundinæ, ac fora ibidem erant annis singulis, ac divites quique mercatores Imperialium civitatum ibi officinas & emporia instituerunt. s)

Litterarum studia.

VII. Diuturna inter arma siluisse Musas Moraviæ, perspicuum est. Sedatis motibus, aperti denuo litterarum Ludi, atque etiam instaurati. Nam præter scholas ad Ecclesiam Cathedralem Olomucii dudum erectas, Grammaticæ, Logicæque studia e loco, ab urbe circiter milliare italicum dissito (Laska dicto) consensu *Rom. Pont. Paulli II.* an. 1465. transtulit Senatus Olomucensis in urbem ad Ecclesiam

---

r) Otto Steinbach Kurze Geschichte p. 57.

s) Chron. Hunnobrod. ap. Dobner non ined. T. I. p. 287. seq.

ſiam Parochialem S. Mauritii, ut juventutis commodo & profectui conſuleret. Altero an. 1466. Civitas Brunenſis, præter ſcholas ad Eccleſiam S. Petri inſtitutas, alias adhuc in Parochia S. Jacobi inſtituit: quo melius ac facilius pueri doctrina fidei, adoleſcentes Grammatica & diſciplinis eccleſiaſticis imbuerentur. Quod conſilium auctoritate ſua idem *Paullus II. Pont.* firmavit. *t*) Erant hæ quadruplices ſcholæ ad inſtituendam bonis artibus juventutem, catholicæ fidei addictam. Sed an. 1498. patuerunt etiam *Piccardorum ſcholæ*, quas non nulli Moraviæ nobiles, ſectæ illius fautores, in bonis ac prædiis ſuis erigendas curarunt. Quamvis autem Rex & Marchio *Wladislaus*, Doctoris *Auguſtini* ſcriptis graviſſimis motus, id genus ludos & conventus Piccardorum an. 1508. interdixerit edicto ſeveriſſimo; Primorum tamen quorumdam interventu eosdem iterum permiſit. *u*)

In commentariis virorum, quos in Moravia natos, eruditionis fama ſeculo XV. & XVI. ineunte, ad poſterorum memoriam tranſcripſit, haud immerito ſuo obtinent locum: *Simon de Tiſchnov, ſeu Tiſchnovitz*, auctoritate *Wenceslai Regis* an. 1409. Decanus facultatis artium in Pragenſi Univerſitate creatus. Initio ſtrenuum *Huſſi* defenſorem egit; ſed *Stephani* Prioris Carthuſiæ Dolanenſis qua litteris, qua monitis palinodiam cecinit. Immo & Tractatum ſuum con-

t) Paulli II. Pont. Reſcripta in noſtris Adnott. in IV. Period. cit. N. VIII.

u) Provin. Fid. R. E. Mor. c. 39. p. 187. Et Otto Steinbach l. c. p. 50. ſeq.

contra quatuor Articulos Hussitarum Baronibus Bohemis in C'zaslaviensi an. 1421. conventu inscripsit. *a*) *Petrus de Mladonovitz*, *Wenceslai de Dubbe & Lessna* Notarius, litteris mandavit summam caussæ (*processum vocant*) *Joannis Hus*, cujus supplicio Constantiæ adfuit. Anno 1427. Decanus Facultatis Theologicæ erat Pragæ, quum Rokic'zanæ instinctu cum aliis Magistris in carcerem conjectus, exulare postea cogitur. Sed an. 1439. præpositus regendæ Universitati Pragensi fuit, apertoque examine, quinque Magistros Philosophiæ creavit. *b*) *Marcus de Lutovia*, Viennæ in Academia Medicus nobilissimus, an. 1426. floruit, suoque exemplo Moravorum plures ad eam Academiam allexit: inter quos præcipui *Pr'zemislaus Dux Oppaviæ & Protasius de Boskovitz*, postea Olom. Episcopus. numerantur. *c*)

Wenceslaus Krz'iz'anovsky, Krz'iz'anovio Moraviæ oriundus, præclara Theologiæ scientia clarus, ex Italia Pragam an. 1460. redux, in numerum Doctorum referri petiit. Verum quod SS. Eucharistiæ sumtionem sub utraque specie non probaret, voti minime compos, Metropolitanæ ibidem Ecclesiæ Canonicus adlegitur. In acerrima dein disputatione, quæ an. 1465. in Pragensi Regia quinque dies tenuit

a) Balbin. Boh. Doct. P. II. p. 187 — qui P. I. ibid. p. 70. ait, ab an. 1409. Decanos Philosophiæ non nisi e Bohemis & Moravis esse lectos.

b) Balbin. l. c. P. *I*. p. 89. — Adauct. Voigt. Act. Litt. p. 127. & 340. — Cl. de Monse Suppedita ad hist. litter. Mor. an. 1777. edita.

c) Balbin. ibid. P. II. p. 376.

nuit, *Joannem Rokicz'anam*, ejusque asseclas coram *Georgio Rege*, & Proceribus Bohemis refutavit doctissime: praeclarus veritatis catholicae propugnator, atque omnibus, teste Balbino, Carolinae Universitatis tum Magistris longe superior. *d*) Hoc circiter tempore *Cztiborius a Cymburg* & *Towacz'ow*, de quo supra meminimus, Vir illustri & antiquissima gente Cymburgiorum apud Moravos genitus, & lingua bohemica disertissimus, grande volumen scripsit, illudque post an. 1467. *Georgio Regi* & Marchioni Moraviae dedicavit. Titulus vero libri est Lež a Prawda h. e. *Mendacium & veritas*: quo evincere argumentis conabatur, non licere viro Ecclesiastico quidquam velut proprium possidere, nec in communi, nec in particulari. *e*)

Paullus de Moravia Ordinis Minorum strict. observ. Concionator Apostolicus, acerrime Hussitas, Piccardos, atque alios a fide Catholica alienos insectabatur; frequentes publicis in congressibus ab illorum antesignanis retulit victorias; ac demum effecit, ut Facultas Theologica Viennensis quatuor libellos *M. Georgii de Cilia Medici* damnatos, Vulcano traderet. Hos inter labores an. 1491., Brunae obiit. *f*) Pari omnino laude, licet dissimili studio, claruit *Valentinus Mezrz'icensis* Moravus, qui in Urbem Bohemiae Zatecium elegantiores litteras primus intulit. Mathematicus & Poëta insignis, primum ludi Zatecensis Rector, deinde Notarius ad

d) Idem ibid. P. I. p. 91. — Pessina *Rad.* Ill. p. 260. — Cruger. ad diem 5. Febr.

e) Balbin. ibid. P. II. p. 116.

f) Am. Hermann Capistr. Triumph. p. 633.

ad decrepitam usque & lumine captam senectutem, quas ejus laudes *Bohuslaus Hassensteinius* gemino carmine complexus est. *g*) *Franciscum Moravum* Iuriſconſultum, *Rege Wladislao*, Senatus Pragensis arceſſivit. Erat is natus Olomucii, dictusque vulgo *Franciscus de Regio monte*, qui gratam sui memoriam propagaturus bis mille florenos Magiſtris Pragenibus aſſignavit, ut ex censu illorum ſuſtentaretur in Universitate Pragensi Interpres *Graeca Homeri Iliados*. Qua de re *Joannis Francisci* exſtat teſtamentum germanice ſcriptum cum ſigillo Civium Brunensium; obiit autem an. 1541. *h*)

Stephanus Taurinus patria Olomucensis in praeclaro indice, quem Stauromachiae suae ſubjecit, enumerat plures Moravos tum eruditione claros, nempe *Martinum Sinapinum*, & *Bernardinum* urbis Olomucenae Cancellarium, Magiſtros Philoſophiae & Profeſſores, atque, ut ait, monarchas ludi litterarii Olomucensis, *Taurini* ipſius praeceptores. Laudat etiam *Martinum Iglaviensem* Suffraganeum & Generalem Officialem, affinem ſuum; *Wenceslaum* & *Hadrianum a Wilhartitz*; *Joannem Zaubek*, *Andream Piſciculum*, *Georgium Letavallinum*, *Georgium Renatinum* Juris utriusque Licentiatum, & Olomucenſis urbis ſyndicum. *i*)

Om-

g) Fauſt. Prochaska de Sec. Lib. *Art.* fatis p. 268. & 276.

h) Balbin. Boh. Doct. P. I. p. 41. — Voigt Act. litt. p. 276. — Cruger. & Welcal. ad 4. Febr.

i) Fauſtin. Prochaska Miſcellaneen der Böhm. und Mährischen Litteratur p. 71.

Omni pariter eruditionis genere floruerunt ſeneſcente XV. & ineunte XVI ſeculis: *Ladislaus a Boskovitz*, Moraviæ ſupremus Camerarius, vir doctus perinde ac moribus politus, atque eruditorum mæcenas oppido quam munificus. In arce ſua bibliothecam omnium illuſtrium ſcriptorum monumentis confertiſſimam collegit, aſtronomicis, geographicis, muſicisque inſtrumentis artificioſè fabrefactis ornavit: quæ ſcire & intelligere (ſcivit & intellexit ipſe) non niſi magnis conceſſum ingeniis eſt. *k*)

Stanislaus Turzo Olomucenſis, & *Joannes Turzo* Wratislavienſis, Epiſcopi erant præcipua temporum illorum ornamenta; quippe inſigniter eruditi erudita foverunt ingenia, atque omni benevolentiæ genere excitarunt. Inprimis *Stanislaus*, Præſul Olomucenſis, præter ceteras animi dotes eximias tanta ſcientiarum peritia claruit, ut *Joannem Dantiſcum*, & *Erasmum Rotterodamum* nanciſceretur laudatores. Ita vero alios ad conſectandam eruditionem indies exacuit, ut Olomucium politioribus ſtudiis tum maxime celebraretur. Horum cultores adprime conſpicui erant: *Joannes Oppavienſis* Olomucii ordinis ſenatorii vir doctiſſimus, & *Andreas Stiborius* Olomucii Canonicus non minus theologicis, quam mathematicis diciplinis egregie inſtructus, qui pluribus annis mathematicas docuit ſcientias Viennæ, multosque formavit eruditos, præcipue: *Georgium Tanſtetter*, *Thomam Reſch*, & *Henricum Grammaticum*. Scripſit de Geometria, Aſtronomia, Optica, Magia & Metaphyſica. Tandem ſeveriores inter Muſas

---

k) Idem ibid. p. 68. ex Rud. Agricolæ jun.

-ſas etiam amœna litterarum vireta ſæpe coluit, operamque pangendis carminibus dedit. *l*)

Verum ut patronis illuſtribus, ſcilicet ambobus Turzoniis: ita ingenii & ſapientiæ gloria facile omnes ſuperavit *Auguſtinus Moravus*, ſive *Olomucenſis*, quem ſupra ad an. 1500. & ſeqq. laudavimus. Patavienſi in Gymnaſio adoleverat, ubi Poëticæ, Philoſophiæ, Mathematicæ, Pontificio Iuri, ac Theologiæ operam dedit, jamque tum ſcripſit *Dialogum in defenſionem Poetices*, Venetiis an. 1493. typis excuſum, quem *Joanni Turzoni* Wratislavienſi Antiſtiti, tamquam *Palatino*, ut ait *Apollini* conſecravit. In patriam autem reverſus, & publicis muneribus,& virorum undequaque doctiſſimorum amicitia effulſit. Clariſſimæ conſuetudinis, quæ eidem cum *Haſſenſteinio* interceſſit, documenta litterarum monumentis expreſſa ſunt. In ejus quoque ſodalibus cenſentur: *Conradus Celtis* bonarum artium in Germania inſtaurator; *Joannes Sturnus*, & *Simon Fagellus*, viri doctrina celebres: *Joannes Cuſpinianus* ampliſſimis a *Maximiliano I.* Imp. muneribus ornatus, *Joachimus Vadianus* vir ad unguem perfectiſſimus; ac demum *Joannes Schlechta de Wſſebrd* regii ſcrinii in Bohemia Magiſter. In hoc ſodalium choro *Auguſtinus* præclara conſummatæ eruditionis ſpecimina edidit. Nam præter illa, quæ *Haſſenſteinius* ſe lectitaſſe prodit non ſine encomiis, primus in lucem protulit *Tabulas cæleſtium motuum*, auſpiciis Friderici III. Imp: concinnatas ab *Joanne Blanchino*, easque inſcripſit *Andrea*

l) Joan. Gottlob Boehmius in Comment. de August. Olom. — Stanislaus Wydra histor. Matheſeos in Boh. & Moravia cult. p. 14.

dreæ Stiborio, avunculo ſuo, & amico beneficentiſſimo. Res præclare geſtas Pannoniæ Regis concinuiſſe *Conradus Celtis* autor eſt; *Threnos Religionis neglectæ* ad Ladislaum Hung. & Boh. Regem latino carmine miſſos, *Antonius Poſſevinus* memoriæ prodidit. Denique ſummus patriæ amor, atque in *Stanislaum Turzonium* reverentia *Auguſtinum* impulit, ut Olomucenſium Præſulum hiſtoriam, ſumtis *a S. Cyrillo* exordiis ad ſuam usque memoriam contexeret, modeſta hac inſcriptione: *Catalogus Epiſcoporum Olomucenſium*, quem *Stanislao Turzonio dicavit.* Indefeſſos ejus conatus proterendi Piccardorum dogmata, in hiſtoria politica commemoravimus.

Egregiam & frequentem librorum ſupellectilem *Auguſtinus* legavit Olomucenſi eccleſiæ; *Pateram* vero Poëticam, ex ſolido auro eleganter confectam, *Litterariæ Ungarorum* ſeu *Danubianæ Sodalitati* conſecravit, cujus ipſe cum *Andrea Stiborio* membrum exſtitit *) Hæc *patera* in

*) *Sodalitas litteraria Hungarorum* ortum ſuum habuit circa an. 1490. Mathia Rege Hungariæ & Moraviæ Marchione. Coaluit vero in unam cum *Danubiana* circa an. 1497. effloruitque palam, quum *Conradus Celtis* Poëta laureatus ad bonas artes tradendas eodem anno appuliſſet Viennam. Tum vero *Sodalitas litteraria Danubiana* complectebatur regiones Danubio adſitas Hungariam & Auſtriam, atque etiam non longe diſtantes, puta Bohemiam, Moraviam &c. Præſide illius *Joanne Viteſſio* Epiſcopo Veſprimienſi conabatur, non irrito ſane ſtudio, rem litterariam his in terris reſtituere, ac barbariem omnem a Danubii vicinia repellere. Deſiit paullatim ante prælium Moha-

in cimmeliis nummophylacii Serenissimi Saxoniæ Electoris Dresdæ reperitur. Diameter supremæ partis est septem digitorum ac dimidii; pondus trium bessium cum dimidio, seu octo, & viginti unciarum. Viginti duobus Roman. Imperatorum nummis aureis distinguitur, quibus corollæ aureæ, rutaceæque innexæ. In fundo alatus insidet altari genius, dextra uvas exprimens in pateram ante se positam; sinistra exporrecta uvas tenet cum epigraphe: *Genio. Libero. Q. Patri.* Margini exteriori hos versus, litteris uncialibus insculptos legimus:

> Phœbigenum sacrata cohors, & mystic[illegible] ordo
> Hac patera Bacchi munera larga ferant.
> - - - procul hinc, procul este profani.

Sub pede incisa sunt verba: *Aug. Olom. sibi & gratae posteritati MDVIII.* Singularia autem fuere pateræ hujus aureæ fata. Originem debet, ut diximus, Supremo Regis Hungariæ Cancellario *Augustino Olom.* In Hungaria a Tataris rapta, inter barbaros illæsa mansit, donec in obsidione Assofensi a Russis intercepta, in Judæorum manus incideret, e quibus a Supremo Regis Bohemiæ Cancellario *Wolfgango Dietrio Com. a Beuchlingen* vindicata, Germaniæ restituta

hac'zianum, auctore *Celte*, tum sodalibus *Augustino*, *Stiborio*, ceterisque morte extinctis. *Vit. Faust. Procbaska* Miscellaneen p. 10 — 67.

tuta postliminio est, Regiis deinde cimmeliis Dresdæ adgregata. *m*)

VIII. Magno rei litterariæ bono inventam an. 1440. Typographiæ artem, Moravi doctrina conspicui in patriam paullo post invexerunt: tametsi locus & annus, quo primum illa in Moraviam invecta est, certo nequaquam constat. Attamen jam seculo XV. typis Moravorum dati reperiuntur libri, quorum non nullos referimus. In Bibliotheca Universitatis Brunensis seu jam Lycæi Olomucensis exstat Tomus in Quarto, ut vocant, varia minora opuscula continens, quæ inter unus est hoc titulo: *Petro Vectuario novello jurium Scholari Joannes Jacob. Can. Iuris utriusque consultus. De modo in jure studendi libellum ac salutem plurimam mittit.* In fine: *Impressum in inclita civitate Brunna A. S.* 1488. Constat 21. foliis, caret vero custodibus, quos Typographi vocant, & numeris paginarum. — Eodem anno Brunæ prodiit Liber in folio sine titulo; altero autem folio hæc est inscriptio: *Ad egregium Dominum Thomam de Drag, personalis præsentia Sereniss. Principis Domini Mathie: hungarie, bohemie, &c.*

Typographia Mor.

L 2 *re*

m) Boehmius cit. comment. cui titulus: *De Augustino Olomucensi, & patera ejus aurea.* Qui ante alios Augustini hujus res gestas clariore luce donavit; nummos Pateræ insculptos recensuit; eorum vero explicationem ex rei nummariæ Scriptoribus petendam adserit. Denique delineationem partis exterioris Pateræ aureæ adornatam exhibet: *Bene meritus de Moravo erudito Eruditus Germanus.* Novissime etiam de Augustino, & patera ejus aurea scripsit Faust. Prochaska oper. mox cit. p. 27. seqq.

regis, austrieque ducis Cancellarium. Præfatio Magistri Joannis de Thwrocz: in primum librum Cronici hungarorum fœliciter incipit. Claufula fic fonat: *Illustrissimorum hungarie regum Cronica in inclita terre Moravie civitate Brunnensi lucubratissime impressa finit fœlicius An. sal.* 1488. *die* 20. *Martii.* — Demum & Stanislai Olom. Episcopi Synodum typis editam fuisse Brunæ an. 1498. colligitur ex iis verbis: *Actum in castro nostro Wissaw. tertia die mensis Maji A. D.* 98 *Impressum Brunnae.*

Olomucium, quod conftet, typographica fec. XV. exemplo caret; Miffalia quippe impreffa extra Moraviam funt. Anno autem 1501, prodiit ibidem opus in folio hoc titulo: *Sancte Romane Ecclesie fidei defensionis clypeum adversus Waldensium seu Pickardorum heresim &c.* Opus iftud ab Henrico Ord. Prædic. editum conftat 128. foliis; fed fol. 95. incipit novum opufculum: *Adversus Pickardorum Waldensium in S. R. Ecclesiam horrendam blasphemiam &c.* Claufula vero: *Opus - - - in Olomutz Marchionatus Moravia per Magistrum Conradum Baumgarten impressum. Finit feliciter A. S.* 1501. *die* 20. *April.* Nec defunt alia æftimabilis antiquitatis monumenta, quæ Typographiæ artem pluribus Moraviæ locis exftitiffe jam ea ætate produnt. n)

HI-

n) Dobrovsky Böh. und Mähr. Litteratur auf das Jahr 1780. des II. Bandes I. Stück p. 27. seq. — Otto Steinbach Diplom. Geschichte. p. 52.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

Pro temporum ac rerum viciſſitudine variavit hac periodo ſtatus religionis Chriſtianæ in Moravia. Quum enim Huſſitarum virus e Bohemia longe lateque ſerperet, Moravorum pars non exigua in alienos ritus, mores & inſtituta ſe vertit. Pacatis aliquantum rebus, indefeſſa Præſulum Olomucenſium opera, & *Joannis Capiſtrani* propagandæ religionis ſtudium plurimos in caſtra. fidei Catholicæ reduxit. At rurſum *Fratribus Waldenſibus*, ſive *Piccardis* præcipui Moravorum nobilium cum plebe ſibi ſubdita faverunt adeo, ut mores antiquos & avitam religionem exuerent. Quam converſionem ſeries Epiſcoporum Olomucenſium, prætermiſis eorum factis politicis, in apricum proferet.

A. C. 1420. Joannes XI. de Praga, ſeu Ferreus Epiſc. Olom. XXXI.

I. Ac pernicioſo illo tempore Huſſitico, unde malorum initia ducuntur, *Joannes de Praga*, cognomento *Ferreus*, Cathedram Olomucenſem adiit, a Decano *Joanne de Straznitz*, ceterisque Canonicis omni honore, cultu, & reverentia exceptus. Quemadmodum antea ſingulari doctrina morumque probitate fidem Orthodoxam adverſus hoſtes illius fortiter defendit: ita religionis & Eccleſiæ ſibi commiſſæ curam invicta geſſit conſtantia. Induſtria enim illius contigit, ut congregationi magiſtrorum Pragenſium cum ſacerdotibus Taboritarum in caſtro Konopiſſt, ubi de reali Chriſti in Euchariſtia præſentia agebatur, ex nobilibus Moravis ad colloquium invitatis nemo unus adeſſet. Edicto quippe capitali, quemadmodum

Joannes Episc. petiit, caverunt Moraviæ Ordines, ne quisquam Moravorum interesset disceptationi illi in caussa fidei orthodoxæ. Posteaquam vero *Conradus Westphalus* Pragæ Archiepiscopus, venditis ære præsenti Archiepiscopatus prædiis, ad Hussitarum amicitiam se aggregavit; *Joannes Præsul Olom.* prius habuit nihil, quam ab ejus obedientia ut discederet. *a*) Eodem animo in *Conradum* hunc fuit Metropolitanæ Pragensis Ecclesiæ Capitulum, quod jam antea dispersum, partim Zittaviæ in Lusatia, partim Olomucii exulabat. Quum vero ad celebrandam novi Archiepiscopi electionem ob grassatores Hussitas convenire nequaquam possent Canonici; suffragia sua duobus de gremio commiserunt: exules Zittaviæ, *Nicolao de Znoyma* Archidiacono Bilinensi; Olomucii *Wenceslao Gurim* Pragensi Scholastico. Hi collatis per litteras consiliis, Administratorem Pragensis Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus, ut ajunt, delegerunt *Joannem* Episcopum Olomucensem: quam electionem Sedes Apostolica Romæ confirmavit. *b*) Sed armata in Bohemiæ regno hæresi, quæ in Moravia etiam grassari cœpit, officio suo fungi, ac diœcesim sibi creditam visitare Antistes noster minime potuit. Itaque Ecclesiæ Pragensi Decano *Joanni de Kralovitz* & *Joanni de Duba* Zittaviæ commorantibus, Clerum & populum Bohemicum in

1421.

---

a) Vid. P. I. hist. Eccles. ad an. 1416. seq. Et Litteræ Pragens Capit. ap. Pessinam Phosp. Rad. III. p. 208 — Faust Prochaska Miscellaneen p. 267. ubi refert 8. articulos in ea congregatione statutos. — Ziegelbauer Ol Sac. P. I. p. 252.

b) Instrum. publ. Notarii apud Pessinam l. c. p. 216. & 221.

in obſeqnio Religionis catholicæ perſiſtentem, jure poteſtatis vicariæ regendum commiſit *c*) Ipſe autem in Moravia ad arcendos a grege fidelium lupos, ferro eſſe opus animadvertens, ita eodem utebatur, ut merito ambigas, ſagumne toga, ferrum calamo, gladius pedo in *Joanne* fuerint illuſtriora. Continuos quatuor annos adverſus hæreticos in armis fuit, ac thorace indutus ferreo, cataphracto etiam equo inſidens, inſtructa ſæpius acie, illis occurrere non dubitavit: ob quod cognomen *Ferreus* tulit. Sane plurimum ei debet Moravia, quod non fuerit ab hæreſi penitus oppreſſa, & Olomucenſis Eccleſia bonis ſuis, uti Pragenſis, exuta. *d*)

II. Remiſſis tumultibus paci aliquantum redditus *Joannes* Præſul, tametſi *Sigismundum* Imp. & Hungar. Regem in Hungariam ſequi cogeretur; vulgatis tamen voluminibus populum erudivit, non minus ſcribendi, quam bellandi Pontifex peritus: quorum voluminum aliud *Linea ſalutis*, aliud *Exemplar ſalutis* inſcripſit. *e*) Quæ inſignia in Eccleſiam merita, atque exantlatos pro catholica religione labores Summus Pontifex *Martinus V.* ut remuneraret; *Joannem Ferreum* adlegit in numerum S. R. E. Cardinalium, ſub titulo *S. Cyriaci in thermis.* Iſte vero novum Præſulis inſigniter vigilis documentum dedit, quum ad ſtabiliendam in Moravia

A. C. 1426.

c) Idem Peſſina l. c. p. 222.

d) Idem MM. p. 551. & Ziegelbauer Olom Sac. l. c. — Vid. hiſt. polit. ad h. a.

e) Carol. Ludov. Abbas Stivagienſis in Præf. ad T. I. Annal. Præmonſtr.

ravia Catholicam religionem, promulgavit decretum, quo sancitum est: " Ne ullus sacer-
" dos aut laicus teneat vel doceat aliquem ex
" XLV. articulis Wiclefi, sed credat & sentiat,
" sicut Roma Ecclesia præcipit de Sacramen-
" tis, clavibus & censuris Ecclesiæ, de purga-
" torio, veneratione sacrarum reliquiarum,
" cultu imaginum &c. Ne in sacrificio Mis-
" sæ & Sacramentorum administratione contra
" præceptos ab Ecclesia ritus quidpiam immu-
" tetur. *Wiclefi*, *Hussi*, & *Jacobelli* tractatus in
" Bohemicum translati, ne legantur sub pœna
" excommunicationis; sed vel comburantur,
" vel Episcopo tradantur. Idem statuitur de
" cantionibus dudum prohibitis, in concilium
" Constantiense invectivis, in viros Catholi-
" cos injuriosis, in commendationem Hussi &
" Hieronymi compositis &c. „ His veluti munimentis circumseptam voluit *Joannes Cardinalis* Moraviam, ad peregrinos ritus ne deficeret, aut communi seditionum, quæ totam quantam Bohemiam tenebant, malo perverteretur. *f*) Sed temporum injuria voti minime compos fuit, præcipue quum evocatus ab *Sigismundo Imp.* in Hungariam, ibidem secretiorum moderatorem consiliorum agere solito diutius cogeretur. Inter hæc evenit, ut suo privaretur Præsule Vaciensis Ecclesia, cujus infulam *Sigismundus*, ceu vinculum, quo sibi Cardinalis animum magis adstringeret, eidem contulit. Ad munus istud quum Pontificio esset permissu opus; mittitur Romam nuntius, qui priusquam rediret, *Joannes* vitæ sanctimonia, rerumque gestarum glo-

1418.

f) Pessina MM. p. 526. seq. ex LL. MSS. Capit. Pragens.

gloria illustris, ad superos excessit Strigonii; Vacii autem sepultus affatim honorifice. *g*)

A. C. 1430. 9. *Octobris.*

III. Successit eodem anno in Cathedra Olomucensi *Conradus* sive *Cunzo de Zwola*, illustri ac perantiqua Baronum familia in Moravia natus; juris vero prudentiæ ita peritus, ut non decretorum Doctor solum, sed Apostolici etiam Palatii caussarum Auditor creatus Romæ fuerit. Suffragiis Canonicorum Ecclesiæ Olomucensis antea quidem Præpositus, nunc electus ab illis est Episcopus, atque a *Martino V.* Pontifice confirmatus. Paullo post a Pragensi etiam Capitulo *Archiepiscopatus Pragensis Administrator* deligitur probante id *Eugenio IV. Pontifice.* Proin Vicarios Generales, ut vocant, in Bohemia eosdem retinuit, quos antecessor ejus *Joannes Ferreus* instituerat. Mortuo dein *Joanne de Kralovitz*, *Simonem de Nymburga* Archidiaconum Boleslaviensem, Pragæ Canonicum & litteris, & morum probitate insignem substituit. *h*) Sed afflictissimo Pragensis Ecclesiæ statu, Moraviam quoque hæresis, & corruptio morum ac disciplinæ adflixit. Nam multis in locis novarum opinionum sectatores invaluisse documento est *Nicolaus* Monasterii Willemovicensis Ord. S. Bened. Prior, qui licet Plebanus seu Curio Ecclesiæ Walczensis (Walczium hodie pagus in circulo Znoymensi) rite institutus & confirmatus, ob hæreticorum illic furorem, muneris sui functione prohibebatur. *i*) Quidam au-

Conradus III. dictus de Zwola Ep. Olomuc. XXXII.

1431.

g) Augustin. Catal. Epp. Olomuc. — Ziegelbauer l. c. Cruger ad 5. Martii.

h) Anon. in Catal. Epp. Olom. Ziegelbauer l. c. in Conrado.

i) Instrument. investit. ap. Dobner mon. ined. T. IV. p. 419.

autem e Clericis pernicioſo vitæ exemplo non inſtruere mores populi, ſed corrumpere videbantur. Severis igitur legibus ſimul Catholicis offendiculum, ſimul hæreticis obtrectandi anſam *Conradus Epiſcopus* ut tolleret, Brunæ in Collegiata S. Petri eccleſia non ſine difficultate publicam coëgit ſynodum, in qua conſtitutiones anteceſſorum ſuorum innovat, ac reformandis Cleri & populi moribus idonea quindecim ſtatuta promulgat. *k*) Cum poſtea Oratores Bohemiæ & Moraviæ cum trecentis equitibus Baſileam proficiſcerentur a Patribus concilii de famoſis ſuis quatuor articulis audiendi: *Conradus* potiſſimum invitatus eſt, ut præ ceteris, tamquam Epiſcopus Olomucenſis, & adminiſtrator Pragenſis Eccleſiæ, ad concilium accedere non cunctaretur. Acceſſit itaque, pro unione Bohemorum & Moravorum ſtrenue laboravit. At quum *Sigismundum Imp.* Baſilea Ulmam Sueviæ comitatur, rediturus ſecundo Danubio in Moraviam, e vita deceſſit. *l*) *)

. *Maji.*

1433.

. 1434. *Auguſti.*

k) Vid. hæc. ſtatuta ap. Faſſeau Collect. Synod. & Statut. Diœceſ. Olom. P. I. p. 45. ſeqq.

l) Anoym. & Ziegelbauer ll cc.

*) Accuſat *Auguſtinus Olom. in Catal. Epp. Olom.* Conradum hunc de neglecta Eccleſiæ ſuæ cura, quod Sigismundum Cæſarem paſſim per Pannoniam & Germaniam fuiſſet comitatus. Eandem dicam Ei ſcripſerunt *Paprockzy*, *Peſſina*, *Balbinus*, *Str'aedovsky*, & alii Auguſtinum preſſo pede ſecuti. Sed verendum potius, ne in calumniam abeat iſta accuſatio, nullis alioqui idoneis probationibus inſtructa, quam ſaluberrima Conradi ſtatuta in ſynodo Brunenſi condita, Ejusdem ad Concilium Baſileenſe profectio, & ibi diligens Eccleſiæ navata opera; tum quod adeptus antea fuit, Præpoſiti Olomucenſis mu-

3. Octobris. *Paullus de Miliczin Episc. Olom.* XXXIII.

IV. Haud diu ab obitu *Conradi*, Episcopatus regimen adiit Præpositus Ecclesiæ Pragensis, & Olom. Canonicus *Paullus de Milic'zin* illustri Baronum *de Milic'z* (alias de *Talmberg*) prosapia ortus; simul vero apprime doctus, & sacrarum litterarum non minus, quam canonum intelligentia ornatissimus. Obtenta muneris sui ab *Eugenio IV. Pont.* atque adeo ab omnibus concilii Basileensis Patribus confirmatione, consecratus Brunæ fuit Episcopus a *Philippo* sacri concilii Legato, Rothomagensi Præsule. Quæ solemnia splendore ac magnificentia illustrarunt præsentes *Sigismundus Cæsar*, & Moraviæ Marchio *Albertus*; deinde Procerum & Optimatum Bohemiæ ac Moraviæ frequentia. *m*) Sed majori ornamento infulæ Olomucensi fuit ipse *Paullus Episcopus*, quum religionis studio, & singulari probitate insignis, commisso sibi gregi etiam atque etiam prospiceret. Magnam pecuniæ vim in pauperes, ac rerum inopia pressos erogare solitus, eosdem pro foribus hospitii velut somatophylaces, in via perpetuos habuit comites: quorum multitudine adeo non offendi consueverat, ut etiam eorum adspectu recreari videretur. Ecclesiæ tamen bona ab injustis possessoribus vel redemit, vel vindicavit; gravissimis propterea hæreticorum odiis attritus, quorum insidias Mezeritii, & Pro- stan-

1435. 31. Julii.

---

munus, ac deinceps delata Archiepiscopatus Pragensis administratio aperte refellunt. An illa absentia fraudi sit Episcopo, quum ad synodum œcumenicam profectus, aut vocatus a Principe, rem utramque consiliis adjuvat?

m) Anoym. l. c. Et Protasius Ep. Olom. in epist. ad Paullum II. Pont an. 1466. data ap. Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. p. 257.

ſtannæ bis ægre effugit. Non parva etiam illi ſollicitudo erat de bonis Parochis, & verbi divini præconibus, præcipue qui ſecundum *compactata Baſileenſia* populo S. communionem ſub utraque ſpecie præbebant. *n*) Tot meritis pleno Antiſtiti *Albertus Imp.* cui ille coronam Bohemiæ impoſuerat, ampliſſimum conceſſit diploma, quo Epiſcopatus Olom. jura & privilegia ab Imperatoribus & Regibus Bohemiæ conceſſa, auctoritate cæſarea renovat, & confirmat. *o*) A morte autem Alberti *Paullus Epiſcopus*, datis ad Moraviæ Ordines litteris, auctor & impulſor fuit, ut indictis Brunam comitiis, tranquillitati patriæ conſulerent. (*p* Electus dein arbiter, compoſuit controverſiam, quæ Capitulum Olomucenſe inter, & Laurentium Priorem Cartuſiæ Vallis Joſaphat prope Dolan. interceſſit de finibus ſilvarum, Rozeprz'e dictarum. *q*) *) Denique utramque expertus fortunam, quum nec aſperiore deprimi,

1438. Julii.

1442.

n) Ziegelbauer l. c. p. 266. —Auguſtin. in Cat. Epp. Olom. EtCruger. ad diem 2. Maji.

o) Diploma hoc promittit Ziegelbauer inCodice probationum l. c. p. 268.

p) Vid. hiſt. polit. ad an. 1439. unde comitiorum chronologia, quam Ziegelbauer ſtatuit, corrigitur.

q) Pezius Cod. Diplom. P. III. p 220.

*) Cartuſiani eousque videntur nominati fuiſſe *Dolanenſes*, etiam monaſterio illorum prope Dolan ſolo æquato, dum aliud eſſet in Olomucenſi ſuburbio exſtructum. Nam deinceps *Wladislaus Rex* in diplomate, quo eorum privilegia confirmat, an. 1507. eosdem vocat: *Conventum monaſterii Cartuſienſis in Olomutz.* Et in diplomate, quo illos an. 1514. ab omni tributo eximit, nominat: *Cartuſiam in ſuburbio Olomucenſi. Vid. Pezius l. c. p. 225. ſeqq.*

mi; nec efferri mitiore videretur, manibus pauperum delatus in cœlum est; sepultas vero Brunæ in Collegiata SS. Petri & Paulli exuvias, ingenti ploratu, maximaque frequentia celebrarunt iidem pauperes & egeni. r)

1450. 2. Maj.

Joannes dictus Epis. XXXI

V. Turbulento id temporis rerum statu, *Paullum Præsulem* ætate gravem tum ecclesiasticis, tum politicis adjuvit consiliis *Joannes Haz* Præpositus Ecclesiæ Olomucensis, quem ille suum in Episcopatu successorem optaverat. Communi igitur Canonicorum suffragio Brunensis Patritius, urbis suæ & Moraviæ ornamentum, tiaram Olomucensem obtinuit, præcipue quum magno consilio rerumque usu, egregia juris Pontificii peritia, ac singulari morum suavitate apud omnes valeret plurimum. s) Magnam sui existimationem in tutandis Ecclesiæ suæ juribus & facultatibus reipsa *Joannes* implevit; eum quoque se Episcopum exhibere semper studuit, quem Doctor gentium in epistola ad Timotheum adumbravit. Hinc illustre Franciscani Ordinis sidus *S. Joannem Capistranum*, quem *Bohuslaus de Zwola*, Decanus Ecclesiæ Cathedralis Olomucii, hospitio receperat, adversus omnem injuriam tuebatur, in propaganda veræ fidei doctrina ope ac subsidiis adjuvabat, data ei facultate, Monasteria PP. Franciscanorum Olomucii & Brunæ excitandi. t) Uncz'oviæ Sacerdotis *Joannis Meczner*

1451.

r) Cruger ad diem 2. Maji. — Anonym. l. c. qui suum Catalogum cum hoc finit Episcopo, teste Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. Præfat.

s) Augustin. in Catal. & Ziegelbauer in notis.

t) Cruger. ad diem 29. Maji.

ſed litteris etiam defendit. Etenim acceptis a Rom. Pontifice mandatis, quibus commercio Regis ut hæretici abſtinere, & communionem ſub utraque ſpecie in Moravia tollere jubebatur: celebrem illam ad *Paullum II. Pont.* dedit epiſtolam, planeque demonſtravit: " Priores " Reges perinde ac Epiſcopos anteceſſores ſuos, jam inde ab *Sigismundo*, & *Joanne Ferrea* " in tollenda communione utriusque ſpeciei " operam perdidiſſe; nunc vero in diœceſi ſua " Baronum ac Nobilium præcipuos, nec paucos de plebe eodem ritu, parentibus eorum " uſitato, promiſcue uti. Siquis illos de inſtituto Romanæ Eccleſiæ admoneat, illico reſpondere: ſe auctoritate Chriſti, & ſacri " concilii Baſileenſis ſanctam Eccleſiam repræſentantis, ut ipſe Rom. Pontifex fatebatur, " communionem utriusque ſpeciei ſumere, nec " ab ullo quacunque dignitate prædito, impediri velle. Sequi dehinc minas, ſtrui inſidias, orthodoxos tremore concuti, cum fletu " gemituque opem Præſulis implorare. His " ergo anguſtiis preſſo nihil ſupereſſe, niſi ea, " quæ emendari nequeunt, ferre patienter; " reliquis autem paterne conſulere. Tandem " ſupplicat Summo Pontifici, ut converſationem ſuam cum his, qui utriusque ſpeciei " communione utuntur, provida œconomia ſuſtineat. „ (*b* Sed occluſit aures precibus & rationibus Pontifex, datisque anno exeunte ad *Protaſium* litteris, mandavit plusquam ſerio: " *Ut ſingulis diebus dominicis & feſtis in Eccleſiis ſuæ diœceſis coram populo, candelis extinctis,* " *& in terram projectis, Georgium hæreticum de-*

" *cla-*

1466.

Decemb.

b) Epiſt. hæc. ap. Peſſinam. M. M. p. 754. Vid. hiſt. pol.

" *claratum & excommunicatum, publicaret* „ c) Qua denuntiatione adeo abſtinuit *Protaſius*, ut etiam comitiis ab Rege Pragam indictis interfuerit. Quum autem Rex ultro ad dicendam cauſſam, fideique ſuæ rationem reddendam ſe offerret, ubi Rom. Pontifex locum idoneum, & ſecurum ei præſcripſerit; Epiſcopus libere ac familiariter: " *Quid agis*, inquit, *Rex? u-*
" *trum de fide docere, an doceri cupis? primum val-*
" *de præpoſterum, ut Doctoris partes inter doctiſſi-*
" *mos ſuſcipiat ignarus litterarum omnium. Al-*
" *terum quoque abſurdum, Regem chriſtiano more*
" *unctum, ætate ingraveſcente, religionis chriſtianæ*
" *elementis imbui. Reſtat ut Tui expurgandi cauſſa*
" *publice audiri cupias. Quid opus verbis? ſatis ſu-*
" *perque infamiam omnem clues, reipſa obedientiam*
" *Rom. Pontifici ſi præſtiteris.* „ d)

VII. Quanto liberius, tanto gratius erat conſilium; ſed effectu ut careret, veterator obſtitit *Rokic'zana*, cui jam anno 1462. amplificata jurisdictio fuit, non in Bohemia ſolum, ſed in Moravia quoque Sacerdotes ſuæ ſectæ conſtituendi. Quos Proſtannæ primum, deinceps in aliis conſtituit locis. Exultabat iccirco orthodoxæ fidei hoſtium audacia, qui bona eccleſiarum invadere, Epiſcopum & Clerum minimi ducere, incendiis & ſpoliis indulgere, non ſunt veriti. Audaciæ ut occurreret *Protaſius*, conſenſu Capituli ſui vendidit Cartuſianis Dolanenſibus villam Slavonin, & curiam quamdam allodialem MCC. florenis ungaricis boni auri

A. C. 1467. 21. *Junii.*

c) Litteræ Pontif. ap. Lunig. C. G. D. T. I. p. 1514.

d) Dubrav. hiſt. Boh. L. XXX. — Vid. hiſt. polit. ad h. a.

auri & ponderis, suumque auxit militem. *e)* Eo tamen haud territi haereticorum audaciores, Vetero - Brunae monasterium, cui *Bertha de Ie-* 28. *Julii.* *skovitz* cognata *Protasii Episcopi* praeerat, expilatum flammis devastarunt, Virginibus Deo sacris solum vertere coactis. *f)* Indigne talium hominum temeritatem Episcopus noster, cumque *Georgium* Regem consiliis suis refragari cerneret; victus Legati Pontificii minis, ad voluntatem nutumque aulae romanae se totum convertit. Icto nimirum foedere cum regiis Moraviae civitatibus, operam dedit, ut *Mathias Rex Hungariae* a Proceribus Bohemis & Moravis, qui praetexto religionis orthodoxae cultu, Olomucii parvo aderant numero, *Rex Bohemiae* 1469. *& Moraviae Marchio* renuntiaretur. Quae quidem electio non minus, quam coronatio *Mathiae*, recepto aevi illius Iure Canonico solum defenditur; re autem ipsa armis arma miscuit, statum religionis christianae sin deteriorem fecit, perparum certe promovit. *g)* Praesul enim *Protasius* ab eo jam tempore, quo defecit ab officio *Georgii Regis*, reliquos vitae annos sat multos civilibus potissimum negotiis, pacandis Regum diffidentium animis, rebusque suis bellicos inter tumultus protegendis impendere cogebatur: uti de his commemorat historia politica. Duo per id tempus ad sacrum ejus ministerium attinent: Precibus nempe suis *Mathiam Regem* induxit, ut monasterium Vetero - Brunae ab

e) Dubrav. l. c. Et Litterae vendit. ap. Pezium T. VI. Codice Diplomat. P. III. p. 221.

f) Ziegelbauer in not. ad Protas. l. c. p. 282.

g) Balbin. Epit. p. 543. — Pessina M. M. p. 852. Et supra hist. polit. ad h. a.

ab hæreticis devaſtatum reſtauraret, ac moniales exules poſtliminio ſedibus reſtitueret ſuis: quarum domus religioſæ profanationem *Protaſius* ſacris Eccleſiæ ritibus abſterſit. *h*) Tum Piccardorum, qui ſe *Fratres Bohemos* vocabant, anteſignanum *Jacobum Chulavam* ab exilio reducem, quod non ceſſaret catholicam religionem, ejusque miniſtros publice maledictis proſcindere, in Moravia comprehenſum, ac triennium Wiſcoviæ in carcere detentum, tandem cum reſipiſcere nollet, vivum comburendum curavit. *i*) Id quod ea tempeſtate tribuendum nimio religionis ſtudio perinde, ac illud ſanctimoniæ erat indicium, quod *Protaſius* morti proximus in veſte religioſa Ordinis S. Franciſci voluerit ſepeliri. Peſte extinctus, voti omnino compos factus eſt, atque in medio Cathedralis Eccleſiæ tumulatus, addito epitaphio, quod marmori rubro inciſum olim fuit. *k*)

25. *Auguſti.* 1482.

VIII. A *Protaſii* obitu Eccleſia Olomucenſis quindecim annos orbata Paſtore ſuo fuit, eoque decurſu temporis adminiſtratores a Capitulo deſignati, cauſſas tum eccleſiaſticas, tum civiles dijudicarunt. Cur novi Præſulis electio dilata quadriennio fuerit, tacentibus ſcriptori-

 bus

h) Ziegelbauer l. c. p. 282.

i) Hlas Strazneho MS. p. 141. — Peſſina M. M. p. 759.

k) Auguſtin. l. c. qui addit, arcem & eccleſiam Wiscovienſem a Protaſio magnis ſumtibus exſtructas eſſe. — Ziegelbauer l. c. p. 282. ſeq. adſerit, quum an. 1709. Cathedralis eccleſia novo ſterneretur lapide, atque in medio ejus crypta fieret; exhumatum eſſe Protaſium, ac dictæ veſtis centones fuiſſe repertos. — Epitaphium Protaſii refert Paproc. Spec. Mor. fol. 181.

bus coævis, arduum eſt definire. Illud ſatis conſtat, primos adminiſtrationis munere functos eſſe: *Joannem Pauſchvangel* Eccleſiæ Cathedralis Decanum, & *Alexium de Iglavia* Canonicum. Deinde eandem ornarunt ſpartam: *Henricus de Zwola* Decretorum, & *Conradus Altheimer* Artium Doctores & Canonici. Denique anno Sedis vacantis ultimo: *Conradus Altheimer* Decanus, & *Joannes de Temnitz* Archidiaconus. *l*) Verum adminiſtratio illa exiguo Eccleſiæ fructu geſta fuiſſe videtur, ſiquidem *Mathias Corvinus* Hung. Rex & Moraviæ Marchio *Joanni Epiſcopo Varadinenſi* auctor extitit, Epiſcopatus Olomucenſis curam ut ſuſciperet. Quo ad clavum ſedente, Canonicis dubio procul integrum non erat, novum eligere Epiſcopum. Quocirca *Joannes Varadinenſis* fuit ſolum *Proepiſcopus* Olomucenſis, ſive ſupremus tantum *Adminiſtrator* Epiſcopatus Olomucenſis; qui ſæpe ac diutius abſens in Hungaria & aula *Mathiæ Regis*, per Canonicos illos a Capitulo delectos Eccleſiam Olomucenſem regebat. *m*) *) Erat au-

[margin: 1486.]

[margin: *...nes Varadinenſis ...iſcopus, ...miniſtra... Epiſcopa... Olomuc.*]

(*l* Auguſtin. l. c. & Ziegelbner Olom. Sac. ex variis titulis erectionis altarium. — Hic arbitratur ob peſtem in Moravia id temporis ſævientem, Canonicos hinc inde diſperſos ad canonicam electionem celebrandam congregari haud potuiſſe. Id quod de Olomucio forſan accipiendum, quia *Wladislaus* Boh. *Rex* an. 1483. ob graſſantem Pragæ peſtem in Moraviam receſſit. *Vid. hiſt. polit. ad an.* 1483.

m) Auguſtin l. c. — Pe... proc. Spec. Mor. fol. 181.

*) Recentioris ævi ſcriptores: *Swrzedovsky*, *Dobertus*, *Hermann*, *Remigius aſ. Erasmo* in *Elogiograph.* &c. Joannem Varadinenſem in Album Epiſcoporum Olom. reponunt. Alii antiquiores

Ab-

autem *Joannes* iste, cognomento *Witicz*, origine quidem & genere ignobilis, Prostannæ in Moravia natus; sed virtute ac sapientia nobilissimus; nec ulli ævo suo doctrina secundus. Simul ac *Mathias Rex* an. 1468. Olomucium in fidem recepit suam, *Joannem Witiczium* adolescentem, in quo naturæ & ingenii dotes emicuerunt, Woyvodæ seu Equiti *Ciupory* commendavit. Hujus benevolentia ingenii præstantiam excoluit, eaque rerum imbuit experientia, quam postea *Joannes* noster in gerendis Hungariæ & Moraviæ negotiis declaravit. Fide nimirum sua, integritate maxima, singularique prudentia ita meritam, debitamque apud *Mathiam* iniit gratiam, ut Varadinensi ornatus Infula, inter secretioris consilii primos haberetur viros. Auctus etiam multis Basilicarum præ-

---

Augustinus Kesenbrod, Dubravius, & Paprocius illum duntaxat *Proepiscopum* nominant. Eandem hanc sententiam fulciunt literæ concordiæ, quæ inita Barones & Equites inter ac civitates fuit Brunæ an. 1486. die Sabbati festo S. Ursulæ, ubi *Joannes Propontifex*, *seu Administrator* appellatur: Mezy Rami Janem — — Biskupem Waradinskym, a Sprawczy Kostela Olomuczkeho. Vid. Codex Diætalis MS. Strzedovsky p. 17.—Annulus quidem signatorius, ut ajunt, cui incisa Ecclesiæ Varadinensis & Olomucensis insignia conspiciuntur, hanc præfert inscriptionem: *Joannes Episcopus Varadinensis & Olomucensis.* Sed hoc titulo usus Joannes videtur more aliorum ecclesiasticorum, & politicorum principum, qui nomen sibi imponunt ejus Regni, Principatus, vel Episcopatus, quæ sibi deberi prætendunt, ut ait Ziegelbauer l. c. — Quid multis? Joannes ipse, datis ad Innocentium VIII. Pont. literis, facultatem solum petit *Episcopatu Varadinensi* se abdicandi. *Vid. Ziegelbauer. l. c. in Joan. Varadin.*

præfecturis, XXX. aureorum millia e proventibus annuis accepisse legitur. n) Quare suscepta Ecclesiæ Olomucensis cura, arces Wiscoviensem ac Miroviensem amplis ornavit structuris; multa Episcopatus Olom. ædificia pristino splendori restituit; redemtum vero Müglitzium eidem Cathedrali rursum reddidit. Denique tantæ virtutis per ea tempora fuit, ut inter præcipuos Ordinis sui viros parem habuerit neminem. o)

IX. At vel ideo calumnia invidorum hæresis labem *Joanni* adspergere non erubuit. Factorum illustrium Antistes, accusatus Romæ est, quod *Hussi adsectis in Bohemia & Moravia faveret.* Qua delatione commotus Pontifex *Innocentius VIII.* Angelo Episcopo Ordano, apud *Regem Mathiam* Nuntio Apostolico, negotium dedit, de imposito ut inquireret crimine. Perbrevi quidem malevolorum criminationes juxta, ac Præsulis integritas luce clarius patuerunt. Hic tamen humanæ pertæsus felicitatis ludibrium, dignitatibus omnibus nuntium remittere statuit apud animum. Certum ac deliberatum propositum, datis ad Summum Pontificem litteris, aperuit, magnoque efflagitavit opere, ut abdicato Episcopatu Varadinensi, familiæ religiosæ nomen dare sibi liceret. Annuit pio nimium desiderio *Innocentius Pont.* atque ea de caussa ad Internuntium scripsit suum. p) Sed non eadem facilitate *Rex Mathias* erat, cui in negotiis regni-

1488.

n) Bonfinius Dec. IV. L. VII. in fine.

o) Augustin. & Paproc. ll. cc.

p) *Innocent. Pont.* litteræ ad Ordanum die 26. Augusti h. a. Romæ datæ ap. Ziegelbauer l. c. p. 288.

gni gravissimis opera & consilio *Joannis* carere, plusquam grave accidit. Votis igitur suis, vivente *Mathia*, potiri *Joannes* minime potuit. Illo autem e vivis exemto, & *Wladislao* Hungariæ corona redimito, religiosa sua ad exitum perduxit desideria. Abdicatis enim omnibus in Hungaria muneribus, in Moraviam se recepit, opes non parvas prius ut dispertiret, quam sodalitio PP. Franciscanorum se addiceret. Ac primum Olomucii ædem mira celeritate exstructam, & Pantheon appellatam omnibus Sanctis ex voto dicavit, magnificeque dotatam Canonicis Lateranensibus S. Augustini donavit. Sacram supellectilem oppido pretiosam perinde, ac multa vasorum genera non Varadinensi modo, ac Budensi Ecclesiæ; sed aliis etiam summa liberalitate distribuit. *Joanni a Kunovitz*, postea Domino Hunnobrodæ, suo e sorore nepoti, villas & oppida propriis sumtibus comparata legavit, ac velut principium *familiæ a Kunovitz* in Moravia dedit. Tandem Hradistii Moraviæ civitate regia, Monasterium PP. Franciscanorum strict. observ. fundavit; eoque pacto quinquaginta aureorum millibus in sacros usus expensis, mundi ac sui victor egregius, cœtui Seraphico ibidem se adgregavit. Exacto hic sesquianno Wratislaviam concessit, ubi *Alexander a Javorio* veste religiosa eundem induit. *q*) *)

1490.

1491.

1492.

q) Bonfin. Dec. IV. L. X. — Dubrav. hist. Boh. L. XXXI. in notis lit. e. — Pfeifer Paproc. enucl. p. 104. Hermann Capistr. Triumph. p. 632. — Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. p. 290.

*) Canonici Lateranenses S. August. ex Canonia Landscronæ Bohemorum a Pe-

X. Post nuncupata religiosa vota, *Joann* in monasterium suum Hradisstiense revertit, Deo victurus piissime. Verum eo vitæ genere, ut credebat, vacuo publicis negotiis, per *Wladislaum* Regem eidem frui non licuit. Sæpe enim interpellatus excusata frustra procuratione sacrorum, quibus se addixisset, publicis interesse consultationibus de pace aut bello cogebatur; sæpe legationes varias obire adactus. r) Perfecta legatione, quam habitu religioso indutus cum *Stanislao Turzone* Episc. *Olom.* in Bohemia an. 1508. feliciter gessit, Olomucium se contulit, ut edictum *Wladislai Regis* adversus Piccardos in Moravia executioni da-

a *Petro Gelito* Litomisliensi Episcopo an. 1371. fundata (hist Eccles. ad an. 1389.) exactis non amplius 50. annis Hussitarum furore expulsi, ac bonis omnibus eversi, quot quot cædem effugerant, Olomucium an. 1434 concesserunt cum Lateranensibus Canonicis, quos *Petrus de Kravar'z Dominus in Plumlow* an. 1391. Prostannæ liberaliter fundaverat. Utrique rerum communione facta, primum in judaica platea incoluerunt domum, quam dein Domini de Kravarz, & postea PP. S. I Convictus Ferdinandei, titulo hypothecæ tenuerunt. Demum iisdem Canonicis in Anticastro (Vorburg) habitantibus pro celebrandis divinis officiis assignata est capella S. Brictii, eorum domibus contigua, quam Joannes Ep. suis instauratam sumtibus in honorem OO. SS. consecravit. Canoniam tamen ipsi suis impensis exstarunt, ut patet ex originali instrumento an. 1491. apud Ziegelbauer Olom. Sacr. P. II. p. 513. seqq. — De Canonia Prostannens. vid. Stredowsky memorab. monum. §. II. ad calcem Sacr. Morav. Histor.

r) Dubrav. hist. Boh. p. 262.

daretur. s) Id quod magno ſtudio, ut cetera omnia, quum agit; Olomucii an. 1509. die 17. Junii, contemtor humanæ ad perpetuam decedit gloriam, atque in Monaſterio PP. Franciſcanorum Hradisſtii ſepelitur. Dignus profecto ſcriptorum elogio: *Vir ævo ſuo unus e maximis; naturæ & ingenii dotibus, judicio, doctrina, conſilio, prudentia, religione, morum ſuavitate, integritate vitæ, facundia, magnanimitate, & in rebus agendis perficiendisque induſtria multo præſtantiſſimus.* t) — Quæ autem interea conditio Eccleſiæ Olomucenſis? Simul atque adminiſtrator illius *Joannes Præſul Varadinenſis* nomen Ordini Seraphico dedit, Electores Canonici vota in *Boguslaum Lobkowitzium Baronem de Haſſenſtein* contulerunt. Hic nobiliſſimis parentibus *Nicolao Lobkowitzio* & *Sophia Zierotinia* in Bohemia ortus, non tam fumoſis imaginibus, quam ingenii, doctrinæ, & eruditionis fama longe clariſſimus; litteris vero politioribus græcis juxta ac latinis ita excultus fuit, ut in eo elegantioris litteraturæ genere perpaucos ea tempeſtate etiam in Italia, in Bohemia parem habuerit neminem. Acceſſit Iuris utriusque prudentia, nec vulgaris aſceſeos peritia, cujus documento eſſe poteſt celebris illa *de Sacerdotio non temere capeſſendo* epiſtola, u) Talis, tantique viri electionem non Rex modo *Wladislaus* Moraviæ Marchio, ſed omnes etiam Ordines boni con-

A. C. 1492. Boguslaus Lobkowitzius electus Episcop. Olomuc.

M 5

s) Hiſt. polit. ad h. an. Et MS. Hlas Straẑne-ho p. 115.

t) Bonfin. Dec. IV. L. VII. ad fin. — Cruger. ad diem 17. Junii. — Ziegelbauer Olom. Sacr. P. II. p. 344.

u) Effig. Erud. B. & M. T. I. p. 16. — Adauct. Voigt. Act. Litter. Vol. II. P. II. p. 95.

consuluerunt, atque a Summo Pontifice votis omnibus confirmari expetierunt. At Curia Romana potestatem ac jus præficiendi Episcopi Olom. per ingressum *Joannis Varadinensis* in Ordinem religiosum, ad Pontificem devolutum esse, adstruebat. Reque ipsa *Innocentius VIII.* ex jure prætensæ devolutionis, Episcopatum Olomucensem *Ardicino de la Porta*, Cardinali Allериensi contulit. *x*) Renuntiatus hic Episcopus absque dubio Infula Olomucensi fuit longe dignissimus; at sanctioris vitæ in monasterio transigendæ percupidus, eandem non acceptavit adeo, ut etiam Alleriensem Episcopatum dimiserit. *y*)

1492. *Augusti.* XI. *Innocentio* vita functo, Successori ejus *Alexandro VI. Pont.* tum Cæsar *Fridericus III.* tum Rex Boh. *Wladislaus*, datis litteris, *Bohuslaum Lobkowitzium*, a Cathedrali Capitulo electum, summo commendarunt opere. Partes etiam illius ut adjuvaret *Ulricus ex Comitibus de Lichtenstein* Episcopus Tridentinus, epistolam ad *Julianu* Cardinalem Ostiensem dedit. Verum Pontifex *Alexander* commendatitiis occlusit aures litteris, atque a morte *Ardicini* Cardinalis, Olomucensi Ecclesiæ præfecit *Joannem Borgiam*, suum ex sorore nepotem, qui Montis regalis Archiepiscopus, alioqui jam plures in Hispania & Italia administravit Ecclesias. *a*) Quæ hac agendi ratione in Moravia

1493.

re-

x) Augustin. l. c. Ziegelbauer Olom. Sac. P. I. p. 293. — Cl. de Monse Inf. Doct. p. 71. seqq.

y) Ciacconius in vitis Cardinal. T. II. col. 1300.

a) Ziegelbauer l. c & Joan. Palatius in Fast. Cardinal. Vol. II. col. 453.

religioni Catholicæ imminerent pericula, quum oves abſente Paſtore, luporum inſidiis ad omnem injuriam paterent: *Rex Wladislaus Alexandrum Pont.* & litteris & nuntiis admonuit. Scripſit etiam Capitulum Olomucenſe ad Eundem litteras, quibus detrimenta Dominico gregi in Moravia, conſtituto *Joanne Borgia Epiſcopo* impendentia intrepido depinxit calamo. *b*) At enim Pontifex, ut nepoti ſuo collatum, eumque opimum Epiſcopatum auferret, neque ullis moveri argumentis, neque a ſe ipſe poterat impetrare. Durandum igitur, & animi ad patientiam componendi Canonicis erant. Poſtea tamen, quum Waldenſium ſeu Piccardorum hæreſis late per Moraviam ſerperet, rectius ſe facturos exiſtimabant, rem ſi agerent non jam litteris, ſed miſſo Romam Oratore. Id muneris impoſitum *Stanislao Turzoni*, multis exculto litteris, qua ſacris, qua profanis: quibus in *Mathiæ Corvini* Regis Hungariæ aula, Præceptoribus uſus doctiſſimis, operam dedit. Hic ergo Romam profectus aliquot annorum ſpatio tantum induſtriæ, laboris, ac nummorum impendit, ut demum cedente *Joanne Borgia*, priſtinum electionis jus reſtitutum Capitulo fuerit. Allato ea de cauſſa Olomucium nuntio, *Stanislaus Turzo*, ob rem ex animi ſententia geſtam, omnium Canonicorum animos in ſe convertit. *c*)

1497.

XII.

---

b) Epiſtola hæc ap. Ziegelbauer Olom. Sacr. P. I. p. 295. ſeq.

c) Auguſtin. Catal. Epp. Olom. — Ziegelbauer l. c.

Stanislaus Turzo Episc. Olomuc. XXXVII.

XII. Quapropter omisso *Bohuslao Lobkowitzio*, cujus electionem Pontifex jam antea irritam declaravit, *Stanislaus* concordibus Cathedralis Capituli suffragiis eligitur Episcopus Olomucensis, ac Romae etiamnum existens, a Pontifice confirmatur. Id quod ne graviter quidem tulit *Lobkowitzius*, sed ab omni alienus ambitu, Episcopo vixit amicissimus. *d*) *) Simul ac Episcopatum adiit *Stanislaus*, praecipue illi curae fuit reformatio ecclesiae suae, quam annis quindecim Pastore destitutam, corrupti mores & doctrina magnopere deformarunt. Huic ut pristinum integritatis redderet nitorem ac decus, habita Wiscoviae Synodo, saluberrimas edidit constitutiones, quibus epistolam encyclicam ad universum dioecesis suae Clerum praemisit. Capita constitutionum synodalium sunt quinque supra quinquaginta, quae partim jam antea in statutis provincialibus, & synodalibus continentur, partim a *Stanislao* recens lata, aut nova saltem sanctione

A. C. 1498. 3. Maji.

sunt

d) Augustin, & Ziegelbauer ll. cc. — Cl. de Monse Insul. Doct. p. 76.

*) *Stanislaus Turzo* genere fuit nobilissimo, quippe natus Patre *Joanne Turzone* gente Hungaro, ad quem ex fodinis metallicis in Hungaria magnae redierant opes. Is postea Cracoviam demigravit, fixoque ibi domicilio, ad Comitis dignitatem evectus est. Praeter *Stanislaum Ep. Olomucensem* tres illi fuerunt filii: *Joannes* hujus nominis quintus Wratislaviensis Episcopus; *Georgius* Comes Camerarius montium Hungariae; & *Alexander Turzo de Betlehem salva*, Hungariae Prorex. *Vid. Ziegelbauer Ol. Sac. P. I. p.* 196.

ſunt munita. *e*) *) Neque ulli pepercit operæ Antiſtes vigilantiſſimus, ut extirparet graſſantem ***Fratrum Waldenſium*** ſeu ***Piccardorum*** hæreſim, quæ ex Bohemia in Moraviam propagata, his maxime temporibus altas jam radices egerat. Homines illi, de quibus in politica hiſtoria ſæpe meminimus, docebant Romana in Eccleſia reperiri tria: ***Bona***, quæ ipſi ſequerentur, nempe fidem duodecim articulorum, ſcripturas ſanctas, electos Dei multos &c. ***Bona malis mixta***, quæ illi repurgaſſent, ſcilicet poteſtatem Sacerdotum, ſacramenta, expoſitionem ſcripturarum, concilia, quædam peccata, & conſuetudines &c. Denique *Mala*, a quibus ipſi caverent, nimirum peccata mortalia, quæ impune perpetrantur; opera multa contra fidem, ſpem, & charitatem &c. His lon-

---

e) Vid. hæc Statuta ap. Faſſeau Collect. Synod. Olom. p. 51. ſeqq.

*) Epiſtolæ Stanislai Ep. ap. Faſſeau l. c. ſubjicitur: ***Actum in Caſtro noſtro Wiſchaw tertia die menſis Maji anno Incarnationis Domini*** 1538. Quæ chronologia omnino eſt mendoſa, ejusque loco annus 1498. ponendus. Etenim quis credat a Præſule vigilantiſſimo, qui an. 1497. regimen Eccleſiæ Olom. ſuſcepit, reformationem adeo neceſſariam ad tam longam annorum ſeriem dilatam fuiſſe? Apertis ſane verbis *Stanislaus Epiſc.* jacturam ovium ob præcedentem Eccleſiæ viduitatem deplorat in eadem epiſtola, ſuamque novitatem ſeu regimen recens ſusceptum conteſtatur. Habentur quoque in Bibliotheca Lycæi Olomucenſis Synodalia hæc Statuta typis Brunenſibus excuſa A. D. 98. hoc eſt: an. 1498. id quod opinionem noſtram confirmat, erroneoque exemplari Theodorum Faſſeau uſum fuiſſe evincit. *Vid. Cl. de Monſe Inf. Doct. p.* 84. Et *Dobrowsky* Böhm. und Mähr. Litter. T. *II. P. I.* p. 27.

longe plures ſucceſſu temporis commenti ſunt errores, quos variis defendere apologiis conabantur, præcipue cui titulus: *Excuſatio fratrum Waldenſium contra binas litteras Doctoris Auguſtini* datas ad Regem. *f*)

XIII. Quum Sacerdotes orthodoxæ fidei abominarentur; affirmabant nihilo minus, Sacerdotium *unionis fratrum* eſſe Apoſtolicum ſine interruptione. A Chriſto enim tranſiiſſe ad Apoſtolos, ab his ad Eccleſiàm Romanam, ab hac porro ad *Michaelem & Stephanum* olim ejusdem Eccleſiæ Sacerdotes, nunc facta unione fratrum Superintendentes; denique ad alios ab his initiatos. Tam egregia, ſi ſuperis placet! ſucceſſione ordinati Superintendentes in Moravia per id tempus erant quinque: 1) *Mathias Kunevaldsky*, qui diem obiit Lipnicii an. 1500. Preroviæ ſepultus in templo civitatis ſuperioris 2) *Thomas Pr'zelauczky*, disputator contentioſus, qui *de neceſſitate communionis ſub utraque ſpecie omnibus neceſſaria* cum Parochis: Holleſchovienſi, Lipnicenſi & Hraniczenſi; quin etiam cum *Henrico* inquiſitore fidei ſatis ſuperque contendit, ac demum an. 1518. Preroviæ morti ſuccubuit, in cœmiterio Schiravienſi tumulatus. 3) *Elias Kr'zenovsky* molitor opificio, Proſtannæ an. 1503. fato functus. 4) *Procopius Kraſſoniczky* defunctus miniſterio ſuo an. 1507. in Bohemia. 5) *Michaël Sambergenſis*, qui pari-

A. C. 1499.

f) Dobner mon. ined. T. IV. præv. obſerv. in Continuatt. Pulkavæ. — Sexſteter Beyträge zur Böhm. und Mähr. Brüderhiſt. p. 92. — Freher. T. II. Script. Boh. p. 249. — Pelzel hiſt. Boh. III. edit. p. 521. ſeq.

pariter in Bohemia an. 1501. aut forte serius, munia sua consummavit Richnovii. g) Ministelli isti, Piccardis tum oracula delphica, administram in Moravia fidelissimam habuere *Martham de Boskovitz*, feminam & illustri Boskovitziorum stirpe, & facundia non vulgari celebrem, cui haud quidquam cordi & curæ fuerat magis, quam ut sectam hanc apud gentiles suos, maxime nobiles proveheret. h) Quæ dubio procul a Turzone fideliter exposita, latere non poterant *Alexandro VI. Pont.* ideoque missis an. 1499. in Austriam Roma litteris Apostolicis, Præposito Claustro - Neoburgi Canonic. Later. & *Henrico Institoris* in Germania inquisitori fidei Ord. Prædic. in mandatis dedit, ut in Moraviam se conferrent ad opprimendam Piccardorum hæresin, atque opera, consilio & auxilio *Stanislai Olom. Episcopi* uterentur. Paruerunt Apostolici duo præcones, junctisque cum Episcopo nostro viribus, omnes in extirpandis Piccardis industriæ nervos contenderunt. *Henricus Institoris*, alio Brevi Apostolico an. 1500. singillatim obtento, jubebatur infectos errorum veneno codices, undequaque conquisitos ad *Stanislaum Episc.* deferre, publice cremandos; præcipue librum quendam *Kopyta* dictum, quem *Petrus Chelzicius* opificio sutor scripsit, quadraginta distinctum capitibus, quæ *kopyta* (Schuhleisten) nominavit. Iussus

1499.

g) Dobner & Sexsterer ll. cc. — Item MS. Hlas Stajneho c. l.

h) Bohuslaus Lobkovitzius de Hassenstein ep. ad Joan. de Pibra L. IV. epp. p. 135. Et Balbin. Epit. p. 574.

ſus præterea *Henricus* ſanæ doctrinæ armis importunos perfidorum inſultus repellere, *Sanctæ Rom. Eccleſiæ defenſionis clypeum* adverſus Waldenſium ſeu Piccardorum hæreſin compoſuit; exiguo tamen operæ pretio. *i*) *) Nam Piccardi nobilium præſidio tuti, non occulte ſolum, ſed palam omnino ſementem peſtiferi ſui dogmatis porro etiam ſparſerunt. Icciſco Præſul *Stanislaus* contra id genus hominum ſemel atque iterum fuit coactus implorare auxilium Regis *Wladislai.* Hic bina quidem edicta adverſus ſectæ illius aſſeclas promulgavit: parum tamen, aut nihil profecit, quod ejus auctoritas apud pleroſque nobiliores eviluiſſet. *k*)

1505. XIV. Quum igitur Brunæ fierent comitia, *Stanislaus Epiſcopus* allatis in medium rationibus graviſſimis effecit, ut damnatis generali ſtatuto Piccardis, eorum fana, quæ Napagedlæ,

i) Acta litter. Boh. & Mor. Vol. II. P. VI. p. 407. — Defenſionis clypeus Olom. an. 1501. editus p. 3. & 6.

*) Henricus Inquiſitor fidei, Olomucii in monaſterio S. Michaëlis diſputavit cum Laurentio Kraſſonitz Litomiſſiienſis coetus Præſide, Waldenſium defenſore maximo, qui conditionem iniit, ut, quisquis de Sanctitate Romanæ Eccleſiæ idoneis eum argumentis convinceret, ipſe eidem victas daret manus. Quare Inquiſitor compoſuit opuſculum adverſus Piccardorum blaſphemiam, qua Romanam Eccleſiam appellant *Apocalypticam meretricem*: in illud totis induſtriæ nervis incumbens, ut Eccleſiæ hujus ſanctitatem evincat. *Vid. ſupra cit. Defenſionis Clypeus.* — Sed argumenta ejusmodi potiſſimum protulit, quæ adverſario ipſius riſum, vel commiſerationem potius moverent. *Vid. cit. acta litter. p.* 428.

k) Vid. hiſt. polit. Haſſenſteinius in epp. ap. Ziegelbauer l. c. p. 311.

læ, Evanc'zitzii, Proſtannæ, Trebiczii, alibique locorum in Moravia erexerant, omnibus interdicta, atque illorum doctrina prohibita fuerit. Inſuper ſancitum, utne ulli illorum libri typis ederentur; editi vero hactenus, quot quot reperiri poſſent, ſecundum Rom. Pontificis mandatum flammis abſumerentur. Denique ut *Auguſtinus Köſenbrotus* Eccleſiæ Olomuc. Præpoſitus calamum in Piccardos ſtringeret, auctor incitatorque fuit *Stanislaus Epiſcopus.* *l*) Verum neque comitiorum ſtatuto, neque conatibus *Auguſtini Olomucenſis*, ob cauſſas ſupra allatas, Piccardorum doctrina ſtirpitus eradicari potuit; præſertim *Joanne* olim Varadinenſi Epiſcopo, e vivis Olomucii ſublato, quum juſſu regio extirpandis incumberet Piccardis. Ferendum igitur *Stanislao Epiſcopo* fuit malum, cui remedium adhibere viribus non valuit ſuis. Quamquam vero deinceps etiam muneris ſui naviter curioſus Præſul in promovenda ubivis religione laboraret: Cremſirii tamen collegiatam S. Mauritii eccleſiam, jam circiter ab an. 1476. in cineribus prope ſepultam, inſtaurare ſolito diutius neglexit. Bona nimirum epiſcopalia Cremſirii non minus, quam prædia Canonicorum Collegii, neſcio quo caſu, oppignorata redemit initio ſui regiminis *Stanislaus* ſexdecim ducatorum millibus. Summæ hujus dimidium Pater illius *Joannes Turzo* ea conditione ſolvit, ut ſingulis annis ſequentibus mille Ducati eidem reſtituerentur; alterum dimidium pro ſua pietate *Wladislaus* Boh. Rex & Moraviæ Marchio perſolvit, ut poſſeſſiones ac villæ ad Canonicos redirent, cultusque divi-

1509.

N nus

l) Ziegelbauer l. c & hiſt. polit. annis ſeqq.

nus Ecclesiæ Collegiatæ redderetur. At decursu octennii octo millibus aureorum Patri solutis, & bonis capitularibus jam diu per Wladislaum Regem redemtis, *Stanislaus* Episcopus bona Canonicis adeo non restituit, ut eos circa an. 1507, judicio quorumdam Procerum coëgerit eadem sibi ad septennium concedere; quoad sumtus a se factos resarciret. At enim septennio elapso, neque ædem collegiatam, neque Canonicorum ædes refecit; immo etiam prædia illorum retinuit. Quare per suas dispersi præbendas Canonici, nomen Episcopi detulerunt apud *Leonem X. Pont.* qui datis ad *Stanislaum* litteris, præcepit, Canonicorum votis ut annueret. Sed graves absque dubio caussæ mandato Pontificio remoram fecerunt; quum *Stanislaus Episcopus* retentis, ut ante, Capituli bonis, ecclesiæ solum parietes ad tectum usque exstruxerit: quam ob rem Canonici ad eam redire detrectarunt. *m*)

A. C. 1516. 9. *Martii.*

XV. Nec propterea boni Pastoris partibus defuit *Stanislaus*. Quum enim nova *Mart. Lutheri* doctrina clam & palam in Moravia serperet; lupis a grege arcendis seriam impendit operam. Siquidem Regi & Marchioni *Ludovico* autor fuit præcipuus, suo ut edicto Piccardorum & Lutheri dogmata proscriberet. Eundem quoque hospitem Olomucii habuit, quum Iglavienses novis de erroribus objurgaret, eoque crimine *Paullum Speratum* damnaret. *n*) Quin etiam secretius in concilium a *Rege Ludovico* adscitus, legationem in Bohemia religionem

1523.

m) Zvetlerus l. c. p. 64. Et Breve Apost. Leonis Papæ X. ibid.

n) Vid. hist. polit. ad h. a.

ligionis caussa, si quisquam, feliciter obiit. Nam etsi tum Pragæ totidem fere sectæ, quot concionatores numerarentur: Episcopus tamen *Stanislaus Turzo* in conventu Ordinum ea promulgavit Regis edicta, quibus *Catholicis* solum & *Utraquistis* concessa in regno tolerantia, aliarum sectarum adseclæ, uti Piccardorum & Lutheri sectatores, Praga expelli jubebantur. Quæ odiosa multis imperata facundo dicendi genere nisi fulsisset, omni profecto exitu caruissent perinde, atque illa, quæ id temporis Legatus alter *Archlebus de Lobkovitz* explicuit. At vero Episcopus noster ita sibi devinxit Ordinum Bohemiæ animos, ut sectariorum alii carcere, stigmate alii plecterentur, Praga autem pellerentur multa Piccardorum millia. *o*) Pari etiam modo fidei orthodoxæ consultum cupiit in Moravia *Stanislaus*. Namque ea in caussa semel atque iterum profectus Budam Hungariæ, auxilium Regis adversus serpentem heresim imploravit. Auxiliarem præbuit manum Rex Antistiti, sancito rursum edicto, improborum audaciam fracturus. Sed luctuosum illud tempus incidit, quum *Ludovico Rege* extincto, turbatis ubique rebus, Proceribus de regno sollicitis, variarum sectarum errores magis magisque invaluerunt. *p*)

1524.

1525. 25. *Maji.*

---

o) Pelzel hist. Boh. III. edit. p. 517. seq.

p) MS. Hlas Strazneho p. 160. — Pessina M. M. p. 948. — Provin F. R. E. Mor. c. 40. p. 189. seq. Ex supra hist. polit.

INDEX

[NO]MINUM & RERUM MEMORABILIUM

[P]RIMÆ & SECUNDÆ PARTIS HISTORIÆ MORAVIÆ.

[NU]MERUS II DESIGNAT PARTEM SECUN[DA]M; pr. PRÆFATIONEM EIUSDEM PARTIS.

A.

O ab

Di-

Con-

Fri-

Has

Hie-

I.

Ia-

I.

Ia-

Joan-

huſ-

has-

Lu-

ad

Wla-

Pro-

Q Ray.

 en-

T.

T.

Via-

Wen-

ta-

Wra-

Ziam-